THOMAE GIANNINII FERRARIENSIS ... DE LUMINE & SPECIEBUS SPIRITALIBUS, ...

Tommaso Giannini

Digitized by Google

IONALE
12
4 G
1
VITT. EMANUELE

359.

Ab 12

17

14-5.H.22

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THOMAE GIANNINII FERRARIENSIS

In Patrio Gymnasio primi Philosophię Doctoris.

DE { Lumine & Speciebus Spiritalibus,
Mente Effectrice & Speciebus Intelligibilibus:
Dæmonibus & Mentibus à materia separatis,

Disputationes Aristotelicæ.

AD AMPLISSIMVM S.R.E. CARDINALEM
BONIFACIVM BEVILAQVAM.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

FERRARIAE, M. DC. XV.

Apud Victorium Baldinum Typographum Cameralem.
Superiorum permissu.

Digitized by Google

AMPLISSIMO S.R.E. CARDINALI BONIFACIO BEVILAQVAE.

Thomas Gianninius F.

DEliberanti mihi, Cardinalis Amplissime, quibus studijs me dederem, & quam vitæ rationem amplecterer, atq; nõ ignoranti hominem ea lege hunc in mundum fuisse introductum, vt agendo & contemplando non sibi solum, sed & alijs natus esse videatur, philosophiæ interpretatio aptissima fuit visa, cui me adstringerem: nam cùm homo ad cõtemplandum sit genitus, atq; cõtemplari idem sit, quod simplices ac solitarias rerum vires ac naturas inspicere, quod nihil est aliud, quàm philosophari, eum non suis modò, sed alienis etiam cõmodis consulere existimãdum est, qui se totum in explicandæ philosophiç studium tradiderit. Cùm verò interpretandi munus triginta amplius annos sustinuerim, multas habui, & scripsi disputationes, quibus quantum in me fuit, obscuros Peripateticæ doctrinæ locos illustrare, & abditas Aristotelis sententias aperire conatus sum. Has vt in cõmuniorem hominum vtilitatẽ conferrem, multi summa mihi familiaritate coniuncti, nec leui doctrina præditi sæpius sunt cohortati, quibus ne viderer diffidere, disputationem Aristotelicam de mentis humanæ statu post homi-

nis obitum anno ſuperiore diuulgaui, quãquam vt verum dicam, libenti nõ ſatis animo, quòd verebar, ne vnde alijs prodeſſe quærerem, inde aliquod mihi damnum comparārem: Verùm quoniam hæc, vbi primùm lucem aſpexit, ferè vniuerſa e taberna libraria euolauit, conieci eam philoſophiæ ſtudioſis non omnino diſplicuiſſe: Quapropter cùm proximè Octauius Magnaninus vir cùm mei amantiſſimus, tum ſcientia ac iudicio præſtantiſsimus de diſputationibus edēdis, quibus luminis vim, Mentisq; effectricis naturam & officium ſum perſequutus, atq; de Dæmonibus quid Ariſtotelicè ſentiendũ ſit, conſideraui, me cum diligenter, ſtudiosèq; egerit, facilè adductus ſum, vt ei in harum editione obtemperarem. Has itaq; editurus totum volumen, cuius partes ſingulæ ſingulis viris ornatiſsimis, & de me quàm optimè meritis ſunt inſcriptæ, Tuo nomine, Antiſtes Religioſiſsime, obſignatum volui apparere, quia cùm in rebus obſcuriſsimis verſetur, illius radijs erat illuſtrandum, qui morum probitate, prudentia, & ſapientia eſſet illuſtriſsimus; & cùm ea habeat propoſita, quæ in vniuerſo primas tenent, illi videbatur conſecrandum, qui dignitate & maieſtate eſſet ampliſsimus. Tot enim atq; ita excelſæ & admirabiles ſunt animi Tui virtutes, vt ab his Pontifex Maximus Clemens Octauus fuerit impulſus, vt Te non ſolùm Camertibus, & Peruſinis præfecerit, verùm etiã ſumma Epiſcopi dignitate donauerit, atq; probis omnibus viris mirificè lætantibus in auguſtiſsimo Cardinalium numero repoſuerit. Accipe igitur has meas diſputationes, atq; ſic aſpice, vt quæ minus benè dicta videbuntur, caſtiges, & quæ non improbanda putabis, à calumnia tuearis. Viue quàm fœliciſsimè, meq; gratia Tua foue ac complectere.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
PRIMAE DISPVTATIONIS
De lumine & Speciebus Spiritalibus.

VMINIS nomine quid intelligatur, quidq; inter lumen, lucem, radiũ, & ſplendorem interſit. Cap. 1. 3
Illorum reprobatio, qui extra vniuerſum luminis naturam perueſtigarunt. Cap. II. 4
Lumen nunquid ſubſtantia ſit. Cap. III. 6
Lumen an ſit corpus. Cap. IV. 9
Lumen ſit ne qualitas. Cap. V. 12
Lumen vtrum ſit in relationis categoria. Cap. VI. 18
Actionis & paſſionis categoriæ nũquid lumen excipiant. Cap. VII. 20
Lumen in quibus categoriis poſitum ſit. Cap. VIII. 22
Proximum genus, ac differentia luminis inueſtigantur, & quid ſit lumen aperitur. Cap. IX. 26
Ratio multorum redditur, quæ tribuuntur lumini, quæſtionesq; variæ explicantur. Cap. X. 31
Reprehenduntur illi, qui lumen aliter finiuerunt. Cap. XI. 35
Explicatio opinionis illorum, qui ſenſerunt lumen eſſe qualitatem ex lucido corpore effuſam. Cap. XII. 38
Recitatæ opinionis caſtigatio. Cap. XIII. 43
Argumenta refutantur, quibus lumen tribuitur categoriis, in quibus non eſt, & admittur iis, in quibus continetur. Cap. XIV. 50
Reprehenſio illorũ, qui lumen per ſe calefacere putarunt. Cap. XV. 54
Ariſtoteli non fuit probatum lumen per ſe calefacere. Cap. XVI. 61
Lumen per accidens calefacit ob ignis admiſtionem; Valleſiusq; reprehenditur de ignis motu ac ſede perperam ſentiens. Cap. XVII. 68
Ignis aeri illuminato admiſtus vnde exiſtat, & cur ei admiſceatur. Cap. XVIII. 72
Dubitatio de modo, quo calefacit Sol, in lib. 1. meteor. cap. 4. ab Ariſtotele poſito, variæq; huius explicationes conſiderantur. Cap. XIX. 78
Explicatio dubitationis propoſitæ. Cap. XX. 85
Sententiæ variæ de officio, quo fungitur lumẽ in actu vidẽdi. C. XXI 90
In omni ſenſione cur medium poſtuletur, lumenq; propter mediũ, & inſtrumen-

ſtrumentum requiritur ad videndum. Cap. XXII. 95
Lumen in viſione poſtulatur propter colores, & his quid tribuat. Cap. XXIII. 100
Confutãtur ea, quæ ijs, quæ ſunt cõſtituta, aduerſantur. C. XXIV. 106
Specierum ſpiritalium nomina, cauſæ, natura, & officia explicantur. Cap. XXV. 109
Species ſpiritales ponendas eſſe, quibus ex locis Ariſtotelis intellexerint, & quibus argumẽtis cõfirmauerint ipſarũ amatores. C. XXVI. 115
Species ſpiritales nõ rectè poſitæ ſunt in categoria qualitatis, neq; ab obiectis poſſunt produci, neq; ab vllo ſenſu, qui ſit cauſa earum efficiens. Cap. XXVII. 118
Nullæ ſpecies ſpiritales in medio ſuſcipiuntur, nullæq; in ſenſu imprimũtur. Cap. XXVIII. 122
Species ſpiritales nullam habent vim repreſentandi ea, quorum ſunt ſpecies. Cap. XXIX. 127
Officia conſiderantur, in quibus ſpecies ſpiritales fuerunt occupatæ. Cap. XXX. 129
Ariſtotelis loci expẽduntur ſpeciebus ſpiritalibus ſuffragãtes, diluiturq; argumentũ, quo hæ ſpecies fuerunt confirmatæ. Cap. XXXI. 136

INDEX CAPITVM SECVNDAE DISPVTATIONIS De Mente Effectrice, & de Speciebus Intelligibilibus.

MEns effectrix quo argumento fuerit à Durando refutata, & qua ratione ab Ariſtotele poſita. Cap. I. 143
Confutantur illi, qui tradiderunt mentis effectricis munus eſſe noſtram intelligentiam. Cap. II. 151
Illorum confutatio, qui mentem effectricem propter phantaſmata introduxerunt. Cap. III. 153
Reprehenduntur illi, à quibus mens effectrix poſita eſt propter mentem materialem. Cap. IV. 159
Reprehenſio illorũ, qui mentem effectricem & propter phantaſmata & propter mentem materialem ſunt amplexati. Cap V. 164
Variæ opiniones de modo, quo rei vniuerſæ notio gignitur in nobis, confutantur. Cap. VI. 167
Explicatio modi, quo in nobis fit notio rei vniuerſæ. Cap. VII. 171
De munere & neceſſitate mẽtis effectricis quid ſentiendũ ſit. C. viij. 177
Opinio illorũ, qui poſuerunt ſpecies intelligibiles in noſtra mente imprimi. Cap. IX. 185

Ra-

Digitized by Google

Rationes, quibus ſpecies intelligibiles in mente impreſſa confirmantur Cap. X. 189
Aduerſus ſpecies intelligibiles in mente impreſſas diſputatio. C. XI. 191
Alexander & Auerroes nullas poſſunt ſpecies intelligibiles probare, quæ menti imprimantur. Cap. XII. 104
Illorũ opinio, qui ſpecies intelligibiles expreſſas introduxerũt. C. XIJ. 111
De quæſtione propoſita quid ſentiendum ſit. Cap. XIV. 115
Aduerſariorum argumentationes diſſoluuntur. Cap. XV. 124
Opiniones variæ, quòd mẽs effectrix ſit aliquid animæ noſtræ. C. XVI. 129
Mens efficiens re & ſubſtãtia eſt à mente materiali diuerſa. C. XVIJ. 132
Mens effectrix non eſt aliquid animæ noſtræ, neq; in anima noſtra vlla perennis intelligentia eſt ponenda. Cap. XVIII. 135
Confutatio argumentorum, quibus fuit perſuaſum mentem effectricem eſſe aliquid animæ noſtræ. Cap. XIX. 139
Mens effectrix eſt mens à materia ſeparata. Cap. XX. 143
Mens efficiẽs nõ eſt Dæmõ, neq; Colcodea ab Annẽna poſita. C. XXI. 146
Mens efficiens eſt prima ſupremaq́; mẽs à materia ſegregata. C. XXIJ. 149
Argumenta refelluntur Philoponi & Ammonij, quibus Alexandri opinio exagitatur. Cap. XXIII. 152
Alia refutantur argumenta, quibus Alexandri ſententia reprehenditur. Cap. XXIV. 155

INDEX CAPITVM TERTIAE DISPVTATIONIS.
De Dæmonibus, & Mentibus à materia ſeparatis.

DAEmon quid ſit, & quibus veteres ac Platonici adducti adamauerint Dæmones. Cap. I. 164
De Dæmonibus quid Ariſtotelicè ſentiendum ſit, Ariſtoteleſq́; de Dæmonibus vel nunquam eſt loquutus, vel non ita, vt eos putauerit, aut non putauerit eſſe. Cap. II. 269
Dæmones corporis & magnitudinis participes non conſentiunt cũ Ariſtotelis doctrina. Cap. III. 276
Dæmones corporis expertes Ariſtoteli fuerunt incogniti. Cap. IV. 282
Ariſtoteles quid reſponſurus fuiſſet interrogatus de ijs, quæ Dæmonum effecta exiſtimantur. Cap. V. 288
Dæmones incorporei an ſint aduerſi Ariſtotelis doctrina. Cap. VI. 302
Dæmones quarõne res natiuas & caducas habeãt cõprehẽſas. C. VIJ. 308
Ecquid fuerit cauſa, cur Ariſtoteles mentem à materia ſeparatam introduxerit. Cap. VIII. 312

INDEX.

Mens à materia ſeparata mouet cælum per modum finis, & non per mo-
dum cauſæ efficientis. Cap. IX. 319
Explicatio eorũ, quæ multos Peripateticos induxerũt, vt crederent men
tẽ à materia ſeparatã mouere per modũ efficientis. Cap. X. 332
Solutio eorum, quæ videntur perſuadere mentem à materia ſeparatam
mouere per modum efficientis. Cap. XI. 335
De numero mentium à materia ſeparatarum variæ Peripateticorũ opi-
niones. Cap. XII. 347
Diſputatio aduerſus Auicennæ Colcodeam. Cap. XIII. 351
Refutatur Auerroes ſtatuens vnicam eſſe mentem quæ cunctis in homi
nibus ſit principium intelligendi. Cap. XIV. 357
Mens non errans huic caducæ rerum vniuerſitati præſidens an ſit indu-
cenda. Cap. XV. 359
Non multæ, ſed vnica mens à materia ſeparata eſt ponenda, quæ cælos
moueat per modum finis. Cap. XVI. 366
Explicantur loci, in quibus Ariſtoteles videtur ſignificare multas eſſe
mentes a materia ſeparatas. Cap. XVII. 379
Quibus argumentis virtus ſimpliciter infinita eripiatur primo motori.
Cap. XVIII. 383
Græci Ariſtotelis interpretes ſenſerunt primi motoris vim eſſe ſimpli-
citer infinitam; idemq; Auerroi fuit quandoq; probatum, & conſentit
cum Ariſtotele. Cap XIX. 386
Opinio illorum, qui exiſtimant Ariſtotelem eam ſolam infinitatem, quæ
eſt temporis, primo motori conceſſiſſe. Cap. XX. 394
Superioris opinionis refutatio, & cuius modi ſit primi motoris infinitas.
Cap. XXI. 396
Diſſoluuntur argumẽta, quib. opinio ſuperior fuit cõfirmata. C. XXII. 405
Refutatio argumentorum, quibus primo motori fuit erepta virtus ſim-
pliciter infinita. Cap XXIII. 411
Deus an efficiat omnia cauſis ſecundis nihil cõferentibus C. XXIV. 416
Deus an liberè, vel more naturæ verſetur in rebus efficiẽdis. C. XXV. 419
De mundi prouidentia quid Ariſtotelicè ſentiendũ ſit. C. XXVI. 426
Cælorum prouidentia nunquid coniunctam habeat rerum caducarũ co-
gnitionem. Cap. XXVII. 435
Deus de ſententia Ariſtotelis non eſt cauſa efficiens eorum, quæ continen
tur in hac corporum vniuerſitate. Cap. XXVIII. 441
Deus cùm ſit finis, prouidet huic vniuerſitati, & ex eo tanquam ex fine
omnia pendent. Cap. XXIX. 448

FINIS.

INDEX MEMORABILIVM

In disput.

De lumine & Speciebus Spiritalibus contentorum.

ACCIDENS non migrat ex subiecto in subiectum. 44. 118.

Accidentia, dum fiunt, pendent ex causa effectrice, & cùm facta sunt, ex subiecto. 31.

Accidentium differentia ex subiecto intelligitur. 27. status duo. 31.

Actio duplex. 21. 24. nõ fit sine tactu. 83 verè ac propriè solius substantiæ composita. 12.

Actione aquinocta nihil in se ipsũ agit. 60

Actiones vt ab Aristotele distributæ. 25

Actus duo tantùm. 126.

Actus secundus perpetuò sequitur primum. 101.

Aer cur æstate calet, & hyeme frigeat. 77. cur non æquè calidus die & noctu. ibid. cur sub varijs zonis calore & frigore dissimiliter afficiatur. 75. excipiendo lumen an patiatur, 53. & vt patiatur. 18.

Agendi vis solis formis & qualitatibus concessa. 12.

Agit in se ipsum nihil, 60.

Agit vnũquodq; eo modo, quo existit. 120

Alexãdri explicationes duæ de modo, quo Sol calefacit atrẽ illapsis calestibus globis mediis. 79. reprehense à Philopono 80. defense. 81. prior à Themistio & ab Auerroe accusata. 82. defensa. 83 non carent difficultate. ibidem.

Aristoteles non semper ex animo loquutus est. 73. nusquam modum explicauit, quo lumen calefacit. 66. orbibus ab Eudoxo & Calippo positis alios adiunxit. 86. quãdoq; vtitur priscorũ decretis. 73. quibus modis fieri à stellis calorem docuerit. 62

Aristotelis argumentum, quòd lumen nõ sit corpus. 10. quot, quibusue modis possit declinari. 10. horũ reprehẽsio. 11

Aristotelis locus explicatus lib. 2. de cælo XLII. 64. lib. 1. meteor. cap. 4 de calore à stellis facto. 78. lib. 2. de anima CXXVII. 139.

Attenuandi vis quibus data. 55.

Attrahendi modi duo. 76.

Attritio iuxta Aristotelis decreta nõ est necessaria, vt à Sole & à stellis fiat caliditas. 85.

Auditus & visus differentia. 46.

Auempacis opinio de coloribus. 90.

Auerrois opinio de modo, quo cælũ atterendo aerem calefacit, & huius reprehensio. 84.

Augustini Steuchi Eugubini error de luce increata. 5.

Auicennæ opinio de coloribus. 90.

Calefacere quid. 117.

Calefieri quid. 117.

Caliditas luminis eiusdem rationis cum elementorum caliditate. 60.

Calidum agere materialiter quid. 117

Calor in his locis vt fiat à cælo, & à stellis. 89. pro materiæ, in qua inest, varie-

tate modo generat, modo dissipat. 72
Caro non est tactus instrumentum, sed medium. 140.
Causa aequiuoca & vniuoca specie diuersa. 59.
Chaldæorum anima fontana. 3.
Cleanthes quo argumento probauerit cælum ac stellas constare ex igne. 62.
Cælum non expers materiæ. 12.
Color affectio corporis mixti. 100. non est lumen materiæ alligatum. 109. perspicui terminati extremitas. 28. perspicui terminus, ibidem. qua ratione dicatur perspicuum mouere. 136. vt aspectabilis. 106.
Colores in lumine cur videantur ab eo, qui in tenebris. 102. in medio nullam efficiunt affectionem. 108. in tenebris nullos esse qui senserint. 90. non sunt lumina. 108. quòd sint colores, non consequuntur ex lumine. 100.
Colorum actus duo. 101. duplex esse, materiale & formale ex Alberto. 94.
Contrariorũ species & motiones contrariæ. 126.
Corporeitas materiam sequitur. 11.
Corpora cur non se penetrent. 11.
Corpus simplex nõ habet in se principium efficiendi motum. 57.
Defluxus corporis proprius. 43.
Deo excepto nulla natura increata. 5.
Deo non est quippiam coæternum. ibid.
Eductio ex materiæ potestate quid sit, cõtrouersum. 49.
Eductio quid. 38.
Educi ex materiæ potestate quid. 49.
Efficiens materiam parans idem, quod formam edutens. 55.
Efficiens nunquã cedit dignitate rei, quæ efficitur. 12.
Effluxus est naturæ per se subsistentis. 43
Effusio quid. 38.
Elementorum vtilitates duæ. 71.
Endeletkia non est idonea ad aperiendã luminis naturam. 36.
Energia consideratur. 26. de quibus propriè dicatur. 27. in quibus categorijs posita. ibidem.
Eudoxi & Calippi opinio de colorum mõtibus. 86.
Forma in eo, quòd est in materia, singularis. 120. sensibilium bifariam agit de sententia quorundam. 114.
Formarum actiones tribuuntur compositis. 59. 120. differentia ex subiecto intelligitur. 27.
Fumus, quòd sursum efferatur, ex igne consequitur. 71.
Galenus damnauit eos, qui statuunt fieri visionem speciebus in oculum immissis. 125.
Galeni opinio de modo, quo fit visio. 110
Homogenei natura in quo posita. 123.
Humor cristallinus præcipua pars oculi. 99.
Iamblicus de lumine quid senserit. 3. lumen putauit non esse aeris affectionem. 17.
Ignis habet propriam sedem. 70. & proprium motum. 69. in locis, in quibus est lumen, diutius moratur. 76. lumini admixtus vnde existat. 72. non propriè alitur. 70. nullibi manet sine materia, qua alatur. 68. pro varietate materiæ, in qua inest, quandoq; generat, & quandoq; dissipat. 72. sine motu proprio & sede propria positus. 68. veluti mundani huius corporis anima. 68.
Ignis vtilitates duæ. 71.
Illuminatio actio cuiusmodi. 25. actus perfectus. 23. non est verè motus. 24. simul tota fit. 23. visus quidam Platonicis. 26.
Illuminatione quod fit, idem quod illuminatio. 27.
Imaginari quid. 135.
Imaginum genus duplex. 128.
Influxus indigni, qui probentur. 61.
Iulianus de lumine quid senserit. 4.
Loca opaca & sine lumine cur non æquè caleant, ac illuminata. 74.
Lucidi corporis actus duo. 20.
Lucidum corpus quid. 3.
Lumen actio & passio simul. 23. actus per-

perſpicui. 98. & quo modo de ſententia Priſciani lydi. 39.
Lumen actus ſecundus corporis lucidi. 20
Lumen an ſit, ambigit nemo, 3. an ſit eiuſdem rationis in cælis & in elementis. 34. an ſit propter colores veluti propter finem. 37. an ſit ſimul qualitas materialis & ſpiritalis. 15. aſſidue fluit & labitur. 31.
Lumen calefacere nunquam ex Ariſtotelis doctrina manauit. 67.
Lumen calefacit ob ignis admiſtionẽ. 68
Lumen colores in actu conſtituere quæ perſuadeant & huius confutatio. 91.
Lumẽ cum requiratur propter colores, cur id fuerit ab Ariſtotele neglectum. 103
cur à ſubiecto non fulciatur. 31.
cur abeat corpore lucido abeunte, & redeunte redeat. 31. cur actus perſpicui interminati. 28. cur fiat ſubitò. 32. cur in flecti videatur. 49. cur loco moueri videatur. 50. cur qualitas videatur. 12. cur ſucceſſione fiat quãdoq; 32
Lumen duplex. 4.
Lumen cuius modi energia. 32.
Lumen eſſe corpus cur veterum pleriq; crediderint. 9. eſſe corpus indiuiduũ quidam ſenſerunt. 3. eſſe qualitatem ſpiritalem qua perſuadeant, 13. eſſe ignem nonnulli putarunt, & cur. 7. eſſe ſeparabile quot modis intelligatur. 36. eſſe ſubſtantiam materiatã nonnulli putarunt. 7. eſſe ſubſtantiã quæ videantur perſuadere 6. eſſe ſubſtantiam ſpiritalem qui ſenſerint, & cur. 6.
Lumen eſt medium, per quod ſpecies colorum deferuntur de quorundam ſententia. 92. eſt qualitas. 22. eſt qualitas realis. 33.
Lumen & colores ſpecie differunt. 107.
Lumen & lux an ſpecie diſtinguãtur. 33
Lumen ex præſentia corporis lucidi exiſtit. 29. facit colores, qui poteſtate ſunt aſpectabiles, actu aſpectabiles. 102. idem quod illuminatio. 23. illuminante amoto continuò euaneſcit. 42
in cælo non educitur. 41. in fieri conſiſtit. 32. inflectitur, ſi in corpus denſum incidat. 4. in perſpicuo tanquam in materia aliena. 13. in qua categoria ſit, controuerſum. 6. in ſe cauſam non habet, cur ſit viſibile. 99.
Lumen lumini non coniungitur. 18. 105
non calefacit per ſe. 19, non calefacit ſuà naturà. 18. non effluit e corpore lucido. 43, non eſt aſpectabile ſuà naturà. 12. non eſt corpus. 10. non eſt corpus indiuiduum. 9. non eſt corpus immobile extrà vniuerſum. 1. non eſt forma de genere ſubſtantiæ. 12. nõ eſt ignis. 8, non eſt lucis ſpecies. 15. non eſt medium miniſtrans viſui. 97. non eſt propriè præſentia corporis lucidi. 29 non eſt ſpecies. 37. non eſt ſubſtantia materiata. 8. non eſt ſubſtantia ſpiritalis. ibidem. non eſt viſibile propriè. 32. 99. non eſt vtile per ſe ſubſtantijs gignendis. 31. non fluit à mente ſeparata. 1. non mouetur loco. 43. non progreditur ex ſubiecto in ſubiectũ ibidem. non reflectitur. 49. non ſequitur vllam mutationem. 29. non videtur, & ſi viſu diſcernatur. 105. nunquam diſiunctũ à lucidi corporis præſentia. 31.
Lumen nunquid moueatur loco. 33. oculo tributum ad videndum nunquid æternum, an internum. 99.
Lumen primũ quid. 4. propriè quid. ibid. qualis actio. 24. qualitas cuius generis. 33. qua ratione color externus perſpicui. 48. qualitas cæli propria. 41. quibus categorijs adiudicandum. 22. quo modo calefaciat varię explicationes: & harum confutationes. 58.
Lumen requiritur ad videndum propter colores. & his quid tribuat. 100. propter inſtrumentum. 99. propter medium. 98.
Lumen retinet figuram corporis illuminantis poſthabita figura ſubiecti. 42.
Lumen ſecundum quid. 4.
Lumen tanquã actus vitalis à Sole Philopone.

lopono. 41. visus quidã Platonicis. 26
Lumini forma nulla aduersa. 30.
Luminis attributa varia. 13.
Luminis attributa varia ex Platonicis. 38. definitio ex Plotino reprehensa, 36 definitiones varia ex Ficino, & harum castigatio. 35. Diffinitio. 28. diffinitio integra. 31. diffinitiones duæ. ibid.
Diffusio quo efficiatur modo 47, genus proximum. 26. materia crassa & densa. 13. materia propria perspicuũ. 52. natura difficilis ad inuestigandum. 3. natura extra vniuersum non inuestiganda. 5.
Luminis nomine quid intelligatur. 4.
Luminis præstantia. 41.
Lumina simul inuicem cur non commisceantur. 32.
Luminum omnium eadem ratio. 41.
Luna cur propter receptum lumen rerum generationi conducat. 77.
Luna lumen cur temperatius Solis lumine. 78.
Luna lumen qualitas realis. 14.
Lucis nomine quid intelligatur. 3.
Lux actus primus corporis lucidi. 20.
Lux duplex innata, & aduentitia. 33.
Lux propriè quid. 4.
Materia ab agentibus caducis proximè mouetur. 51. nunquam sine quantitate. 6. quamuis vna à multis tamen agentibus mouetur. 31.
Medium in visione quomodo patiatur ab obiecto. 108.
Mens imparticipata Platonicorum. 5.
Mensium coitus cur frigidiores. 77.
Mixtio quorum sit. 101.
Motu quod acquiritur, re idem, quod motus. 27.
Motus localis solius corporis 43.
Motus maximè energia. 26.
Mouens subiecto distinguitur ab eo, quod mouetur. 59.
Moueri à se res animata. 57.
Mutatio omnis vertitur in contrarijs. 13
Mutatio vera postulat tria. 30.
Noctes plenilunij cur tepidiores. 77.
Nutritio est viuentis. 70.
Obiecta vt cum sensibus coniungantur, satis est medium. 130.
Oculi pars præcipua. 99.
Odor, qui afflatur e pomo, cum substantia defertur. 45.
Olfacere non est pati, sed sentire, quo modo explicandum. 139.
Passio vera quot postulet. 30.
Patientis dispositio dicta quandoq; efficere; & cur. 136.
Peripatetici posteriores dixerunt lumen suâ naturâ calefacere. 67.
Perspectiuorum opinio de modo, quo fit visio. 109.
Perspicui interminati natura. 28. 97.
Perspicui motio à coloribus non est verus motus, veraq; alteratio. 132.
Perspicuorum corporum genera duo. 28.
Perspicuum dum excipit lumen, non verè patitur. 29.
Perspicuum quo colore aspectabile. 48.
Perspicuum terminatum. 28.
Phantasia simulachrorum effectrix. 135
Phantasmata opera imaginatricis. 134.
Phœnices de lumine quid senserint. 5.
Plato cur anima dederit rationes insitas. 113. putauit phantasiam esse simulachrorum & phantasmatum effectricem. 135. ab Ammonio reprehensus in odoribus. 45.
Platonis opinio de visione. 94. 109.
Plotinus naturam luminis vt explicauerit. 20. putauit in visione medium nõ pati. 124. quo modo probauerit non fieri visionem, quia medium patiatur. 122. sensit lumen non esse aeris affectionem. 17. statuit medium non esse in visione necessarium, 93.
Porphyrius existimauit medium non pati in visione. 124.
Potestates duæ tantùm. 126.
Pythagoræ & Pythagoricorum opinio de modo, quo fit visio. 109.
Qualitas à substantia separata non manet incolumis. 45. bipartitò diuiditur. 13. non migrat ex subiecto in subiectum.

biectum. 45. realis ac materialis. 13. ſpiritalis. ibidem. ſpiritalis non iudicatur ſenſu, 15.

Qualitates ex materia poteſtate eductæ habent contrarium. 41.

Qualitates materialis & ſpiritalis non patiuntur medium. 16.

Qualitatum eſſentia diuerſarum actiones diuerſæ. 58.

Qualitatum genera præter poſita ab Ariſtotele inducenda. 25.

Radius quid. 4.

Reflexio minus propriè tribuitur lumini. 49.

Senſibilia non ſentiuntur, niſi ſenſibus coniungantur. 109. qua ratione dicãtur efficere actum ſentiendi, 136.

Senſio alteratio quædam. 90. cur videatur alteratio. 137. fit, cum aliquid mouetur & patitur. 90. non fit abſq; medio. 95. & cur 96.

Senſibus obiecta à quibus repreſentantur. 131.

Senſum habere vim ſuſcipiendi formas citra materiam, quo modo intelligendum. 137. pati à re ſenſibili ſecundũ formam cur dixerit Philoponus. 138.

Suſcipere forma ſine materia, quid. 52.

Senſus actu quo modo ſimilis rebus, quæ ſentiuntur. 137.

Senſus agens ab Ariſtotele neglectus. 121.

Senſus animalibus cur datus. 96.

Senſus & ſenſibilis actus idem. 140.

Senſus fit ſimilis obiecto ſine vllius formæ ſuſceptione. 133. fit ſimilis obiecto per actum ſentiendi. 132. mediocritas quædam. 95. vt cum obiectis coniungatur, ſatis eſt medium. 130. vt hoc, & non illud ſentiat, ſatis eſt obiecti præſentia. 131.

Senſuum functionibus fiunt veluti figuræ quædam in primo ſenſitiuo. 133.

Senſuũ pati non eſt aliud à iudicare. 138

Sentientia quo modo differant ab ijs, quæ patiuntur & non ſentiunt. ibidem.

Sentire non eſt verè pati, ſed pati afferens ſalutem. 139.

Similitudo neceſſaria ad res cognoſcendas. 113.

Sol omnium maximè cur videatur calefacere. 89.

Suos motus Lunæ impertitur de ſententia Ariſtotelis. 87.

Solis lumẽ cur ardẽtius Lunæ lumine. 78

Sonus per medium quo modo feratur ad auditum. 46.

Species expreſſa à quibuſdã poſita in ſenſu. 129. ex ſenſu eijcitur. ibidem.

Species rerum ſenſibilium eſſe in anima quid. 140.

Species ſpiritales aduentitiæ ijs, à quibus ſuſcipiũtur. 111. cognitu difficiles. ibi imagines eorum, à quibus efficiuntur. 123. in qualitatis categoria poſitæ. 111. non fiunt ab aliqua paſſione, neq; vllã paſſionem efficiunt. ibidem. non fiunt à calo. 120. non fiunt à forma ſine materia. ibidem. nõ fiunt à lumine. ibid. non fiunt à mente ſeparata. 119. non fiunt ab obiectis quæ ex parte habent aliquid commune cum mentibus ſeparatis. 121. non fiunt ab obiectis ſimpliciter. ibidem. non fiunt à ſenſu agente. ibidem. non habent vim repreſentandi ea, quorum ſunt ſpecies. 127 non imprimuntur in ſenſu. 125.

Species ſpiritales non ſentiuntur. 128. nõ ſunt eiuſdem naturæ cum obiectis. 127. non ſunt in categoria qualitatis. 119. non ſunt inducendæ propter ſenſus interiores, & imaginatricis functiones. 133 non ſunt inducendæ, vt obiecta cum ſenſibus cõiungant. 130. non ſunt inducendæ, vt per eas ſenſus efficiantur ſimiles obiectis. 132. non ſunt inducendæ, vt ſenſibus repreſentent obiecta. 131. non ſunt inducendæ, vt ſenſum definiant ad certi obiecti notitiam. 131. non ſuſcipiuntur in medio. 121.

Species ſpiritales nõ ſuſcipi in medio viri clariſſimi ſenſerunt. 124.

Species ſpiritales non ſuſcipiuntur in ſenſu. 125. quibus Ariſtotelis locis confirmen-

mentur. 127. quibus argumentis perſuadeantur. ibidem.
Species ſpiritalis quid. 112. quo differat ab imagine propriè dicta. 111. quibus differat à qualitate materiali. 112.
Specierum ſpiritalium attributa varia. ibidem. cauſa effectrix quenam ſit, varie opiniones. 114. materia ex qua nulla. 113. materia in qua varia. ibi. natura eſt fluxa, fitq; cõtinenter. 119 nomina varia, & horum ratio. 110. officia varia. 113.
Splendor quid. 4.
Stellas per ſe moueri qui ſenſerint. 88.
Stoici de lumine quid ſenſerint. 10.
Stoicorum opinio de materia. 11.
Stupor ex funo & arũdine cur tollatur. 81
eorum, quæ ſenſum habent. 81. 82.
Subſtantia duplex, ſpiritalis & materialis. 6.
Tenebræ vt in aere ſtant. 30.
Tenebrarum excipiendarum poteſtas non eſt diuerſa ab ea, quæ eſt luminis. 53. nulla habilitas, qua excipiantur. ibid. nulla priuatio. ibidem.
Trahens ſimul cum eo, quod trahitur. 76
Viſibilia quot, & quæ. 37.
Viſibilitas quo modo ꝓprietas coloris. 106
Viſio vt fiat opiniones varie. 109.
vt fiat, tria poſtulantur. 90.
Viſionem fieri emiſſione refutatũ ab Ariſtotele. 47.
Viſus & auditus differentia. 46.
Viſus medium quodnam ſit. 97.
Vitellio cur poſuerit incidentias radioſas eſſe rotundas. 42.
Zabarella Ariſtotelem deſeruit. 85.
Zabarellæ explicationes repreher. ſæ. 114.

INDEX MEMORABILIVM In diſput.

De Mente Effectrice, & Speciebus Intelligibilibus contentorum.

Abſtractio rerum mathematicarum eſt mentis materialis. 177.
Abſtrahendi munus cuius ſit mẽtis. 176.
Accidens quot quibuſq; modis corrumpatur. 106.
Actiones rerum ſingularium. 194.
Actus nullus medius inter primum & ſecundum. 101.
Actus primus nullum requirit apparatũ, quo exeat in actum ſecundum. 119.
Agens à patiente re ipſa diſiunctũ. 132. patienti cur antellet. 141
Agens per naturæ modum agit perpetuo. 159. eodem ſe habens modo idem facere natum eſt. 147.
Alendi vis nuncupata virtus naturalis. 138. opere perpetuò cur detenta. ibid.
Angelus non habet vim proximè imprimendi formã in materia corporea. 145
Anima iudicans compoſitum lineæ extẽſæ, & iudicans quiditatẽ lineæ fractæ cur ſimilis. 175. quodãmodo id, quod iudicat. ibid. tanquam Protheus. 116
Animæ tranſformatio qualis, 117. & quo modo fiat. 116.
Animi noſtri magna vis in cõiunctis ſeparãdis, & diſiunctis coniungẽdis. 71
Ariſtotelis locus de ſimilitudine animæ noſtræ cum linea extenſa & fracta explicatus. 175. de mente habitu. 176
in lib. 3. de anima xvij. 149.
in lib. 3. de anima xx. 140. 144.

Ar-

INDEX.

Artes ſæpius inuentæ & extinctæ. 142.
Baccarum aſflatum retulit Ariſtoteles in humorem melancholicum. 148.
Boni idea Platonica an ſit mens effectrix Ariſtotelica. 151.
Boni ſũmi appetitu omnia ducuntur. 184
Bonum ſummũ hominis in actu contemplandi. 136.
Cauſa cuſtodiens eo, quod cõſeruatur præſtabilior, & quorum ſit. 200.
Cauſa eſt, quod ad aliquod efficiendum ſemper poſtulatur. 147.
Cauſa quod eſt vt quædam ſint cuiuſdã modi, id magis eſt huius modi. 150.
Cauſæ agentes quot modis vnà iungantur ad aliquod efficiendum. 148.
Cæpæ ſucco littera deſcripta occulta quo modo appareant. 169.
Cognitio ſequitur naturam virtutis cognoſcentis. 138.
Colcodea Auicennæ. 148.
Colorum actus duplex. 184.
Conceptus mentis vt differat à re intellecta, à ſpecie intelligibili, & ab actu intelligendi. 114.
Corpori & rei incorporeæ nulla cõmunis ratio ſuſcipiendi aliquod vniuocũ. 144
Corporis & mẽtis cõnexio naturalis. 170
Dæmonis natura media interiecta inter Deum & homines. 146.
Dei naturam inuenire arduum, & inuẽtam explicare impoſſibile. 161.
Deum abſq; cæli motu & lumine nihil efficere quomodo intelligendum. 119. eſſe in omnibus & vbiq; veteres omnes conſenſerunt. 156.
Deus adeſt nobis per ſuæ ſubſtantiæ præſentiã. 158. an poſſit agere in id, quod eſt remotum ſine medio dubium in doctrina Ariſtotelis. ibid. cauſa omniũ communis. 195. cur & quibus modis nobis coniungatur. 156. intelligit caduca & mutabilia intelligentia æterna & immutabili. 138. qua ratione poſitus in extremo huius vniuerſi. 160 quo modo iungatur nobis per modum cognitionis. 158. ſimilis lumini & Soli. 153. totus in quacunq; re creata. 157.
Differentiæ nomine quid intelligat Ariſtoteles initio lib. 3. de anima, 140.
Effecta conferunt ad cauſam inueſtigandam. 147.
Effectum ſemper imitatur cauſam ſingularem. 194.
Figuris diuerſis idem corpus non figuratur. 191.
Forma nõ agit in ſuã materiã. 102. 159
Formæ duplex eſſe iuxta Auerroem. 123.
Formæ ſimplicis vnus agendi modus ſecundum naturam. 105.
Formæ materiatæ non intelligentur, niſi vnà quoq; mens efficiens aliquo pacto intelligatur. 183.
Formarum latentium notitia ex actibus comparatur. 144.
Generatio rei ſingularis, & non vniuerſalis. 108.
Habitus mentis quid & quo modo gignatur. 125.
Homo imitatur omnium maximè. 116. imitãdo acquirit diſciplinas. ibidem. in genere intelligentiũ nouiſſimus. 180 intelligit & ſentit propriè, & non anima. 104. quòd ad imitandum aptiſſimus differt à cæteris animãtibus. 116. vt homo non intelligit, & contemplatur. 180.
Idea Boni Platonis. 151.
Imaginatio ab Ariſtotele quomodo definita. 162.
Imago triplex. 193.
Intellectio actus ſecundus, 101.
Intelligendi actus actu nullo antegrediente excipitur à mente. 102. idem, quod ſpecies. 122. imitatio & ſimilitudo rei. 116. phantaſmata mentemq; patibilem requirit. 144. refertur ad duo. 122. ſimul fit, & factus eſt. 121. verius paſſio, quàm actio. 120.
Intelligentia noſtra cur non abſq; imaginatione & phantaſmatis. 176. non eſt in nobis perennis. 136.
Intelligere eſſe veluti ſentire quomodo in-

intelligendum. 126. eſt pati propriè, & non ex conſequutione. 152. eſt propriũ munus mentis materialis. 153. quid 120.
Littera ſucco capa deſcripta quo modo appareant. 169.
Lumini Deus ſimilis. 133. mens efficiens cur ſimilis. 146.
Materia non poteſt iudicium ferre de forma in ſe hærente. 105.
Materia prima cauſa patiendi & recipiẽdi. 107.
Materiæ conditiones impediunt, ne ſimplices rerum naturæ menti vniuersè obijciantur. 146.
Materia, ſenſus & mentis diſcrimen. 162
Materia ſimplicis vnus eſt ſecundum naturam modus recipiendi. 105.
Memoria duplex à Latinis poſita. 199. in mente nulla. ibidem. vniuerſorum per accidens. ibidem.
Mens effectrix apparatum nullum efficit in mente materiali. 164. cur mens, & efficiens. 183. cur per ſe ſola non producat ſpecies intelligibiles. 186. eſt mens à materia ſoluta. 143. eſt prima mens, Deuſq;. 149. intelligit perpetuò. 144. manet immobilis, licet nos moueamur. 160. more naturæ ſuum munus obit. 168. nihil noui facit complendo noſtras mentes, 159. nobilior abſolutè mẽte materiali. 155. nomen inuenit ex muneris functione. 153. non efficit in mente materiali actum intelligendi. 159. non eſt aliquid anima noſtra. 135. non eſt Dæmon. 147. non eſt mens habitu predita operans. 133. non illuminat phantaſmata nihil imprimendo. 157. non recedit nobis intereuntibus. 160. non remouet à phantaſmatis conditiones materiæ. 158. poſita propter actum intelligendi. 144. propter mentem materialem inducenda. 178. propter phãtaſmata nõ penenda. 154. quem actũ tribuat per modum efficientis, & quem per modum habitus. 185. quæ efficiat, & quo modo. 149. quid efficiat in mẽte materiali. 178. quo modo differat à formis rerum materiatarum, quando ſunt actu mentes, actuq; intelligibiles. 144. quo modo differat à mente noſtra. ibidem. quo modo efficiat mentem noſtram actu mentem. 179. quo modo faciat formas rerum materiatarum actu intelligibiles, actuq; mentes, 182. quo modo vna, & multiplex. 160. quo ſenſu ſeparabilis, immixta, & impatibilis. 144. quot quibuſue modis poſſit agere in mentem patibilem. 147, re diuerſa à mẽte materiali. 132 virtutem nullam tribuit phantaſmatis. 156.
Mentem effectricem eſſe mentem quæ perſuadeant. 129. eſſe ſolam immortalem quid Ariſtoteli. 140. moueri à phantaſmatis nefas. 170. quo inductus argumento refutaueris Durandus. 144.
Mentis effectricis actio non eſt in noſtra voluntate. 168. attributa. 143. contemplatio naturalis. 152. effectio ſine cognitione. 145. efficientia quibus modis exerceatur. 178. munus non eſt intelligere. 152. neceſſitas. 149.
Mens materialis. 143. cur ſine mente effectrice non intelligat. 180. non poteſt transferre ſe de poteſtate in actũ. 129. officium ſuſtinet abſtrahẽdi. 176. pars animæ præſtantiſſima. 135. quo ſenſu ſeparabilis, immixta, & impatibilis. 144.
Mens noſtra actus primus. 101 antequã intelligat nullum habet actum. 102. cur ſine labore nequeat diu intelligere, 138. dum corpori coniungitur non incurrit in aliquod damnum. 169. ex duabus partibus compoſita ab Auerroe. 130. inſtrumento non vtitur ad ſuum munus obeundum. 109. non propriè intelligit. 104. non quippiam intelligit, niſi ei coniungatur. 112. non ſine phantaſmatis intelligit. 197. nullas recipit formas abſq; cognitione. 105

quo modo coniungatur cũ obiecto. 128
veluti hirtrio. 116.
Mente non apprehenduntur res singulares. 163.
Mentem esse potestate quo pacto accipiendum ex Prisciano lydo. 160.
Mentis & materiæ duæ dissimilitudines. 104.
Mentis nostræ actus duplex. 185.
Mentis, sensus, & materiæ discrimen. 162.
Mentes duæ sine quibus non intelligimus. 143.
Mens separata quo modo sit primi, & naturalis philosophi. 153.
Mentium separatarum est nõ subijci accidentibus. 108.
Motus quid. 121.
Motus finis re non distinguitur à motu. 121.
Nominibus suis omnia nuncupantur ex præcipuo munere. 145.
Obiectum actum antecedit. 189.
Facultatem aliquo pacto mouet. 183.
Opera actionum fines. 121.
Orpheus animam nostram Prothei nomine nuncupauit. 116.
Perspicui actus duplex. 184.
Phantasma ex multis naturis concretũ. 165. non mouet vniuersè. 189.
Phantasmata cur sine mente effectrice non producant species intelligibiles. 187.
eorum, quæ sensibus accipiuntur. 183.
non exuunt naturam singularem. 155
Per se sola cur nequeant mouere mentem. 148.
veluti exemplaria non sunt menti effectrici proposita. 170.
vt se habeant ad animam intelligentem. 198.
Philosophum sine ratione aliquid statuere turpe. 113.
Plantæ cur non sentiant. 105.
Plato statuit animam moueri perpetuò. 130.
Platonici perennem intelligentiam mentì nostræ tribuerunt. 136.
Plotinus animæ nostræ mentes duas dedit. 129.
Species ab obiectis impressas neglexit. 111.
Vnde intellexerit mentem effectricem esse diuersam à mẽte potestatis. 131
Potestas fons & radix perpessionis. 143.
Potestate quod est, frustra esset, nisi esset quippiam actu existens. 149.
Non absoluitur à se ipso. 149. 151.
Præstantia ex muneris functione spectatur. 155.
Primum in genere ÿs, quæ sunt illius generis participatione, causa est. 150.
Pythiæ afflatum in quod Aristoteles retulerit. 148.
Qualitatis est esse in subiecto. 102.
Quæ maximè delectant, in his libenter, diu; occupamur. 137.
Quibus assueri sumus, ea maximè nota. ibidem.
Quicquid suâ essentiâ intelligit, perpetuò intelligit. 136.
Quicquid perfectionis datum est virtutibus minus præstanti, id dandum esse virtutibus magis præstanti; in quibus virtutibus intelligendum. 185.
Res, quæ suscipitur, sit corporea ne, an incorporea, vnde iudicandum. 144.
Rerum corporearum formæ, quòd actu mentes, & intelligibiles efficiantur, ex mente nostra, & mente effectrice consequuntur. 182.
Scientiæ omnes sæpius inuentæ & extinctæ. 142.
Sensus, mentis, & materiæ discrimen. 162.
Sensus non est capax alienius formæ, quæ in eo sit actus primus. 103.
non propriè sentit. ibidem.
Sentiẽdi actus verius passio, quàm actio. 120.
Separare ratione quid. 148.
Separatio duplex. ibidem.
Separatio rationis cognitio. ibidem.
Nõ id tribuit, quod separatio realis. 146

Separatio realis quot modis minifretur. 141.
Simplicij opinio de anima rationis compote, ac mente effectrice. 134.
Species idem, quod actus intelligendi. 122
Species nulla in mente ponenda actu intelligendi producta. 119.
Nulla in mente ponenda pregrediens actum intelligendi. 117.
Nulla in mente ponenda prater actum intelligendi. 116.
Species in mente posita cur in hac tandiu sint, quandiu intelligit. 122.
Nulla insita in substantia mentis. 160
quot quibusq; modis suscipiantur. 162.
Specierum intelligibilium diuisio. 111.
Species intelligibilis actus intelligendi. 113.
Species intelligibiles expressa conceptus mentis de quorundam sententia. 114.
quid. 111.
quo argumento confirmentur. 114.
Species intelligibilis impressa. quid. 186
sine quibus non imprimatur. ibidem.
Species intelligibiles impresse cur ponende. 188.
improbabiles. 191.
non conseruantur in mente. 199.
non efficiuntur à mente effectrice atq; à phantasmatis. 195.
non habent vim representandi. 193.
non recipiuntur à mente. 197.
non sunt in mente apparatus. 191.
Specierum intelligibilium impressarum natura dua. 113.
Substantia materia expers non agit in rem materiatam. 156.
Substantia separata à materia non est capax alicuius accidentis. 107.
Sybillarum afflatum in quod retulerit Aristoteles. 148.
Theophrastus sensit nullas formas in anima imprimi. 110.
D. Thoma locus de conceptu nostra mentis, 114.
Locus praclarus ad mentem effectricem spectans. 110.
Virtus, que accipitur à corpore, nec potest esse nisi in corpore, corporea. 144.
Que suscipit, & cognoscit species singulares, sensus. 162.
Vniuersa rei notio quo modo in nobis gignatur. 171.
prima notio nõ fit sine difficultate. 172
Vniuersa rerum natura in phantasmatis intelliguntur. 153.
Vniuersale non simpliciter nostra mentis obiectum, 124.
Vniuersalia composita que. 174.
simplicia que. 173.
Vniuersalium partitio. ibidem.
Vnum concretionè non patitur à seipso. 159.
Volũtas in id fertur, quod antè fuit mente comprehensum. 188.
Zabarella opinio de munere mentis effectricis 165. & huius castigatio. 166.
Zimara interpretatio reprehensa. 175.

IN-

INDEX MEMORABILIVM In diſput.

De Dęmonibus & Mentibus à materia ſeparatis contentorum.

Actio nos ducit in cognitionem ſubſtantiæ 418.
Actione immanente non efficitur quippiam diuerſum ab actione. 292.
Actiones qui tollit è rebus, deſtruit rerũ eſſentias. 417.
Aer ad vitam afferendam accommodatiſſimus. 268.
inhabilis, ex quo inſtrumentum ſeruiens progreſſioni conſtituatur. 278.
Aeris animalia quæ, 281.
Aeterna non habent cauſam effectricem. 328.
Aeternitas eſt Dei. 285. quid. ibidem. & 393.
Aeuum eſt cælestium corporum. 285.
Agens idem, quod materiam mutat, & quod formam educit. 284.
Alteratione eadem paratur materia & forma educitur. 356.
Amuletis non eſt fidendum. 294.
Angeli à nonnullis comites dati Deo procreanti; & ab alijs mundi conditores poſiti, 443.
Angelorum officia. 283.
Anima non ita corporis actus, vt nauta nauis. 278.
Anima rationis particeps in corpore tanquam nauta in nauigio poſita à Platone. 278.
Poſtulat perfectiſſimã temperationem. 282.
Anima & corporis connexio facit, vt ſibi mutuò ſuas communicent affectiones. 294.
Anima pars ſuprema vt Dæmon nobis cõceſſa de ſententia Platonis. 279.
Anima nulla virtute donantur à ſtellis. 292.
Animal nullum ſine tactu. 277. ſenſu conſtituitur. 265.
Animalis corpus non eſt ſimplex. 277.
Animalium genus in igne degens. 275.
Animantes caducę cur ſuis in motibus habeant terminum ac finem. 321.
rationis participes cur in terris degãt. 282.
Animatum corpus inter corpora optimũ. 313. inanimato honore anteit. ibid.
Animi habent vim, qua futura poſſint preſcire. 297.
Appetens diſiunctum ab eo, quod expetitur. 321.
Appetentia non eſt verè motus. 323.
Appetitus illius, cuius eſt indigentia. 328
Motus naturę appetentis ad id, quod expetitur. ibid. proximum principiũ motus. 337.
Ariſtotelicę demonſtrationis, qua conficitur nullum finitum mouere tempore infinito explicatio. 397.
Qua monſtratur primum motorem nõ habere finitam magnitudinem, explanatio. 399.
Ariſtoteles cur Dæmones non fuerit contemplatus. 275.
Cur in lib. 8. phyſ. aſſumpſerit primum mouens mouere per modum cauſæ efficientis. 318.
Data opera de prouidentia non tractauit. 426.
De incantationibus quid fuiſſet ſenſurus, 292. De oraculis interrogatus quid reſpondiſſet. 298.

INDEX.

De ſtatuarum reſponſionibus rogatus quid dixiſſet. 299. quid de prouidentia ſenſerit opiniones varię. 426.

Idem ſemper iudicium fecit de Deo & mentibus à materia ſeparatis. 285.

Impietatis accuſatus. 382. non ſibi tantum aſſumpſit, vt omnium, quæ fuit contemplatus ſe cauſas certas tradidiſſe crediderit. 305.

Ariſtotelis loci explicatio in lib. 1. de cælo text. 100. 284. in lib. 2. de gen. & int. tex. 61. 367. in lib. 12. poſtnat. tex. 30. 407. tex. 36. 322. ſub exitũ. 325. in lib. 2. polit. cap. 3. 135.

Ariſtotelis loci, in quibus Dæmones fuerunt ſignificati. 271. in quibus Dæmonum facta eſt mentio. 270. & horum explicationes. 272.

Aſclepij abſurda opinio de ſtatuarum cõfectione. 299.

Bacchæ vnde extiterint. 296.

Beſtiæ in quauis animi affectione habent vim naturalem. 364.
multa prudenter faciunt. 360.

Boni eſt ſeſe effundere. 332. & 425.

Bonum proximè peperit terminum ac infinitatem, quid ſignificet Platoni. 369.

Caballiſtarum opinio de cauſa incantationum. 290.
Quòd ex Deo & materia ſint omnia conflata. 417.

Caſu non conſtat omne, quod cauſa caret. 402.
Qua conſtent. ibid.

Cauſa & effectum ſic inter ſe affecta, vt alterum in altero eluceat. 372.
In ſua virtute effectum ſimul totũ continet. 403. 405. proxima ſemper quærenda. 296. quo modo fungatur ſuo munere, non ſemper ſcitur. 301.

Cauſa efficiens agit motu. 444. proxima ſimilis ei, quod fit. 334. quorum ſit, 445. tempore antegreditur id, cuius eſt cauſa. 328. 445. ſupra naturam ignota Ariſtoteli. 446.

Cauſæ effectricis munus. 444.

Cauſæ effectrices cur ſuam conſeruant operam. 325.

Circuli principium, medium, & finis in centro. 450.

Circulo quod mouetur, cur motu inceſſabili poſſit moueri. 450.
mouetur non ad finem, ſed circa finem. ibidem.

Cælum cauſſa efficiens communis, & longinqua. 286.
cognoſcatne ſubiecta ſua cura. 438.
eſt animatum verè intelligente anima. 314.
mouens primum per medium cauſæ effectricis. 314.
mouetur concitatum amore rei à materia ſeparata. 315.
prouidet rebus caducis non per ſe, & ex primo inſtituto. 436.
non temerè ac fortuito. ibidem.
ex ſecundo inſtituto. 437.
verè ac propriè. ibidem.
quamuis finitum, à Deo tamen poteſt accipere infinitatem. 433.
quo cognitionis modo cognoſcat ſenſibilia de ſententia quorundam. 440.
vt res caducas gubernet, nulla opus labet harum cognitione. 440.

Cæli anima nõ poteſt præbere motum infinitum. 392. 405.
motus cur non fiat temporis momento. 413.
motus ex duobus motoribus pẽdet. 390
natura ſimul caduca & immortalis, & quo modo. 433.

Cælo motionis æternæ cauſa non eſt anima. 317. quid ſit. 316.
tanquam finis mens à materia ſeparata. 316.

Cæli animati verè anima intelligens. 274. Cognoſcunt ſenſibilia alia ratione, quàm ſenſu. 307.

Deo ſimiles efficiuntur motu in orbem. 449. Diſſimiliter cur moueãtur. 380
medij interiecti inter mentem à materia ſeparatam & corpora caduca. 280.

Men-

INDEX.

Mente præditi. 274.
mouentur & propter ſe, & propter caduca. 452.
mouentur nõ quærentes finem nouum. ibidem.
Nobiliores, quàm ſenſũ requirãt. 307
vocati dæmonij. 274.
Cœlorum bonum in Dei imitatione poſitum. 450.
perfectio poſita in motu. 452.
Cœlos eſſe animatos, & qua anima animatos ex quo Ariſtotelis loco maximè conſtet. 324.
Compoſitio nulla ex ſolis vel ſimilibus, vel diſſimilibus. 453.
Conſilium ad quæ pertineat. 441.
Creatio an requirat vim ſimpliciter infinitam. 414.
Corporum naturalium incognita Ariſtoteli. 414. 445.
Dæmon animal immortale. 265.
corpore impatibilis, animo patibilis. 266.
Diſcurrit adeo celeriter, vt ſine diſcurſu videatur intelligere. 265.
intelligens animal cur. ibidem.
inter Deos & homines cur medius interiectus. 266.
nuncius inter Deos & homines. ibidem.
quid. 265.
Dæmones ab Ariſtotele nec poſiti, nec eiecti. 269.
Angeli in ſacris literis vocantur. 283.
aut Dij, aut Deorum filij. 272.
corporei non conſentiunt cum Ariſtotelis doctrina. 276.
duo nobis impertiti. 279.
hominibus præſident. 266.
incorporei Ariſtoteli incogniti. 282.
inducì poſſunt duobus modis. 270.
non ſunt cauſa, cur mulieres varijs linguis loquantur. 299.
non intelligunt res caducas per eſſentiam. 303. neq; per ſpecies. 304.
non ſunt hominum cuſtodes. 278.
non ſunt mentes Ariſtotelica cœlis præſidentes. 283.
non ſunt nuncij Deorum. 280.
numero an ſpecie ſint differentes. 305.
qua ratione intelligant res caducas, non poteſt intelligi. 303.
quibus argumentis inducantur. 267.
quo modo alia à ſe cognoſcant, controuerſum. 308.
veluti vinculum, quo Dij, & homines inter ſe iunguntur. 267.
Dæmonum effecta varia. 268.
interitus. 277. officia. 283.
Dæmonibus idem non eſt ſubſtantia & actus intelligendi. 308.
Mentes duæ tributæ. 310.
morborũ curationes nõ tribuendæ. 295.
Dæmones eſſe an poſſit perſuaderi ex mulieribus imperitis Hebraicè, Græcè, & Latinè loquentibus. 300.
Deliberare quorum ſit. 441.
Deus ad agendum cum cauſis ſecundis conuenit. 447.
agatne more naturæ, vel per modum liberæ voluntatis de ſententia Ariſtotelis non eſt quærendum. 423.
cauſa efficiens ſi ſit, ſimplici emanatione efficiet. 445.
contemplationi dumtaxat vacat ſine vlla ad externas actiones deflexione. 336.
Creator rerum omnium. 447.
cur agat extra ſe. 425.
cur agat neceſſitate naturali de ſententia Ariſtotelis, in quo conſiſtat. 423
finis rerum omnium communis. 448.
liberè verſatur in ijs effectionibus, quibus efficitur quippiã extra ipſũ. 424.
non agit contingenter, nec more naturæ. 424.
non agit neceſſariè. 425.
non efficit omnia per ſe ſolus ſine cauſis ſecundis. 417.
non eſt cauſa efficiens corporum æternorum. 444.
non eſt cauſa efficiens corporum naturalium. 443.
non eſt cauſa efficiens eorũ, quæ in tempore generantur. 443.

non

non prouidet per modum cauſæ efficientis de ſententia Ariſtotelis. 442.
non tribuit æternitatem rebus ſuâ naturâ illam reſpuentibus. 434.
operam ſuam ponit in quibuslibet rebus efficiendis. 448.
optimè ſe habet abſq; vlla actione exteriore. 336.
per modum finis conſeruat, & regit vniuerſum. 449. poteſt in materia facere omnes formas abſq; vllius cauſæ proximæ miniſterio. 354.
qua ratione in ſuis functionibus verſetur. 424.
quo modo cum cauſis ſecundis conueniat ad agendū opiniones variæ. 447
quo modo ſimilis rebus omnibus. 354.
quo pacto liberè non agat. 426.
quot & quibus modis poſſit induci cauſa efficiens. 442.
ſolus eſt ſimpliciter ſuum eſſe, 369.
vt agat neceſſariò, 423.
vt prouideat. 442.
Dei eſt ſingula facere apud Mercurium, 417. functio quæ. 336.
infinitas cuius modi ſit, 393.
maieſtas. 419.
libertas immutabilis. 423.
prouidentia ſine conſilio & ratiocinatione. 441.
voluntas non eſt recens. 422.
voluntatem, qua recens aliquod fit, non conſtare ab æternis ſeculis quæ videantur perſuadere, ibidem.
voluntate æterna aliquod recens poteſt effici. 423.
Deo nihil tributum ab Ariſtotele, quod non conueniat mentibus calorum motricibus. 284.
Deum agere more naturæ quæ videntur perſuadere de ſententia Ariſtotelis, 420. efficere omnia cauſis ſecundis nullam operam conferentibus quo argumento nonnulli crediderint. 416.
in corpora vatum ſe immittere, horūq; ore loqui puerile. 297.
omnia experiri. 448.
qui admiſcet humanis neceſſitatibus nullam habet Dei maieſtatis rationem. 297.
ratiocinari, & de rebus agendis deliberare nefas. 423.
Dij corpore & animo impatibiles. 266. ſine diſcurſu intelligunt. 265.
Deorum multitudinem non admittit Ariſtoteles. 375.
Diſcrimen inter formam & cauſam efficientem. 358.
poteſtatum, quarum altera eſt in magnitudine, & altera à magnitudine ſeiuncta. 344.
Diuinatio à veteribus dicta mania, & cur. 296.
Elementa cur in vniuerſo locum obtinuerint. 282. ſine animalibus ſatis habent ornamenti. ibidem.
Elementorum mixtioni locus accommodatus. ibidem.
Eudaimon quis. 273.
Finis anteſtat ijs omnibus, quæ ſunt gratia ipſius. 315.
bipartitò diuiditur. 321.
cauſa effectrix poteſt appellari. 331.
principium motus. 339.
quo modo moueat per modum finis, & per modum efficientis. 325.
vnus ad ſe multa aptus allicere. 367.
Finis proprium mouere, cùm ſit immobilis. 367.
Fine ablato aboletur functio illius gratia ſuſcepta. 448.
Fines agentium naturalium actionibus conſtituti varij. ibidem.
omnes ad vnum ſupremum finem referuntur. ibidem.
Finitum & infinitum affectiones quantitatis. 342.
aliquo pacto tribui poſſunt ijs, quæ vacant corpore. ibidem.
Finitum non poteſt efficere motum infinitum. 327.
Forma contrahit materiam. 403.
naturæ indefinitæ. ibidem.
naturalis à quibus producatur. 384.

neceſſariò connexa cum materia apparatu. 356.
omnis terminus. 385. 415.
producitur in materia alteratione. 356
Forma ortus non eſt creatio. 419.
Formam quod tribuit, tribuit omnia, quæ formam comitantur. 329.
Forma veluti numeri. 385. 415.
Generabilia & corruptibilia cur numero multa. 305.
Generans materiam mutat extrahens id quod eſt poteſtate, in actum. 352.
Generatio cur data rebus caducis. 305.
Generatione id tantum fit, quod eſt hoc aliquid. 353.
Gnoſtici à Plotino caſtigati. 295.
Græci Ariſtotelis interpretes ſenſerunt vim primi motoris eſſe ſimpliciter infinitam. 387.
Halitus nonnulli in corpore admiſſi vim præſtant ad futura præſentienda. 296. 297.
Halituum vis magna. 297.
Hebraica lingua, quæ vſus fuit Adamus, his temporibus incognita. 290.
Hebraici characteres non proprij linguæ Hebraicæ. 290.
Hippocrates naturam appellauit doctam, & indoctam. 366.
Hippotamus magiſter ſecãdæ venæ. 360.
Homo cur parum mundus. 338.
Eudaimon quis. 279.
magnum vniuerſum. 338.
vnus non eſt per eſſe alterius hominis. 359.
Hominis animi affectiones cur patiantur, 266.
ingenio clari melancholici. 300.
medij interiecti inter Deos cæleſtes & brutas animantes. 280. 281.
Hominum genus aut vnum ex omnibus animalibus particeps diuinitatis, aut omnium maximè. 277.
Hominibus cur Dæmones præſideãt. 266.
Hominibus, quos vocant Ophiogenes, vis data contra ictus ſerpentum. 293.
Ibis docuit alui ablutionem. 360.
Idæa ab Ariſtotele confutata. 357.
Imaginatio curationis morborum quandoq; cauſa. 294.
non poteſt mouere, quod procul eſt abimmotum. 292.
vehemens cauſa incantationum ex ſententia Auicennæ. 290.
Imaginationis vis de ſententia Auicennæ. 290.
Imaginatrix in nobis principium motus quandoq;. 337.
Impetus naturæ in beſtijs, mixtisq; inanimis ipſorum natura. 363.
Inanimum nullum animato præſtabilius. 315.
Incantationes non contemnendæ. 289. quandoq; ex vi imaginatrice. 293.
vt plurimum fraude & malitia fictæ. 292.
Incantationum cauſa de ſententia Auicennæ. 290.
opera quandoq; ex naturalibus proprietatibus. 293.
opera quædam ex conſenſu & diſſenſu rerum naturalium. 292. vis. 289.
vis an ex verbis exiſtat. 290.
Incantatorum carmina aduerſus morbos valent. 289.
verba animalibus noxia. ibidem.
verbis elementa parent. 289.
Infinita vis ſimul tota non poteſt ineſſe in finita magnitudinis corpore. 330.
Infinitæ poteſtatis vocabuli notio duplex. 347.
Infinitæ virtutis diſtributio. 342.
Infinitas fluens pendet ex infinitate ſimpliciter, & tota ſimul in ſeſe collecta. 393. propoſita Ariſtoteli ſub exitum lib. 8. phyſ. qua ſit. 396. 406.
ſimpliciter & tota ſimul in ſeſe collecta non poteſt eſſe in finita magnitudinis corporibus. 416.
ſine fine temporis non conſiſtit abſq; infinitate ſimpliciter. 403.
Infiniti attributa. 385.
Infinito nihil maius. 388.
Influxus Ariſtoteli obſcuri. 295.

Inſtigationum duplex genus. 363.
Inſtinctus naturæ non eſt motus partium in animali. ibidem.
nõ eſt operatio phãtaſiæ. 362. quid. 363
Inſtinctus naturæ diffinitio reprehenſa. 362.
Intelligentia non eſt verè motus. 323.
Interitus quod eſt capax ſuâ naturâ, id ne intereat, nequit prohiberi. 277.
Lationis vocabulo propriè ſignificatur recta latio. 287.
Latione quæ corpora cieantur. ibid.
Libera agendi facultas cuius ſit. 421.
Libri de ſecretiore ſecundum Aegyptios philoſophia non ſunt Ariſtotelis, aut nõ ex animo ſcripti ab Ariſtotele. 270
Locus propriè & per ſe non eſt calorum, 287. quorum corporum ſit. ibidem.
Magia tripartitò diuiſa. 288. mathematica. 289. naturalis. ibid. ſupernaturalis. ibidem.
Maracus Syracuſanus poeta præſtantior dum mente alienaretur. 296.
Marſis populis virus exitiale ſerpentibus ingenitum. 293.
Materia contrahit formam. 403. natura indefinita. ibidem.
Materiam eſſe inducendam ex contrarietate Ariſtoteles confecit. 306. parans, & formam educens idem. 353. quod mutat, corpus eſt. 284.
Mens actiua non ſemper eſt principium motus. 337.
Mens eſt Dæmon de ſententia Porphyrij. 279. non eſt in nobis per modum formæ aſſidentis. 358. vna ab Auerroe poſita in omnibus hominibus caſtigatur. 357.
Mens non errans quibus inducatur. 360. quibus eijciatur. 361.
Mens prima non eſt cauſa reliquarum effectrix. 373.
Mens contemplatrix animæ vis præſtantiſſima. 337.
non eſt principium motus. ibid.
Mens à materia ſeparata cælo tanquam finis conſtituta. 316.
cælum mouet per modum finis, & non per modum veri efficientis. 320.
inducenda, & vt ſit finis, cuius gratia cælum mouetur: & vt in cælo ſit cauſa motus perpetui. 317.
non eadem ratione expetitur ab omnibus cælis. 379.
nõ eſt ſibi ipſa propoſita veluti finis. 328
non habet vim mutandi materiã. 284
non poteſt munus generantis obire. 352
vnica eſt ponenda. 366.
vt ſit vna, & vt diducatur in multas. 379.
Mentis ſeparatæ attributa varia. 332.
Mentem ſeparatam mouere per modum efficientis an ex eius attributis colligatur. 335.
Mentes ſeparatæ ab Ariſtotele ita inducuntur, vt ſe ipſis conſtantes optimè ſe habeant. 371.
imperium exercent in res omnes naturales ſecundum Auicennam. 291.
numero quot ſint, varia opiniones. 347.
Mentes ſeparatæ poſt primam neceſſariò intelligunt primam. 371.
non fuerunt inuentæ ratione diuerſa ab ea, qua prima fuit inueſtigata. 377
non poſſunt vllam formam proximè educere ex materia poteſtate. 354.
quo modo intelligant id, quod eſt ſupra ſe, & id, quod eſt infra. 377.
quo modo intelligant primam non poteſt ex Ariſtotele intelligi. 373.
quo modo verſentur in prima contemplanda. 371.
Mentium ſeparatarum eſt nullo loco contineri. 369.
Mentium ſeparatarum poſt primam compoſitio varia à varijs poſita. 369.
emanatio à Deo de ſententia Auicennæ. 349.
de ſententia Algazelis, & Alpharabij. 350.
Morborum profligãdorum vim nihil prohibet ex naturali proprietate exiſtere. 293.
Mores ſunt Dæmones ex Heraclito. 279.

Mo-

Motor immobilis nullo alio modo poteſt mouere, quàm eo, quo res amata mouet amantem. 330.
Motor per modum finis priſcis philoſophis incognitus. 346.
Motor primus an moueat in tẽpore. 412.
an poſſit mouere temporis momento. ibi.
cauſſa communiſſima. 416.
cur ſit à materia ſolutus, cauſa. 408.
per modum cauſæ effectricis in doctrina Ariſtotelis non eſt penitus immobilis. 314.
ſi eſſet in magnitudine, moueret per modum efficientis. 345.
Motoris primi infinitas cuius modi. 403.
infinitas eſt infinitas ſimpliciter, tota ſimul in ſeſe collecta. 404.
infinitas non rectè vocatur infinitas tẽporis. ibid.
poteſtas non rectè dicitur roboris poteſtas. 404.
vis infinita non eſt vis agendi. 415.
Motori primo minus propriè tribuitur poteſtas. 404.
quibus argumentis eripiatur vis ſimpliciter infinita. 383.
Motorem primum habere vim infinitam, quia mouet tempore infinito, quo modo ſequatur. 401.
Motus cur nequeat temporis momẽto fieri. 412. duplex. 306.
& terminus ab eadem cauſa. 336.
poſtulat tempus, quo agatur. 328.
ſi non haberet partium ſucceſſionem, fieret temporis momento. 404.
Motus æternitas Ariſtoteli ratio inueſtiganda ſubſtantiæ à materia ſeparatæ. 307.
ad quas ſubſtantias immateriatas inducendas valeat. ibidem.
Motum efficiendi rationes duæ. 345.
Mouens primum vt vnum, & vt multiplex. 380.
qua ratione incurrat in laſſitudinem. 343.
quod mouetur ex accidenti, cur non poſſit tribuere motũ ſempiternũ. 409
ſempiterno tempore primum, & ex alio non pendens habet vim ſimpliciter infinitam. 406.
Mouentia more naturæ mouent, quantũ poſſunt. 343.
Mulieres imperitæ, quòd Græcè, Hebraicè, & Latinè loquantur, vnde exiſtat. 300.
Mundus an indigeat prouidentia, cùm ſuâ naturâ ſit æternus. 430.
non agit extrinſecus. 336.
ſuâ naturâ caducus, vt fiat immortalis. 431.
Mundi ſalus in quo poſita. 428. 454.
Mundi cur non multi. 305.
Natura agit ordinatè, quãuis ſit expers intelligentiæ. 365.
cauſſa ordinis. 364.
cur Dæmonia vocetur. 274.
cur docta, & cur rudis ab Hippocrate dicta 366.
non eodem modo principium motus in caducis, & in æternis. 451.
non regitur à Dæmonibus. 273.
non patitur quippiam, cuius nulla ſit actio, nullumq; opus. 386.
quo modo progrediatur. 267.
Naturâ quæ conſtituuntur, cur ratione confici dicantur. 365.
Neceſſitas eorum, quæ ſunt propter finem, ex fine ſumitur. 381.
Notitia cuiuſq; rei nititur cognitione propriæ naturæ, & quidditatis. 373.
Numenius Deum induxit ab omni opere ceſſantem. 337.
Numerus nullus infinitus. 381.
Septenarius Dei ſimilitudo. 337.
Numero differentia, materia differre, quo modo intelligendum. 306.
multa eſſe, in quibus materia eſt multa, in quibus accipiendum. 305.
multa ſub eadem ſpecie interitui obnoxia. 279.
vnum eſſe illa, quorũ materia eſt vna, in quibus intelligendum. 306.
Oenomaus de oraculis quid ſenſerit. 298.
Ophiogenes habebant vim contra ſerpentium

tum iſtius. 293.
Opus habentis perfectio in opere. 383.
Operis gratia id eſt, cuius eſt opus. ibid.
Optimè ſe habens bonum habet ſine vlla actione. 135.
Optimum & expetendum quod eſt à materia ſeparatum. 347.
Oracula ex influxibus nõ extiterũt. 295.
Oraculorũ cauſa tributa halitibus e terra exhalantibus; & humori melancholico. 296. defectus cauſa. 298.
Oracula eſſe hominum cõmenta & fraude reddita Ariſtoteles dixiſſet. ibid.
Oraculis mulier melancholica cur apta. ibidem. Sacerdos propoſita quo modo dabat reſponſa. 296.
Ordinare opus mentis. 360.
Ordo eſt ratio. 374.
naturæ prorius. 364.
rerum ſenſilium natura. 428.
ſalus vniuerſi. 418.
Ordinis eſſentia in quo poſita. 455.
incolumitas ex fine. ibidem.
ratio in ijs, quorum natura ſunt diſſimiles, in quo. 418.
Paſſionum genus duplex. 266.
Perfectio cuiuſq; rei tribus cõtinetur. 332
quæ cum multis poteſt communicari, maior in multis, quàm in vno. 374.
Periaptis non fidendum. 294.
Perturbationes animæ appetentis motiones. 277.
Philoſophi primi eſt aperire modum, quo mouet primum mouens. 319.
Philoſophi priſci rationem mouendi per modum finis neglexerunt, aut veriùs ignorarunt. 318.
Platonici Deum primum appellant Vnũ & Bonum. 337.
Poli cur non moueant cælos. 326.
Poteſtas tempore anteuertit actum in eodem. 444.
Propenſio ad bonum omnibus ingenerata. 452.
Proprietatis efficiens eius, cuius eſt proprietas, efficiens quoq;. 329.
Prouidentia cur græcè pronoia. 436.
cur habeat hanc appellationem. ibid.
per accidens non eſt vera & propria prouidentia. 437.
pertinet ad res mortales propriè. 434.
quid. 436. rerum caducarum cælis præcipuè credita, & cur. ibidem.
Prouidentia cæleſtis cuius modi ſit. 437.
vniuerſa & generalis. 439.
Prouidentiæ modi varij. 435.
nomen nunquam vſurpatum ab Ariſtotele. 428.
Prouidentiæ Ariſtoteles omnia ſubiecit. 428. & æterna, & caduca. 431.
Prouidentiæ caduca & æterna non eodem modo ſubijciuntur. 428.
Prouidendi modus varius. 435.
ex ratione ſecunda multiplex. 436.
per accidens. 435. per ſe. ibid.
Prouidendi ratio cæleſtium corporum verior prouidendi ratione primi motoris. 434.
naturalis quo modo definienda. 440.
quæ cum cognitione, & quæ ſine cognitione. 440. varia. ibidem.
Prouidere quid. 441.
Pſyllis virus exitiale ſerpentibus ingenitum. 293.
Pythagoras Deũ quo modo finiuerit. 417
Pythia hauſto halitu e terra exhalante oracula edebat. 297.
Quicquid efficienter corpus mutat, id eſt corpus, aut corporis virtus. 288.
Rerum plurimarum vſus ignoratur. 304.
Sanitas reſtituta ab imaginatione. 294.
Scientia non eſt reminiſcentia Ariſtoteli. 358.
Senſus Dæmonibus nõ impertiendus. 276 tutelæ & ſalutis gratia datus. ibid.
Senſu animal conſtituitur. 265.
Sentiendi actus non ſine aliqua corporis parte, quæ miniſtret, obitur. 276.
Simplex corpus non poteſt habere tactũ. 277.
Singularia trifariam poſſunt apprehendi. 439.
Socrates accuſatus à Melito vt ſe defenderit. 272.

Sem-

INDEX.

Somnia cur vocentur damonia. 274.
non mittuntur à Deo, neq; à Damonibus. 273.
Species ingenerate in Damonibus quales. 309.
ſubeantne mutationem. 311.
Sphara octaua non eſt in loco. 287.
Sphare erratice motu diurno à quo moueantur. 410.
per accidens mouentur. ibidem.
Statuarum reſponſiones vnde exiſtere dixiſſet Ariſtoteles. 299.
Stellæ Deorum appellationem cur reportauerint. 265.
loco numinum habitæ. 288.
Stellarum influxus indigni, quibus Ariſtoteles aſſentiretur. 295.
Stellis corpus nullum diuinius. 288.
Subſtantia compoſita eſt id, quod generatur. 419.
ſimpliciter infinita non poteſt in multas diduci. 374.
ſeparata à materia quot quibuſq; modis poſſit poni principium motus ſempiterni. 312.
Subſtantiæ à materia ſeparatæ inueſtiganda ratio motus æternitas Ariſtotelis. 307.
inducenda rationes duæ ductæ ex motus æternitate. 312.
Sybilla vnde extiterint. 296.
Tactus corporum prorſus. 284.
Tactus virtutis quid ſit, obſcurum. 326.
Totum idem, quod omnes partes vnà iuncta. 398.
Vini vis magna. 301.
Virtus quot modis accipiat diuiſionẽ. 398
ſuâ naturâ finita an poſſit ſuſcipere infinitatem. 432.
Virtutes à ſtellis demiſſæ pro nihilo habitæ ab Ariſtotele. 292.
calorum motrices in duo genera diſtribuuntur. 331.
corporeæ finitæ, quæ infinitatem ab alio poſſint accipere, & quæ non. 433.
ex corpore pendentes ſunt maiores in maioribus corporibus, creſcuntq; corporibus creſcentibus. 388.
ex corporibus pendentes vim mouendi finitam habent. 389.
rebus cunctis à natura impertita, quibus ad bona & ſalutaria inuitantur. 361.
Virtutis partes intenſionis, & extenſionis quæ. 398.
Virtutum corporearum finitarum genera duo. 432.
Vis magnitudini hærens an poſſit mouere tempore infinito. 409.
non poteſt eſſe prima radix, primumq; principium motus æterni. 416.
non poteſt mouere motu æterno vel tanquam inſtrumentum, vel tanquam cauſa aliunde pendens. ibidem.
Viſionem fieri radiorum emiſſione Ariſtoteli improbabile. 319.
Vniuerſitas rerum cur vniuerſum, & mundus appelletur. 268.
ſalutem in ordine habet poſitam. 418.
Vniuerſi conſtitutio. 333.
Voluntas æterna aliquod recens poteſt efficere. 425.
Vnum numero non eſt in multis. 357.
ſunt illa, quorum materia eſt vna, de quibus accipiendum. 306.
Vnum per ſe non fit ex duobus actu exiſtentibus. 353.
Vſus rerum plurimarum ignotus. 304.
Xenocrates dixit animum vnicuiq; eſſe damonem. 273.
quem dixerit eſſe eudaimona. ibidem.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA sic Corrigito.

Pag.9. Lin.15. peterit, poterit. p.17. lin.12. conficiant, conficiunt. pag.22. lin.19. cognita, cognitu. p.24. lin.21. et, eſt. p.27. lin.11. re, ac. p.28. lin.23. et, eſt. p.30. lin.28. veluerit, voluerit. p.37. lin.15. naturæ, natura. p.54. lin.7. alis, aliùs. lin.13. luci.dinaturâ, lucidi natura. p.63. lin.20. lumeu couijcere, lumen conijcere. p.65. lin. 8. Ariſtoteles, Ariſtotelem. p.72.lin.33. totam lineam dele. p.73.lin.16.taſtantur, teſtantur. p.74.lin.1.&, ſe. p.76.lin.12. Vaeſius, Valleſius. p.79.lin.11. &, eſt. p.81.lin.1. &, eſt. p.88.lin.15.ſunt, ſecus. p.89.lin.26. dubitaiioni, dubitationi. p.99.lin.12. viſibilez, viſibilis. p.102. lin.25. intellexerint, intellexerit. p.105. lin.30. diligere, deligere. p.112. lin.16. ipſam, ipſarum. p.116.lin.12. eſſe, eſſet. p.118.lin.6.actus, tactus. p.123.lin.21.Propterea, Præterea. p.134.lin.9.eſt, &. p.140.lin.33.qua, quo. p.148.lin.28.conſtituat, conſtituant. p.156.lin.32.quò, qui. p.160.lin.7. patafacta, patefacta. p.191.lin.22. intelligibilis, intelligibiles. p.197.lin.5.intellûgitur, intelliguntur. lin.16.pete- pote- p.199.lin.9.potaſtate, poteſtate. p.128.lin.21. imprimantur, imprimatur. p.140.lin.4.noſtra, noſtra mente. p.155.lin.10. formandum, formandam. p.273.lin.22.diuinitate, diuinatione. p.276.li.15. conſentiant, conſentiat. p.281.lin.6.meditatores, mediatores. lin.27. laqj lamqj. p.295.lin.11.diſſenſibas, diſſenſibus. p.297.li 29.qui elati, dele qui. p.303.lin.7.impatibiles, impartibiles. lin.27.comprehenſus, cõprehenſas. p.320.lin.16.haud quamquam, haudquaquam. p.340.lin.23. cæleſti, adde efficit. lin.32.poteſtate, poteſtatem. p.341.lin.12. vis, adde ſi. p.343.li.5: tributarum, tributurum. p.350.lin.24.Algazeles dele. p.358.lin.18 ſcien tiam, ſcientia. p.360.lin.17. animantiam, animantium. lin. 23. aguntur, agunt. p.378.lin.2.connexa, connexum. p.381.lin.20. 12, 128. p.385.li.9. atque, atqui. p.393.lin.18.finitas, infinitas. p.429.lin.21.nimbiũ, nubium. p.432.lin.24.erit, iri. p.437.lin.7.quod eſſe, quod eſt eſſe. p.439. lin.11. amplexa, amplexu. p.440.lin.31.oportet, oportet. p.443. lin.13. ij, ijs.

Pag 4.lin.5. ἀγγὴ & φεῖγυσ, corrige ἀυγὴ & φεῖγγοσ.
pag.85.lin.27. ἄνθῃ, ἄν θῃ. pag.130.lin.16. διηχεῖτ, διηχῆν.

Digitized by Google

ALFONSO STROZZÆ
Comiti Illuſtriſsimo.

Thomas Giannintus F.

QVAMVIS in hac ampliſsima rerũ vniuerſitate nulla ſit res, in qua non mirandum aliquod inſit, attamen Alfonſe Strozza Comes Illuſtriſsime, admirabile eſt, quantum inter omnes vna excellat luminis natura, nam vt mittam lumine nihil reperiri ad aſpectum mouendum iucundius, ad animum oblectandum ſuauius, ad vtilitatem afferendam fructuoſius, ad homines coniungendos accommodatius, & ad mundum illuſtrandum ornatius, quòd hæc notiora ſint, quàm vt commemorentur, hoc vnum dicam. Cùm in animis noſtris inſita ſit cupiditas Dei inſpectionis, ad quam geniti ſumus, atq; hanc nemo ſibi poſsit polliceri ſenſuum caligine circumfuſus, & propterea ne illa in nobis irrita, vanaq; ſit, ad Dei opera neceſſe ſit aſpectum conuertere, atq; ex his, quantum fas eſt, opificis maieſtatem intelligere, nullum eſt in hoc naturæ theatro Dei opus, in quo æquè, ac in lumine ipſius impreſſa veſtigia conſpiciantur, vt verè dici poſsit lumen veluti ſigillum fuiſſe à ſummo rerũ Conditore factum, à quo diuinæ naturæ ſpecies ac

ſimi-

similitudo in animis nostris imprimeretur. Cùm igitur tam magna & excellens sit luminis præstantia, disputationem de illius vi & officijs iure ac merito Tibi dico Vir præclarissime, qui nõ solùm stirpis fulgore colluces, verùm etiã ijs virtutibus splendescis, quæ omnibus notæ, & latè longeq; diffusæ Senatum Ferrariensem semel atq; iterũ impulerunt, & Te eligeret, cuius fidei singulari, & prudenti cõsilio ciuitas committeretur, quo munere adeo præclarè functus es, vt expectationi, quam de Te ingentem & nobilem excitaueras, mirificè satisfeceris. Hinc verò disputationem ita accipies velim, vt ex ea intelligas, quicquid à Te in me collatum est, id in gratissimum hominem, omniaq; Tibi officia debere confitentem collatum fuisse. Vale Ferrariæ lumen, Tibiq; persuade me in Te colendo nemini concedere.

Digitized by Google

THOMAE GIANINII FERRARIENSIS,

DE LVMINE, ET SPECIEBVS SPIRITALIBVS.

DISPVTATIO ARISTOTELICA.

PRÆFATIO.

INTER functiones, quæ multæ, ac præclaræ fluunt ab anima noſtra, duæ ſumma omnium conſenſione eminent, cæterisq; antecellunt, viſio & intelligentia, illam non ſine lumine obiri ſenſus confirmat, hãc diuini numinis, quod Peripatetici appellant mentem effectricem, operam poſtulare Ariſtoteles ſtatuit. Verùm quale & quod munus mens effectrix in

actu intelligendi, & lumen in visione exequatur, & quæ sit huius & illius natura, tam obscurum est, quàm quod maximè. Quapropter animum induxi operam meam in his explicandis locare, cũctisq; viribus conari, vt his quantum in me est, lucem aliquam afferam, ne si in tenebris penitus iaceant, præclarissimæ animi nostri functiones lateant obscura caligine circumfusæ. Onus magnum mihi sanè imposui, at dignum, quòd à me, & ab omnibus philosophiæ studiosis libenti animo sustineatur. Initium autem erit à lumine, quod nobis primùm occurrit, quodq; Aristoteli visum est idoneum, quo mentis effectricis officium illustraretur.

LVMINIS NOMINE QVID Intelligatur, quidq; inter lumen, lucem, radium, & ſplendorem interſit. Cap. 1.

QVAMVIS noſtra cognitio oriatur ex ſenſu, & quò id, quod inquiritur, ſenſui eſt apertius, eò videatur cognitu facilius, attamen diſquiſitio de lumine, quo nihil eſt aſpectabilius, ijs tenebris eſt circunfuſa, vt ferè, aut ne quidem ferè plus habeat obſcuritatis, quàm lumen claritatis. Equidem lumen ſit necne, nemo, cui ſit oculorum vſus, vnquam ambiget, quòd ſine lumine nulla ſit functio oculorum, verùm ſi quid ſit, quiſpiam dicere aggrediatur, nihil afferet, quod non adducat in dubitationem. Verùm quoniam quæcunq; ſunt pulchra, & admirationem excitant, omnia ad ſui cognitionem nos maximè inuitant, nullis deterriti difficultatibus ad pulcherrimam, & admirandam luminis naturam inueſtigãdam noſtrum ſtudium, noſtramq; operam conferemus, quòd ſi eam conſequi fuerit nobis conceſſum, erit, quòd gaudeamus; ſin minus in quæſtione difficilima aliquid temporis conſumpſiſſe, & ingenij vires periclitaſſe, nobis pœnitendum eſſe nunquam putabimus. Cùm quid ſit lumen, ſimus inueſtigaturi, operæ pretium eſt, quid luminis nomine intelligatur, primùm aperire, & nunquid quod luminis voce ſignificatur, idem ſit, quod lucis, aut radij, aut ſplendoris nomine obſignatur. In hac rerum vniuerſitate corpora eſſe, quæ lucent, & perſpicua illuſtrant, quæ vocantur lucida, & à Perſpectiuis fintuntur ſui luminis diffuſiua, non eſt, vt cuiquam dubitandum accidat; verùm quoniam quæ agunt aliquid, ea inſitum habent principium, quo agunt, quodq; eis eſt agendi ratio, in his corporibus aliquod eſt ponendum, quod ſit eis principium lucendi, idq; lux appellatur; quod autem à corpore lucido effunditur, longè lateque diſſeminatum cõplet corpora perſpicua lucidum corpus ambien-

tia, id vocatur lumen; Græci vtrumq; φῶς communi nomine appellant, quos pleriq; latinorum imitati vtrumq; lucis, & luminis nominibus obsignant; verùm lux propriè est vis in corpore lucido, quæ græcè dicitur λυξ, & lumen id, quod à luce emanat, à græcis ἀγγὴ, & φέγγος nominatum. Id si rectà procedat, radius dicitur; sin vero in corpus densum læue, & æquabile incidens ad alterum corpus resiliat, quod afficiat, affectio, quæ hinc existit, splendor nuncupatur. Itaq; lux est qualitas, quæ in lucido corpore existens est principium, quo illud lucet, & lumen ex se fundit; lumen id, quod extra corpus lucidum vndequaq. effunditur ab ipso procedens; radius lumen rectum a lucido corpore effusum; & splendor affectio, quæ existit e radio a læui densoq; corpore inflexo apparens in corpore, in quod radius retrò conuersus incurrit. Porrò & si illud omne, quod effunditur a corpore lucido, appelletur lumen, hoc tamen solet distribui in primum & secundum, illud rectà a corpore lucido manat; hoc extra locum a sole illustratum continetur, fluitq; ex primo, cui obuiam fit corpus aliquod densum, a quo reflectitur: Lumen enim semper inflecti, si in densa corpora incidat, id testatur, quia, vt inquit Aristoteles in lib. 2. de anima 80. non fieret vbiq; lumen, sed solùm in loco solè exposito, huiusq; radijs illustrato & extra hunc essent tenebræ, nec quidquã cerneretur. Lumen igitur, qualecunque fuerit siue primum, siue secundum, quia vnam, & eandem naturam habet in eo solùm, quod est magis, & minus dissentientem, nobis propositum est, quid sit contemplari.

Illorum reprobatio, qui extra vniuersum luminis naturam peruestigarunt. Cap. 2.

IVlianus, & Proclus inter Platonicos non obscurè nominis diffidentes se posse in ijs, quæ mundi amplexu coercentur, naturam luminis reperire cælum transcenderunt, & in ijs, quæ sunt extra mundum, illam quæsiuerunt, ac Iulianus quidem in

lib.

lib. de Sole putauit lumen eſſe diuinæ, imparticipataq; mentis actum per ſolem quaſi per feneſtram effuſum, atq; per omnia porrectum; idemq; Iamblicum ac Phœnices ſenſiſſe tradidit. Hæc diuina imparticipataq; mens eſt illa, quam Platonici tanti æſtimant, vt ſentiant eam conſtituere ſecundum diuinitatis gradũ, rerum omnium ideas in ſe continere, atq; eſſe Dei verbũ, a quo ſcripſit Plato in Epinom. factum fuiſſe hunc mundum aſpectabilem: Atqui de hac mente plura dicere huius non eſt loci, neque temporis. Proclus referente Simplicio in com. lib. 4. Phyſ. in digreſſione de loco quandam immenſam lucis ſpharam extra vniuerſum poſuit, quam putauit omnia huius mundi corpora velutì ipſorum locum in ſe complecti, per omnia diffundi, atque eſſe corpus quoddam immobile ab anima omnium præſtantiſſima, quam Chaldæi nũcuparunt fontanam, quòd omnium animarum ſit fons, animatum. Hæc ſunt improbabilia, & cùm nullis argumentis fuerint confirmata, & extra vniuerſum cogitata, relinquantur ijs, quibus cura eſt multa fingere animo, & quæ cogitando comminiſcuntur, ea eſſe in rerum natura ſibi perſuadere. Sanè luminis naturam inuenire arduum eſt, verùm id, cùm viſu percipiatur, ſitq; corporis naturalis affectio, non eſt, vt fluat à mente ſegregata ab omni materia; neq; poteſt eſſe corpus aliquod immobile extra hunc mundum conſiſtens, cùm extra cœlum non eſſe vllius corporis molem, in lib. 1. de cœlo 97. præclarè fuerit oſtenſum. Equidem Eugubinus in Coſmopœia ſtatuit extra mundum lucem quandam increatam ex Dei eſſentia manantem, in qua Deus ſit, verùm hoc decretum in ſomnijs numeratur a viris præſtantiſſimis, quoniam Deo excepto nulla natura eſt increata, neq; eſt abſq; flagitio extra Deum ponere quippiam ipſi Deo coeternum. Vt igitur natura luminis teneatur, non eſt, vt quis extra vniuerſum peregrinetur, & nos ex hac rerum vniuerſitate non egredientes, & quæ in hac ſunt conſiderantes tenemus, an ex his aliquam de luminis natura fidem poſſimus accipere.

Lu-

Lumen nunquid ſubſtantia ſit. Cap. 3.

QVoniam ſcrutari, quid ſit quippiam, nihil eſt aliud, quàm id, quo pacto ſit definiendum, inquirere; atq; diffinitio ex genere ac differentia coaleſcit, primùm luminis genus eſt inueſtigandum, eoq; inuento conſequens erit differentia inquiſitio. Vt genus luminis habeamus compertum, tenenda eſt illius categoria, hanc autem habere comprehenſam nō caret difficultate, nam cùm decem ſint categoria, extremis quatuor exceptis reliqua de luminis poſſeſſione inter ſe contendunt inimiciſſimè; ſingulas igitur audiemus, & quibus argumentis ſuam cauſſam dicant, & quibus à cauſſa cadere videantur, breuiter perſtringemus. Primùm autem in medium veniat ſubſtantia, quā eſſe primam categoriam nemo non fatetur. Huic lumen eſſe adiudicandum illud perſuadet, quòd cùm lumen ſic in aere fiat, vt illi adſit, & non inſit, quippe quod illius motu non cietur, ſed in ſe manens ex vna aeris parte in aliam immigrat; per ſe ſubſiſtere ſit concludendum, quod autem per ſe ſubſiſtit, id omniū conſenſione in ſubſtantiæ categoria collocatur. Accedit plurimas ſubſtantias fieri a lumine; & id, quod non eſt ſubſtantia, nullam vim continere ſubſtantiam producendi. Caterùm cùm ſubſtantia ita diuidatur, vt alia ſit ſpiritalis, & alia materialis, nonnulli è Platonis ſchola voluerunt lumen eſſe ſubſtantiam ſpiritalem, omniq; materia vacuam, quippe quod temporis momento & à corpore lucido effunditur, & per aerem diffunditur, atq; corporibus materiatis admiſceatur, corporaq; materiata permeat: & verò hæc lumini non fuiſſent a natura data, niſi eius ſubſtantia eſſet ſpiritalis, & a materia ſoluta; quod enim materiam habet coniunctam, id, vt fiat, tempus requirit, neq; poteſt materiatum quippiam permeare, quòd materia, quæ nunquam eſt ſine quantitate, nequeat materiam penetrare. Alij verò cernentes lumen ſubſtantijs materiatis generandis proximè conducere,

cere, atque existimantes causſam proximè efficientem illi, quod efficitur, ſimilem eße illud in ſubſtantijs materiatis numerarunt: qui inter ſe ſunt diuiſi; nam quidam luminis naturam poſuerũt ſine corpore, queniam omnia corpora peruadit, nullaq; foramina requirit, vt per hæc intendatur; & alij corpus atque ignem eſſe exiſtimarunt, quando quidem ſibi vim aſſerat calefaciendi, quæ ſic eſt propria ignis, vt nihil, quod non ſit ignis, aut igneũ, eam poſſit continere; atq; ex horum numero ſunt, qui Platonem eſſe velint, quòd is ſcripſerit in Timæo lumen eſſe quãdam ignis ſpeciem. Præter hos nonnulli extiterunt, qui Alberto in lib. 2. de anima tract. 3. cap. 10. atteſtante dixerunt lumen eſſe corpus de genere ſubſtantiæ, atq; omnino indiuiduum: Quod hos impulit, vt de lumine ita ſentirent, hoc vel maximè fuit: In hac rerum vniuerſitate quemadmodum poſita eſt materia, cuius eſt moueri, ita vnum corpus eſt ponendum, cuius ſit materiam mouere, idq; cælum eſt: verùm cùm cæleſte corpus ſit longè poſitum a materia, & quod mouet, id non moueat, niſi tangat id, quod mouetur, quippiam a cælo demittatur, oportet, quod tangendo moueat materiam: id autem vel erit corpus, vel forma ſiue accidens corporis cæleſtis, quòd hæc ſola videantur apta, quæ demittantur a corpore: cæterùm quia abſurdum eſt formam deſerere id, cuius eſt forma, & accidens extra illud progredi, cuius eſt accidens, conficitur, quod à cælo decidit, id corporis naturam habere; cùm verò lumen fluat a cælo, atq; lumine cælum materiam moueat, lumen erit corpus, non quidem diuiduũ, ſed indiuiduum, tum quia duo corpora diuidua, dimenſionibuſq; diſtincta nequeunt eodem in loco contineri, & duo, pluraq; lumina occupant vnum eundemq; locum; tum etiam quoniam lumen temporis momento diffunditur, id quod diuiduo corpori non contingit. Omnes hæ opiniones ſunt vitioſæ, duæq; reprehenſiones omnium ſunt communes; vna, quòd nefas ſit lumen in ſubſtantijs numerari, quarum eã eſt natura, vt non ſint in ſubiecto, & lumen ſic eſt in corpore perſpicuo, vt ſine ipſo nec

fiat,

fiat, nec existat, abeatq; ipso incolumi salvoq; manente: altera, quia si lumen sit substantia, nulla ratio potest reddi, cur vel breui tempore non maneat abeunte eo, à quo effunditur. Quòd si dixerint lumen continuò perire, quòd assidua refectione egeat; cur corpus, à quo fluit, non absumitur, si fit ab eo perennis defluxus, quo lumen continenter reficitur? Sed & praeter has reprehensiones aliæ sunt, quæ singularum opinionum sunt propriæ. Et primùm lumen non esse substantiam spiritalem, & ab omni materia segregatam illud ostendit, quòd substantia spiritalis, & a materia secreta non est idonea, quæ sensu accipiatur; & lumen in ijs est, quæ visu capiuntur. Idem non esse substantiam materiatam intelligitur ex eo, quòd substantia materiata fiat alteratione, cùm antè non esset, atq; alia re intereunte; & lumen in aere excitatur absq; alteratione, nulloq; rei alius interitu pragrediente. Sed nec etiam lumen est substantia materiata incorporea, quia esset forma; verùm cùm forma finiatur id, quo materia sit hoc aliquid, & quo substantia composita est illud ipsum, quod est, qua ratione lumen poterit esse forma, cui datum non est materiam efficere hoc aliquid, & alicuius substantiæ naturā & essentiam complere? Quin etiam fieri non potest, vt lumen sit ignis, quoniam hic non accipit id, quod est magis & minus, atq; extinguitur à glacie & ab aqua; & lumen intenditur ac remittitur, sineq; offensione glaciem, & aquam penetrat. Ignis praterea sua natura sursum euolat, nec sua natura alio motu cietur, & lumen sursum ac deorsum, ad lauam & ad dexteram, atq; in omnes contrariasq; partes ferri deprehenditur. Pleriq; Platonicorum hæc & alia huius generis argumenta habent pro nihilo, quoniam lumen est ignis, non qui vrit, sed qui illuminando suauiter diem inuehit, & ab hoc nostrati magnopere diuersus: Verùm hi quamquā ex argumentis sese commodè expediant, attamen non vacant reprehensione, quoniam cùm voces, & nomina sint signa eorum, quæ sunt in anima, & hæc eorum, quæ sunt in rerum natura, turpe est ea, quorum notiones

in anima, & naturæ in rerum vniuerſitate ſunt diuerſæ, abſque vlla neceſſitate eodem nomine obſignare. Demùm quàm ſit abſurdum lumen eſſe corpus indiuiduum nemo non fatebitur, qui vel leuiter in mathematicis diſciplinis fuerit verſatus, in quibus multa ſunt demonſtrata, quæ ruant, eſt neceſſe, ſi vllum corpus fuerit indiuiduum. Et ſi corpus tribus dimenſionibus conſtituitur, quo pacto quippiam, cui deſint dimenſiones, poteſt eſſe corpus? Et ſi rurſus ſub exitum lib. de ſenſu & ſenſibili oſtenſum eſt nullum indiuiduum ſenſu percipi, quì lumen, cuius eſt oculorum ſenſus, erit corpus indiuiduum? Et cùm lumen impleat totum hoc ſpacium, quod inter ſtellas & terram interÿcitur, ei planè aliunde accipienda eſt quantitas; verùm cùm quicquid accipitur, id eo accipiatur modo, quo id, quod excipit, eſt aptè natum excipere, quì lumen, quod ſua natura eſt indiuiduũ, peterit excipere quantitatem? Sed non eſt, vt pluribus hæc opinio caſtigetur, quæ, vt ſcribit Albertus, poſita fuit, non quia crederetur vera, ſed vt fingeretur ratio tuendi eos, qui lumen & radios eſſe corpora tradiderunt. Atq; hæc de ÿs, quæ pro ſubſtantia, & contra ſubſtantiam faciunt.

Lumen an ſit corpus, & in categoria quantitatis. Cap. 1111.

SEquitur quantitas, cui niſi faueant illi, qui lumen eſſe corpus exiſtimarunt, & perſuaſerunt, ab amicis & fautoribus deſerta iacebit. Hi igitur in medium veniant, & tanquam cauſſæ quantitatis actores audiantur. Veterum pleriq; lumen intuentes modò abire, modò redire; nunc rectà progredi, nunc retrò conuerti; ac multis varÿsq; modis figurari, ei corporis naturam attexerunt, quòd hæc ſic corporis ſint, vt rei, quæ ſit corporis expers, non conueniant. Hos Simpliciùs eſt ſequutus in lib. 2. de cælo 42. hac vel maximè ratione adductus. Aer lumine incaleſcit, ſed quod efficitur calidum, id ſit huiuſmodi, vel quia pa-

fitur à re calida, vel quia atteritur, atque attenuatur; ergo cùm lumen non ſit calidum, neceſſe eſt aerem à lumine attritum incaleſcere: vt cùm ſolis corporibus impertita ſit vis attenuandi & atterendi, lumen planè erit corpus, et radij erunt corporei: Huius opinionis ſunt qui arbitrentur Platonem eſſe approbatorem, qui in Timæo, dum diſputat de viſu, ſtatuit ex lumine & radijs vnũ corpus coaleſcere; at verò corpus nequit ex ijs, quæ non ſunt corpora, coaleſcere. In eandem quoq; opinionem ſunt, qui putent Stoicos deſcendiſſe, qui voluerunt lumen eſſe vinculum, quo cuncta huius vniuerſi corpora inter ſe coniunguntur; lumen verò longè ab hoc abeſſet officio, niſi haberet corporis naturam, quòd ſola vis corporis poſſit corpora inter ſe iungere. Aduerſus hos inuehitur Ariſtoteles in lib. 2. de anima 69. eiuſq; argumentum eſt huiuſmodi: Cùm lumen permadat corpora, quæ illuminat, id præfecto ſi fuerit corpus, duo corpora ſeſe penetrabunt, ſimulq; erunt in eodem loco, id quod natura corporis non patitur; vnius enim corporis vnus eſt proprius locus, qui ei cùm ſit æqualis, ſic continet ipſum, vt alterum eo manente excipere nõ poſſit; corpora præterea dum feruntur, ſi eis corpus aliquod fiat obuiam, illud aut ſecant, aut ſi durum ſit, ac reſiſtat, ex ſuo loco depellunt, vt ipſa ſeſe illi accommodent. Quòd ſi lumen non eſt corpus, non rectè Empedocles, ſeu quiuis alius dixit lumen moueri, atq; aeris partes corpori lucido propinquiores, & quæ deinceps ſequuntur, illuminari, antequam extimæ accipiant lumen, idq; nos latere propter ſummam motus pernecitatem: id enim totum eſt fictitium, nam vt demus motum, qui fit in exiguo interuallo, poſſe latere, ab ortu tamen in occaſum tam vaſti corporis motum non deprehendi creditu eſt difficile, nec niſi fuerit ratione euictum, nõ eſt, vt concedatur. Ex his difficultatibus ab Ariſtotele propoſitis triplex eſt modus euadendi: Vnus eſt, ſi aer meatibus impleatur, in quos lumen ſeſe inſinuet abſq; vllius corporis penetratione: Alter, ſi lumen & radij ſtatuantur corpora tenuiſſima, ac ſolidiſſima, quæ aerẽ diuidãt, ſuoq; e loco depellant, vt ipſa ſuccedãt:

Te-

Tertius, ſi lumen inducatur veluti corpus ſine materia, & propterea habeat vim corpora materialia penetrandi. Omnes hi modi ſunt improbabiles; ac primus, quē nonnullos veterum approbaſſe ſignificauit Ariſt. in lib. 1. poſt 43. accuſatur, quoniam aer vniuerſus nō illuminabitur ſolis meatibus lumen excipientibus Hi præterea meatus sūt ne corporis pleni, an uacui? Si pleni, corpus, quod continetur, locum dabit lumini, ne fiat corporum penetratio; at illud quò migrabit? Id quin etiam erit lumine tenuius, quando quidem huic locum cedit, & lumine ſuperueniente diſcedit; at quale corpus lumine tenuius poteſt reperiri? Sin vacui; & vacuum rerum naturæ aduerſum introducetur; & aer illuminatus craſſior corpulentiorq; erit, ac ſit is, qui eſt in tenebris, cuius contrarium apparet. Ad hæc ſi lumen in aeris meatibus contineretur, aere à ventis agitato moueretur, alioq; transferretur; id quod non cernitur. Alter modus reprehenditur, quia vbi erit lumen, ibi aer non erit; noſque in lumine poſiti non aerem, ſed lumen inſpirabimus. Tertius & poſtremus modus non eſt ferendus, quippe qui coniungit ea, quæ ſimul conſtare, non poſſunt: cùm enim corporeitas perpetuò ſequatur materiam; ex quo Stoici & alij voluerunt materiam eſſe corpus nulla qualitate affectum; & Simplicius in com. lib. 1. phyſ. 69. cùm intelligeret materialia differre ab immaterialibus, quia ſunt corporea, atque id eſſe materiam haberet perſuaſum, quo hæc inter ſe diſtinguntur, ſtatuit materiam non eſſe corporis & quantitatis expertem; nulla poteſt ratione fieri, vt corpus reperiatur abſq; materia conſiſtēs: Et ſi corpus omne adiunctas habet dimenſiones, atq; hæ nunquā non faciunt diſtare ea, quorum ſunt dimēſiones. ex quo efficitur, vt nulla ſit corporum penetratio, quo pacto dabitur corpus, qualecunque id fuerit, à quo aliud penetretur? Verùm ſi hoc corpus fuerit quoq; conceſſum, quis non ſentiat, ſi lumen, quia eſt corpus ſine materia, poteſt aerem, uitrum, aliaq; corpora perſpicua penetrare, eadem ratione idem poſſe per terram, & alia corpora procedere? lumen igitur ſub terra decurrens terram penetrabit;

fitur à re calida, vel quia atteritur, atque attenuatur; ergo cùm lumen non ſit calidum, neceſſe eſt aerem à lumine attritum incaleſcere: vt cùm ſolis corporibus impertita ſit vis attenuandi & atterendi, lumen planè erit corpus, et radij erunt corporei: Huius opinionis ſunt qui arbitrentur Platonem eſſe approbatorem, qui in Timæo, dum diſputat de viſu, ſtatuit ex lumine & radijs vnũ corpus coaleſcere; at verò corpus nequit ex ijs, quæ non ſunt corpora, coaleſcere. In eandem quoq; opinionem ſunt, qui putent Stoicos deſcendiſſe, qui voluerunt lumen eſſe vinculum, quo cuncta huius vniuerſi corpora inter ſe coniunguntur; lumen verò longè ab hoc abeſſet officio, niſi haberet corporis naturam, quòd ſola vis corporis poſſit corpora inter ſe iungere. Aduerſus hos inuehitur Ariſtoteles in lib. 2. de anima 69. eiuſq; argumentum eſt huiuſmodi: Cùm lumen permadat corpora, quæ illuminat, id profecto ſi fuerit corpus, duo corpora ſeſe penetrabunt, ſimulq; erunt in eodem loco, id quod natura corporis non patitur; vnius enim corporis vnus eſt proprius locus, qui ei cùm ſit æqualis, ſic continet ipſum, vt alterum eo manente excipere nõ poſſit; corpora præterea dum feruntur, ſi eis corpus aliquod fiat obuiam, illud aut ſecant, aut ſi durum ſit, ac reſiſtat, ex ſuo loco depellunt, vt ipſa ſeſe illi accommodent. Quòd ſi lumen non eſt corpus, non rectè Empedocles, ſeu quiuis alius dixit lumen moueri, atq; aeris partes corpori lucido propinquiores, & quæ deinceps ſequuntur, illuminari, antequam extimæ accipiant lumen, idq; nos latere propter ſummam motus pernecitatem: id enim totum eſt fictitium, nam vt demus motum, qui fit in exiguo interuallo, poſſe latere, ab ortu tamen in occaſum tam vaſti corporis motum non deprehendi creditu eſt difficile, nec niſi fuerit ratione euictum, nõ eſt, vt concedatur. Ex his difficultatibus ab Ariſtotele propoſitis triplex eſt modus euadendi: Vnus eſt, ſi aer meatibus impleatur, in quos lumen ſeſe inſinuet abſq; vllius corporis penetratione: Alter, ſi lumen & radij ſtatuantur corpora tenuiſſima, ac ſolidiſſima, quæ aerẽ diuidãt, ſuoq; e loco depellant, vt ipſa ſuccedãt:

Te-

Tertius, ſi lumen inducatur veluti corpus ſine materia, & propterea habeat vim corpora materialia penetrandi. Omnes hi modi ſunt improbabiles; ac primus, quē nonnullos veterum approbaſſe ſignificauit Ariſt. in lib. 1. poſt 43. accuſatur, quoniam aer vniuerſus nō illuminabitur ſolis meatibus lumen excipientibus Hi præterea meatus sūt ne corporis pleni, an uacui? Si pleni, corpus, quod continetur, locum dabit lumini, ne fiat corporum penetratio; at illud quò migrabit? Id quin etiam erit lumine tenuius, quando quidem huic locum cedit, & lumine ſuperueniente diſcedit; at quale corpus lumine tenuius poteſt reperiri? Sin vacuū; & vacuum rerum naturæ aduerſum introducetur; & aer illuminatus craſſior corpulentiorq, erit, ac ſit is, qui eſt in tenebris, cuius contrarium apparet. Ad hæc ſi lumen in aeris meatibus contineretur, aere à ventis agitato moueretur, alioq; transferretur; id quod non cernitur. Alter modus reprehenditur, quia vbi erit lumen, ibi aer non erit; noſque in lumine poſiti non aerem, ſed lumen inſpirabimus. Tertius & poſtremus modus non eſt ferendus, quippe qui coniungit ea, quæ ſimul conſtare, non poßunt: cùm enim corporeitas perpetuò ſequatur materiam; ex quo Stoici & alij voluerunt materiam eſſe corpus nulla qualitate affectum; & Simplicius in com. lib. 1. phyſ. 69. cùm intelligeret materialia differre ab immaterialibus, quia ſunt corporea, atque id eſſe materiam haberet perſuaſum, quo hæc inter ſe diſtinguuntur, ſtatuit materiam non eſſe corporis & quantitatis expertem; nulla poteſt ratione fieri, vt corpus reperiatur abſq; materia conſiſtēs: Et ſi corpus omne adiunctas habet dimenſiones, atq; hæ nunquā non faciunt diſtare ea, quorum ſunt dimēſiones. ex quo efficitur, vt nulla ſit corporum penetratio, quo pacto dabitur corpus, qualecunque id fuerit, à quo aliud penetretur? Verùm ſi hoc corpus fuerit quoq; conceſſum, quis non ſentiat, ſi lumen, quia eſt corpus ſine materia, poteſt aerem, uitrum, aliaq; corpora perſpicua penetrare, eadem ratione idem poſſe per terram, & alia corpora procedere? lumen igitur ſub terra decurrens terram penetrabit;

nobisque propterea nox nunquam apparebit, sed dies perpetuò illucebit. Postremò corpus, quod tribuitur lumini, est ne illius naturæ, cuius est corpus cœleste, à quo defluit, an diuersæ? Si in natura conueniat, non erit sine materia, nam & hæc tribuitur cœlis, quanquam cuius sit modi, magna sit controuersia: Sin dissentiat, quoniam est immateriale, id erit cœlo præstabilius, quòd immateriale antestet materiali; at qui fieri potest, vt magis præstabile ab eo, quod est minus nobile, effundatur, cùm nihil, quod efficiat, rei, quæ efficitur, cedat dignitate? Et cùm nihil possit esse præstantius cœlo, nisi id in mentibus beatis numeretur, aut sanè sit particeps animæ, quo pacto lumen, cuius nulla est mens, nullaq; anima, cœlo dignitate præstabit? Non est igitur asseuerandum lumen esse corpus; quod quoq; viri præstantissimi Alexander in lib. 2. de anima, & in com. lib. de sen. & sensibili, Themistius in paraphrasi lib. 2. de anima, Philoponus in com. lib. 2. de anima, Albertus in lib. 2. de anima tract. 3. cap. 9. D. Thomas in p. p. quæst. 67. art. 2. & alij præclarè demonstrarunt.

An lumen sit qualitas. Cap. V.

TErtio loco audienda est qualitas, quæ cùm multos inuenerit fautores, videtur caussam habere multò meliorem, quàm reliquæ categoriæ. Hæc sese intrudit in luminis possessionem, quòd vim agendi nemo non tribuat lumini; atqui cùm agendi vis formis & qualitatibus solis sit distributa, (equidem substantia composita verè ac propriè est id, cuius est actio, verùm quòd agat, & formæ, qua constituitur, & qualitatibus, quibus afficitur, acceptum refert) atq; lumen non sit forma de genere substantiæ, necessariò concluditur lumen esse in qualitatibus locandum. Lumen non esse formam de genere substantiæ illud conuincit, quòd hæc complet naturam & essentiam substantiæ compositæ, eaque accedente hæc oritur, & recedente corrumpitur; & lumen sic adest, & abest, vt suo accessu nulla substantia generetur,

tur, ſuoq; diſceſſu nulla deſtruatur. Et cùm accidenti præcipuè ſit datum aduenire ſubiecto actu exiſtenti, ſuamq; naturam incolumem retinenti, qua in re differt à forma de genere ſubſtantiæ, quæ non accedit, niſi id, cui accedit, naturam amittat veterem, & nouam aſciſcat, quis non exiſtimet lumen eſſe qualitatem, & formam de genere accidentis, quod aeri accedit abſque vllo naturæ ipſius detrimento? Porrò cum qualitas bipartito diuidatur, aliaq; vocetur realis ac materialis, quæ in ſubiecto, materiaq; propria ſic eſt infixa, vt abeunte cauſa eius effectrice maneat incolumis, illiq; tribuat nomen producta per materię mutationem, atq; ſic ſenſum mouet, vt ſit id, quod ſenſu iudicatur; & alia ſpiritalis, quæ cùm non pendeat ex re ſubiecta, quæ ipſi eſt aliena materia, ſed ex cauſſa ſui effectrice, & non fiat per materiæ mutationem, ſic eſt in ſubiecto, vt huic nullum tribuat nomen, neq; in hoc maneat cauſſa effectrice diſcendente; atque ſic ſenſum afficit, vt ipſa non comprehendatur, ſed ſit id, quo illud, à quo emanauit, dignoſcitur; inter has qualitates pugna exiſtit de luminis poſſeſſione. Albertus, Scotus, Egidius, & alij cauſſam amplexantur qualitatis ſpiritalis; huic autem fauent, quoniam quæ propria ſunt qualitatis ſpiritalis, ea omnia videntur lumini conceſſa. Et primùm luminis eſſentia non eſt conſtans ac ſtabilis, ſed aſſiduè fit, requiritq; præſentiam illius, à quo efficitur, atq; hoc abeunte ne temporis puncto manet: Fit præterea lumen abſq; materiæ mutatione; huiuſque id fidem facit, quòd lumen careat contrario; aere agitato maneat immobile; ac temporis momento oriatur; & ea, quæ fiunt mutata materia, habeant contrarium, nam mutatio omnis vertitur in contrarijs; ſicq; hæreant materiæ, vt hæc tranſlata transferantur; & in his producendis nunquam nõ ponatur aliquid temporis, quo materia paratur, formaque contraria eijcitur. Quin etiam lumen in perſpicuo corpore tanquam in materia aliena continetur; atq; huius id eſt argumento, quòd perſpicua corpora, quæ lumine imbuuntur, ſunt rara; & propria lucis luminiſque materia non eſt ſine craſſitie ac

denſi-

denſitate; idque teſtantur ſtellæ in quibus velati in propria materia lumen eſt ſitum; & ignis perſuadet, qui purus ac ſimplex non fundit ex ſe lumen, & nactus materiam denſam lucet & emicat. Rurſus lumen eſt ſpecies & imago, qua lux cernitur; nam cùm hæc ſit maximè aſpectabilis, neceſſe eſt eius imaginem ad oculos peruenire; & vero ſi excipias lumen, nihil inuenies, cui data ſit vis lucem repreſentandi, oculiſq; obijciendi. Accedit, quod lumen proximè oculos noſtros pulſet, intimaſq; eorum partes penetret, ſic vt viſu capiatur; & fieri non poſſit, vt qualitas materialis ſic percutiat oculum, vt apprehendatur, tum quia ſenſus ſolas formas ſine materia ſuſcipit lib. 2. de anima 121. tum etiam quoniam ſenſibile ſi proximè tangat ſenſus inſtrumẽtum, non facit actum ſentiendi lib eodem 73. Atque hæc ſunt ea, quibus bona ſit cauſſa qualitatis ſpiritalis, aduerſus quam ſtat. D. Thomas, qui in p. 1. quæſt. 67. art. 3. cauſſam qualitatis materialis duobus argumentis tuetur: Alterum eſt, quia ex lumine nominatur aer, cui admiſcetur, dicimus enim aerem illuminatũ; id autem non contingeret, niſi lumen eſſet qualitas materialis, cuius eſt nomen largiri: Alterum, quia lumen ſic aerem immutat, vt ipſum calefaciat, donecq; materiali qualitate; & qualitas ſpiritalis nullam habet vim, qua immutet materiam, & efficiat qualitatem materialem, quippe quæ eſſentiam habet valde tenuem, eſtq; materiali qualitate ignobilior; & quod eſt tenue, mixtuſque præclarum, eam non habet efficacitatem, vt queat efficere id, cuius natura eſt plenior, atq; perfectior His D. Thomæ argumentis hæc ab aliis cauſſam eadem tuentibus addita fuerunt: Lumen lunare nemo nõ dabit eſſe qualitatem realem, ſiue materialem; non enim quis rectè dixerit illud eſſe qualitatem ſpiritalem, quæ ſit lucis ſolaris ſpecies & imago, nam id cernentes non Lunam ſed Solem inſpiceremus: atque hoc lumen à Sole mutuatũ non differt ab eo, quo aer & reliqua perſpicua corpora illuminãtur à Sole: non igitur lumen, quod à Sole aliiſq; corporibus lucidis fundituꝛ, eſt qualitas ſpiritalis. Deinde ſi lumen eſſet lucis

ſpe-

ſpecies, nos lumen intuentes lucem cerneremus; itaq; ad lucem Solis, alteriuſuè corporis lucidi aſpiciendam ſat eſſet lumen apprehendere, neq; ad Solem, corpuſuè lucidum oculos conuertere oporteret. Poſtremò ſi lumen eſſet qualitas ſpiritalis, id minimè cerneretur, quòd qualitas ſpiritalis non iudicetur à ſenſu, ſitq; ſpecies & imago, qua, quod in ſenſum cadit, apprehenditur. Nonnulli tanquam arbitri honorarij hanc controuerſiam iudicant decernentes lumen ſimul eße qualitatem materialem, & qualitatem ſpiritalem; Id autem quo ſit modo, variè explicant: Ioannes Bacconus in lib. 2. ſent. diſt. 13. conſiderans lumen in eo, quòd eſt actus perſpicui, eſtq; in perſpicuo corpore veluti in ſubiecto; & qua ex parte mouet aſpectum, eiuſq; præſentia habet vim repreſentandi obiectum, quod eſt ipſummet lumen, quod aſpicitur, ſtatuit lumen priore modo conſideratum eſſe qualitatem materialem, & poſteriore ſpiritalem. Caietanus in p.p. D. Thomæ quæſt. 67. art. 3. inducit lumen veluti qualitatem, quæ eminenter ſit materialis, & ſpiritalis; atq; hinc conficit lumen non ſic eße qualitatem materialem, vt non ſit ſpiritalis, nec ſic eße qualitatem ſpiritalem, vt non ſit materialis; ſed ob ſuam naturā præſtantiſſimam ſimul eſſe qualitatem materialem, quia calefacit, & qualitatem ſpiritalem, quia viſu percipitur. Cum Caietano conſentit Banes eiuſdem ſchola alumnus in com. eiuſdem loci D. Thomæ. Sunt deniq; alij, quibus lumen videtur qualitas media interiecta inter qualitatem materialem, & qualitatem ſpiritalem; non enim ſimpliciter eſt qualitas materialis, quia temporis momento nō oriretur; neq; ſimpliciter eſt qualitas ſpiritalis, quia & calorem non afferret, & corpus, quod illuſtrat non nominaret. Hos quiſpiam fortaſſe non immeritò exiſtimabit non rectè dirimere hanc controuerſiam, ſuamq; facere litem alienam. Ac Bacconum quidem non eße audiendum argumento eſt, quòd cùm qualitas, quòd ſit materialis aut ſpiritalis, ex natura propria conſequatur, nequit fieri, vt lumen diuerſa conſideratione ſit qualitas materialis, & qualitas ſpiritalis; vt interim prætermitta-

mittatur, ſi lumen haberet vim ſe ipſum repraſentandi, & oculis obijciendi, fore, vt idem ſimul ſit imago, & id, cuius eſt imago, quod eſt improbabile. Caietanus dum curat qualitatem materialem, & qualitatem ſpiritalem in luminis poſſeſſione inter ſe conciliare, cui lumen adiudicet, incertum eſt; & vtriſque videtur illud adimere, nam quod eminenter eſt cuiuſdam modi, id verè ac propriè non eſt illius modi; quapropter ſi lumen eminenter eſt qualitas tàm materialis, quàm ſpiritalis, non verè ac propriè tenebit naturam harum qualitatum; quòd ſi ab his lumen abhorreat, atque omnis qualitas ſit aut materialis, aut ſpiritalis, illud planè non erit in qualitatis categoria, illiusq; natura erit aliunde petenda. Cateri non ſatis videntur intelligere qualitates materialē, & ſpiritalē non poſſe in vnam naturam coaleſcere, atque ſic inter ſe pugnare, vt medium non patiantur: Non enim fieri poteſt, vt vnum & idem fiat per materiæ mutationem, & materia non mutata; ſubiectum nominet, & non nominet; pendeat ex ſubiecto & non pendeat, & denique requirat & non requirat cauſſæ effectricis præſentiam. Et ſi his modis inter ſe pugnant hæ qualitates, quis non ſentiat earum repugnantiam medium non accipere? Vana igitur ſunt horum conciliationes, & ſi lumen eſt categoria qualitatis concedendum, illud erit qualitas aut materialis, aut ſpiritalis; verùm nunquid huic categoriæ ſit adiudicandum, non caret dubitatione: nam cùm ea, quæ in qualitatis categoria continentur, in quatuor genera ſint diſtributa, nullū occurrit qualitatis genus, quod aptum videatur ad lumen continendum. Et primùm genus qualitatis poſtremum, quod figuram & formam appellant, non excipit lumen, quoniam quæ ſunt huius generis, non accipiunt id, quod eſt magis & minus; atq; in communibus ſenſibilibus numerantur lib. 2. de anima 64. & lumen magis & minus ſuſcipit, atque in ijs ſenſibilibus continetur, quæ vnius propria ſunt ſenſus. Nec præterea primum, cui nomen eſt habitus & diſpoſitio, vt putauit Albertus, qui ſtatuit lumen

in

in cœlo habitum eſſe, & in elementis diſpoſitionem, nam lumen non eſt habitus, quoniam hic eſt qualitas conſtans ac ſtabilis, pendetq; ex ſubiecto, in quo hæret, & lumen non habet naturam permanentem, nec pendet ex ſubiecto, per quod diffunditur: Idem non eſt diſpoſitio, quia hæc temporis diuturnitate transfertur in habitum, & nulla temporis longinquitate poteſt fieri, vt lumen non facilè euelli, mutariq; poſſit. Rurſus lumen non eſt naturalis potentia, vel impotentia, quoniam hæ qualitates non facilè tolli poſſunt, fluuntq; ex natura ſubiecti, in quo poſitæ ſunt, & lumen naturà nequaquam ineſt in ijs, quæ illuminat, hisq; facilè eripi poteſt. Demum lumen non eſt in ijs qualitatibus, quæ tertium genus conficiant, & patibiles qualitates ac paſſiones vocantur, nam patibiles qualitates non facilè diſſipantur, & lumen facilè citoque diſcedit, paſſiones verò & ſi facilè poſſint tolli, ea tamen, in quibus inſunt, afficiunt, & ex mutationibus, quæ fiunt in his, naſcuntur; & verò lumen in aere fit ſine vlla aeris mutatione; & ſic adeſt aeri, vt eũ non afficiat. Nec ſecus ſentit Plotinus de natura luminis, qui in lib. 3. de dubijs animæ cap. 6. oſtendit lumen non eſſe aeris affectionem, quoniam hic dum illuminatur, aliter afficeretur, tenebroſaq; eius conditio in aliud mutata non eſſet amplius tenebroſa; & verò aer ſuam naturam retinet, vtpote qui re vera nihil eſt paſſus. Cum Plotino conſentiunt Iamblicus & Priſcianus Lydus, quorum hic in lib. Theophraſti de ſenſu ita argumentatur: Qualitas & affectio non poſſunt non moueri translato corpore, cuius ſunt: at lumen aere commoto permanet cum ſua cauſſa connexum indiſſolubiliter. Qualitas præterea & affectio non ſine tempore accedunt, & cùm recedunt exiguam ſaltem ſui ſpeciem in patiente relinquunt, at lumen temporis momento exoritur, diſcediq; nullo ſui veſtigio relicto. Amplius qualitas & paſſio non fiunt abſque ſubiecti mutatione, certiſq; limitibus coercentur: & verò lumen non permutato ſubiecto oritur: neque certis finibus cohibetur, ſed ſe ipſum diffundit, quousq;

offendit quippiam, quod ipsum accipere sit aptè natum: Postremò qualitas & affectio cùm cæteris subiecti qualitatibus & affectionibus commiscentur, & cum alijs eiusdem speciei in vnam qualitatem & affectionem componuntur; at lumen purum & sincerum permanet, neque cum alterò lumine in vnum componitur; huius id facit fidem, quòd si tribus facibus vnum corpus opacum opponatur, tres vmbræ in oppositum resiliant; etsi eisdem facibus tabula, cui sint tria foramina opponatur, tria lumina non confusa in oppositum resiliunt. Quinetiam cum Plotino consentit Simplicius in com. lib. 2. de anima eo adductus, quia lumen sine tempore adest & abest, quod affectioni & qualitati non est concessum: Idem post paulò in com. tex. 69. scribit perspicuum sic perfici illuminantis actione, vt hæc in nullam affectionem desinat, quasi quòd lumen non sit affectio, quæ fiat in perspicuo. Lumen igitur adiudicare qualitatis categoria non caret difficultate: an verò sit in relationis categoria, deinceps considerabimus.

Lumen sit ne in relationis categoria. Cap. VI.

RElationis categoria lumen sibi vendicat, quoniam in eius ditione omnia ea sunt posita, quæ accedunt & recedunt non mutatis illis, quibus adesse, & a quibus abesse dicuntur, & lumen adest & abest sine illius, in quo situm est, mutatione, aer enim dum lumine collustratur, & tenebris obscuratur, in nullam prorsus mutationem incurrit: Equidem aer lumen excipiendo dicitur pati, verùm non eo pacto vt alteretur, sed non secus, ac si quis diceret pati illud, quod fit dexterum, vt. n. hoc fit huiusmodi propter habitudinem illius, quod stat ad sinistrā, cuius rei argumento est, quòd dexterum desinat esse dexterum, vbi sinistrum fuerit transpositum; haud dissimiliter aer illuminatur, corpus illuminans cùm affuerit,

fuerit, & tenebris circunfunditur eodem aliò commigrante. Verùm & si multi in ferendis huic categoriæ suffragijs sint concordes, hi tamen in natura luminis aperienda sunt discordes. Auempaces putauit lumen esse coloris euidentiam & apparentiam ea ratione forsitan adductus, quoniam lumen, nisi appareant colores, non videtur adesse; & vt primùm hi desinunt apparere, luminis sensus continuò tollitur. Dixerunt alij lumen esse præsentiam corporis lucidi in corpore perspicuo ab Aristotele inducti, qui in lib. 2. de anima 69. & in lib. de sen. & sensibili cap. 3. non secus videtur de lumine sentire; idq; confirmauit, quòd tenebræ sint luminis priuatio; & hæ nihil aliud sunt, quàm absentia corporis lucidi à perspicuo. Hæc categoria suis quoque difficultatibus premitur; nam quæ illius sunt, vim & naturam habent in hoc constitutam, vt ad aliquid quodammodo sint affecta; quo igitur pacto in his numerabitur lumen, cuius uis & natura per se ipsa existit, neque ad aliquid quodammodo est affecta? Et si eadem non possunt certò sciri, ijs ignoratis, ad quæ sunt affecta, qui fieri potest, vt in eis lumen habeatur, quod certò apprehenditur absq; vllius, ad quod sit affectum, cognitione? Et si rursus eadem, quà huiusmodi sunt, nullo accipiuntur sensu, qua ratione lumen, quod visu apprehenditur, in eis annumerabitur? Et si præterea nemo non tribuit lumini eximiam vim agendi, quis lumen non eijciat ex hac categoria, cui nulla vis agendi fuit à natura impertita? Sed & priuatim Auempaces est rogandus, nunquid velit lumen esse apparentiam coloris corporis lumen effundentis, an coloris corporis lumine perfusi. Si primũ probet, Sol non erit sine colore; & cui aliquis color apparebit, is intuebitur Solem, quod sensui aduersatur. Sin alterum, lumina erunt inter se aduersa, quod pugnat cum natura luminis, & communi omnium persuasione. Alij verò incurrunt in hanc difficultatem, quòd præsentia ibi solùm sit, vbi est id, cuius est præsentia; & lumen tam longè lateq; spargitur, vt adsit ijs, quæ à corpore luci-

do longissimè absunt. Ponere igitur lumen in relationis categoria non caret difficultate.

Actionis & passionis categoriæ nunquid excipiunt lumen. Cap. VII.

Actio & passio restant non indignæ, quæ à nobis audiantur. In his categorijs lumen esse ponendum illud persuadet, quòd quæ harum propria sunt, ea lumini fuerunt concessa; vt enim hæ ex caussa effectrice perpetuò pendent, hacque posita ponuntur, & ablata auferuntur, & vt continenter fiunt in perenni fluxu versantes, ita lumen numquam non est connexum cum caussa, à quà effunditur, tamdiuque adest, quamdiu hæc affuerit, & continuò amouetur, vt primùm hæc discesserit, ac præterea fluit assiduè manans à corpore lucido. Actionis categoriæ perspicuè fauet Philoponus in com. lib. 2. de anima 69. vbi in digressione de lumine statuit lumen esse operationem & actionem corporis lucidi, quo in dogmate præceptorem habuit Plotinum, cuius in lib. 3. de dubijs animæ hæc est sententia de natura luminis: Lucidi corporis duo sunt actus, alter primus & insitus, ac veluti vita corporis lucidi, qui est fons ac principium agendi; alter secundus, qui vltra terminos corporis lucidi protenditur, et est interioris imago ab eo nunquã disiunctus, nam cuique rei existenti datum est à natura habere actum, veluti quadam sui similitudinem, adeo vt re ipsa existente actus existat, & illa manente nulloq; obstante prodeat ad extrema partim longiùs, partim proximiùs, & partim debilis ac latens partim validus & conspicuus. Actus prior est lux insita in corpore lucido, posterior lumen promicans à luce. Ac sanè lumen à luce promicare testantur animalia, quibus oculi sunt lucentes, nã in his lumen reclusis oculis emicat extra, & occlusis desinit esse, non quidẽ quia extinguatur, aut in corpus lucidum regrediatur, qui enim fieri potest, vt lumẽ incorporeũ progrediatur;

&

& regrediatur; cùm progredi & regredi, transfluere & refluere corporis sint? sed quoniam lucido corpori aliquod opponitur, quod ne extrinsecus agat, est impedimento. Cùm igitur lumen bipartitò diuidatur, alterumq; in lucido corpore sit ingeneratũ, & alterũ ab hoc manans, illud, quod præcipuo nomine appellatur lux, est forma & essentia secundum speciẽ corporis primò lucidi; hoc autem, quod propriè vocatur lumen, est actus corporis lucidi ad externa procedens. Atque de luminis natura sic sentit Plotinus, qui licèt asseueranter dicat lumen esse actum, siue actionem corporis lucidi, attamen negat passionem esse corporis, quod illuminatur, quoniam passio inest in subiecto, à quo fulcitur, & ex quo pendet, & lumen non inest, sed adest, & in seipso consistens pendet ex solo corpore illuminante, non secus ac vita, quæ cùm sit actio & actus animæ, pendet non ex corpore, cui adest, sed ex anima, à qua emanat. Eiusdem opinionis Simplicius potest videri, qui in comment. lib. 2. de anima tex. 67. scribit lumen totum quidem perspicuum penetrare, caterùm non esse perspicui passionem, quia sine tempore adest & abest, & passiones cum tempore oriuntur, & occidunt: Et cùm Aristoteles dixisset lumen esse ignis, aut alicuius huiusmodi præsentiam in perspicuo, præsentiam, inquit, intelligit non localem, sed ipsius suscipientis perfectricem, idq; iuxta illuminantis efficacem actionem, quæ desinet non in passionem, sed in actionem tantùm. At verò alij cùm ex Aristotele in lib. 3. Phys. 18. intellexissent actum agentis re diuersum non esse ab actu patientis, illumq; vocari actionem, & hunc passionem, scripserunt lumen simul esse actionem corporis lucidi, & passionem corporis, quod illuminatur. Verùm quocunque modo lumen inducatur, prestò est difficultas, qua hæ categoriæ exagitantur, ea est huiusmodi: Cùm alia actio in agente maneat, neque extra progrediatur, quæ actio immanens nominatur, & alia foris erumpat transiens in rem extrinsecus positam, quæ actio transiens dicitur, certum

est

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

eſt lumen ſi fuerit actio, eſſe actionem generis poſterioris, idq; declarat luminis definitio tradita à Plotino; at qui experientia compertum eſt huius generis actionibus quippiam in eo, quod ipſas ſuſcipit, & ſuſtinet, produci; ergo præter actum & actionem corporis lucidi aliquod eſt ponendum, quod fiat in eo, quod illuminatur: cùm verò excepto lumine nihil occurrat, quod actione lucidi corporis in perſpicuo efficiatur, lumen non erit actus & actio corporis lucidi, ſed quippiam hac actione corpori perſpicuo impertitum. Nec verò reſpondendum eſt caliditatem eſſe id, quod lumine efficitur, quoniam quod fit actione aliqua, id cùm ſit actionis terminus, nunquam eſt ab actione diſiunctus, & lumen eſt in cœlis abſque calore, veſtigioq; caloris. Atq; hæc ſunt argumenta, quibus omnes hæ categoriæ & ſuam cauſſam defendunt, & exagitantur; quà re cùm nulla ſit categoria, quæ ſic lumen excipiat, vt hoc valeat continere, cui illud adiudicandum ſit, dubium eſt, ac controuerſum.

Lumen in quibus categorijs ſit poſitum. Cap. VIII.

IN re prorſus difficili verſamur, verùm quoniam ſic ſumus natura comparati, vt id, quod quærimus, quo cognita eſt difficilius, eò vehementius ſcire & noſſe cupiamus, tantùm abeſt, vt difficultas nos deterreat, vt contrà incitet: Omni itaq; ſtudio & opera enitemur, vt in hac grauiſſima lite ſententiam feramus, & cui categoriæ lumen ſit tribuendum, conſtituamus. In hac controuerſia qualitas, actio, & paſſio, quæ cauſſam habent multò meliorem, dignæ nobis videntur, quibus luminis poſſeſſio adiudicetur. Neque hoc iuditium habeat admirationem, quoniam vnum & idem non vno eodemq; modo conſideratum variam ac multiplicem induit naturam, & varium cùm ſit, in multis ac diuerſis poteſt poni categorijs. Qualitatem ſibi lumen aſſerere argumento eſt, quòd qualitas vocatur, ex qua quale quoddam eſſe dicitur, & ex lumine, quæcunque illuſtrantur,

illu-

illuminata nominantur; Adiungendum eſt, quòd quæ ratio eſt lucis ad corpus lucidum, eadem eſt luminis ad corpus illuminatum; ergo cùm lux ſit qualitas corporis lucidi lumen erit qualitas corporis illuminati. Rurſus actus, qui græcè eſt ἐντελεχεια, nomenclatione, ſi formæ de genere ſubſtantiæ excipiantur, ſolæ qualitates idoneæ ſunt, quæ obſignentur; cùm igitur lumen eſſe hunc actum in perſpicuo non nemini perſuaſum ſit, atque illud non ſit forma de genere ſubſtantiæ, quippe quod adeſt & abeſt ſine eius rei, in qua ſitum eſt, interitu, neceſſariò qualitas erit. Id ſignificauit Ariſtoteles in lib. 9. poſt nat. 17. cùm ſcripſit nihil prohibere, quin cæleſtia corpora ſint poteſtate, vt qualia efficiantur; nam in his Alexandro Auerroe & alijs interpretantibus propoſitam habuit Lunæ ac ſiderum illuminationem; qua propter ſi ad qualitatem ducit illuminatio, hacq; quod non eſt quale, efficitur quale, lumen planè erit qualitas de ſententia Ariſtotelis. Quinetiam Alexander in lib. 1. meteor. com. 17. cùm nos admonuit cæleſtia corpora non eſſe penitus impatibilia, ſed illius duntaxat perpeſſionis expertia, quæ fit per tranſmutationem ſecundum formam; & poſt paulò ſubiunxit Lunam pati in eo, quòd accipit lumen, clarè ſignificauit lumen eſſe affectionem, & qualitatem. At verò lumen eſſe actionem, ſimulq; paſſionem ex eo intelligitur, quòd lumen eſt idem, quod illuminatio, & hæc cùm ſit actus illuminantis, & illuminati, ſimul actio & paſſio exiſtit, actio in eo, quòd eſt actus ab illuminante procedens, paſſio in eo, quod eſt actus impreſſus in illuminato. Porrò lumen eſt idem, quod illuminatio, quoniam vt calefactio nihil eſt aliud quàm caliditas, quæ fit, qua ex parte fit ac fluit, haud ratione diſſimili illuminatio eſt idem, quod lumen, quod eſt forma, quæ illuminatione acquiritur: Verum illud intereſt inter illuminationem & calefactionem, quoniam illuminatio ſimul tota fit, & propterea eſt actus perfectus, cui nihil poteſtatis eſt admixtum, non ſecus atque actus videndi, actuſq; intelligendi, calefactio autem, vt

&

& quæuis alia alteratio propriè dicta, fit per partes, & parte parti ſuccedente, eſtq; propterea actus inchoatus, & à poteſtate nunquam diſiunctus. Itaque illuminatio, quemadmodum & actus ſentiendi, non eſt verè motus, qui eſt actus imperfectus continenter fluens, aut ſi eſt motus, eſt alia ſpecies motus, vt dicebat Ariſtoteles in lib. 3. de anima 28. cui datum, eſt eſſe actum integrum, qui ſimul fit, & factus eſt, quique eſt actus rei non poteſtate, ſed actu exiſtentis. Atque hinc patet minus intereſſe inter lumen & illuminationem, quàm inter caliditatem & calefactionem, quoniam in lumine cùm fieri & factum eſſe non diſtinguantur, lumen idem eſt prorſus, quod illuminatio, in caliditate autem cùm fieri diſiunctum ſit ab eo, quod eſt factum eſſe, atque caliditas qua ex parte fit, ſit calefactio, qua autem facta eſt, ſit calefactionis terminus, nonnihil intereſt inter calefactionem & caliditatem. Verum enim verò cùm lumen dicitur actio, hoc nomine non eſt audienda actio propriè dicta, quæ eſt motus, nam quemadmodum duo ſunt genera paſſionum lib. 2. de anima 57. quorum alterum non eſt verè pati, ac moueri, ſed ſalus ac perfectio illius, quod patitur, ita duo actionum genera ſunt inducenda, quorum alterum non eſt verè agere, ac mouere, ſed ſalutem ac perfectionem afferre; atque lumen & actio huius modi, quemadmodum quoque non eſt vera paſſio ducens ad interitum, ſed paſſio afferens ſalutem & perfectionem. Quocirca ſi quiſpiam putet in actionis & paſſionis categorijs ſolas actiones & paſſiones propriè dictas, quæ veri ſunt motus, contineri, non erit, vt lumen in his ponatur; quòd ſi hæ categoriæ latiſſimè pateant, & ad omnes actiones, omneſq; paſſiones, quales quales ſint, dilatentur, nulla erit ratio, cur lumen ex his eijciatur. Eadem ferè ratio eſt categoriæ qualitatis, nam ſi hæc illas ſolas excipit qualitates, quarum genera fuerunt ab Ariſtotele recitata & explicata, arduum erit huic lumen adiudicare, quòd horum generum qualitates naturam habent fixam, & conſtantem, nec ſimul fiunt & factæ ſunt, & luminis natura non

ra non eſt permanens, ſimulq; fit, & facta eſt, atque vt primùm facta eſt, deſinit eſſe, nec exiſtit, niſi continenter fiat: at ſi præter hæc genera ſint alia qualitatum genera, quòd non eſſe improbabile exiſtimauit Ariſtoteles cùm explicatis quatuor qualitatum generibus ſubiunxit alia etiam fortaſſe qualitatis genera reperiri, ſed hæc eſſe, quæ maximè in omnium ore verſantur, lumen à qualitatis categoria continebitur. At aliquis dubitabit, ſi actiones ab Ariſtotele ita ſunt diſtributæ in lib. 9. poſt nat. 11. qui locus græcè tantum legitur præteritus ab interprete, vt aliæ ſint, quarum nullus eſt finis, ſed ipſa ſunt fines, vt actus videndi, actusq; intelligendi, & aliæ, quarum eſt finis, vt calefactio, & ædium extructio, quid prohibet ne lumen, quod eſt actio illuminantis, ſit actio prioris generis, & idcirco ſic actio, vt ſolùm ſit actio, & non qualitas? Reſpondeo fortaſſe Plotinum & huius ſectatores habuiſſe hanc opinionem, verùm eā non eſſe rectam, quoniam actiones prioris generis ſunt actiones in agente manentes, & illuminatio eſt actio extra procedens, cuius actionis eſt, vt per eam aliquid fiat in eo, quod patitur: Mitto interim actiones manentes à pleriſq; in qualitatum numero haberi quæ re ſi fides habeatur his, illuminatio cuiuſcunque ſit generis, erit ſemper qualitas. Sed quicquid ſit de horum opinione, is mea ſententia de illuminatione non malè ſentiet, qui dixerit illam eſſe mediam interiectam inter actiones manentes, & actiones extra procedentes, atque ideo his & illis tum ſimilem eſſe, tum diſſimilem. Similis eſt actioni manenti, quoniam vt hæc nihil fit, quod ipſa abſoluta & ad finem perducta maneat ac cernatur, ita illuminatione nihil efficitur, quod maneat & conſtet ipſa tranſacta; diſſimilis verò, quia non permanet in ipſo agente, ſed foras erumpit ad externa procedens, atq; in hoc conuenit cum actione tranſeunte, à qua in altero diſtat; nulla enim eſt actio verè tranſiens, ex qua non exiſtat aliquod in rerum natura manens, vbi illa ceſſauerit. Et forſitan Platonici cùm non ignorarent magnam eſſe naturæ ſimilitudinem inter illu-

minationem, & actionem videndi, quæ eſt actio manens, tradiderunt lumen & illuminationem eſſe viſum quendam, ac Solis quidem lumen eſſe viſum, vel animæ mundi, vel animæ Solis, quo cernuntur omnia, tanguntur, & fouentur. Cæterùm hæc niſi tranſlatè accipiantur, abſunt à vero, quia illuminatio, quæ eſt actio extra procedens, non poteſt verè appellare viſus, qui eſt actio manens in vidente. Sed de luminis categoria, & quo modo lumen ſit qualitas, quoque modo ſit actio & paſſio hactenus dictum ſit.

Proximum genus, ac differentia luminis inueſtigantur, & quid ſit lumen aperitur.

Cap. VIIII.

INuenta luminis categoria ſequitur, vt genus illius proximum inquiratur, cui addita differentia luminis definitio conſtabit. Cùm lumen in tribus categorijs poſitũ ſit, proximum illius genus huius modi ſit, oportet, vt ab his contineatur categorijs; hoc autem inuentu quamquã non ſit facile, non eſt tamen deſperandum, quando quidem ducem habemus Ariſtotelem, qui nunquàm aut rarò falli, & fallere neſcit. Hic in lib. 2. de anima 69. ſic lumen definit, vt ſtatuat huius proximum genus eſſe actum, qui græcè eſt ἐνέργεια, qua in re ſectatorem habuit Plotinum in lib. 3. de dubys animæ cap. 7. Et meherculè ſi hæc vox diligenter conſideretur, perſpicuum erit eam excipi a tribus memoratis categorijs, atque aptiſſimam eſſe, qua proximum luminis genus ſignificetur: Et primùm cùm ἐνέργεια dicatur de actu agentis, actuq; patientis, quod ſignificauit Ariſtoteles in lib. 3. phyſ. 19. quo in loco vſurpat hanc vocem, cùm de actu agentis, actuq; patientis loquitur, atque agentis actus ſit actio, & patientis paſſio, liquet ἐνέργειαν actionem partier, & paſſionem eſſe. Accedit, quòd motus videtur maximè ἐνέργεια eſſe lib. 9. poſt-

poſtnat.7. atqui cùm motus ſit actus & illius,quod poteſt agere, & illius, quod poteſt pati lib.3.phyſ.23.atque horum actus ſint actio & paſſio, conſtat ἐνέργειαν in his categoriÿs poſitam eſſe. Eandem eſſe qualitatem intelligitur,quoniam cùm ἐνέργεια ita ſit diuiſa, vt alia maneat in agente,qua præter ipſam nihil ſit; & alia extra procedat,qua ſit quippiam præter ipſam lib.2.poſtnat.11. profecto quoniam ἐνέργεια quæ eſt illuminatio & lumen extra procedit,neceſſe eſt,vt hac quippiam fiat in eo,quod patitur;& cùm per ipſam quod non eſt quale, efficiatur quale, conficitur id, quod ſit eſſe qualitatem; Verùm cùm quod ſit illuminatione re idem ſit, quod illuminatio, nam & quod motu requiritur, re idem eſt,quod motus, concludendum eſt ἐνέργειαν, quæ de lumine & illuminatione dicitur, eſſe quoque ſitam in categoria qualitatis. Quòd igitur lumen in tribus memoratis categoriÿs collocetur, ἐνέργειαν genus proximum illius præclarè declarat. Sed & ἐνέργειαν iure poſita eſſe genus proximum luminis ex eo conſtat, quod ἐνέργεια de iÿs propriè dicitur, quæ ſimul fiunt,& facta ſunt lib.9. poſtnat. 11. eo in loco, qui græcè ſolùm habetur à Beſſarione prætermiſſus, quocirca quoniam illuminatio & lumen in iÿs numerantur, quæ ſimul fiunt, & facta ſunt, ἐνέργεια erit accommodatiſſima ad proximum luminis genus ſignificandum. Hæc ſi fuiſſent illis perſpecta, qui neglecta ἐνέργεια aliud genus in luminis definitione aſſumpſerunt,non adeo facilè genus Ariſtotelicum pro nihilo habuiſſent, & animum ad aliud ponendum tranſtuliſſent; ſed hos nunc valere iubeamus, aduerſus quos paulò poſt ſumus diſputaturi, & cùm lumen ſit actus & ἐνέργεια, inquiramus differentiam, qua lumen ſeparatur ab iÿs, quæ eodem in genere continentur. Tota hæc differentia in ſubiecto poſita,eſt quod perficitur lumine,nã cùm formæ & accidentia ſint naturæ ſimplices,quæ ſeipſis diſtinguuntur,atque horum eſſentia nos lateant,quicquid diſcriminis eſt inter ipſa, id vniuerſum intelligitur ex iÿs, quorum ſunt formæ & accidentia: De hoc ſi quis ambigit, is ne

longiùs abeat, motus & animæ definitiones contempletur, in quarum altera mobile ſiue ens poteſtate, quod eſt motus ſubiectum, & in altera corpus naturale inſtrumentis diſtinctum, quod anima format & animat, fungitur officio differentiæ. Cùm igitur corpus perſpicuum lumine ſuperueniente compleatur, & abſoluatur, id huic differentiam ſuppeditabit, qua ſeparetur ab ijs, quæ genere ab ipſo non diſſentiunt: Itaque authore Ariſtotele in lib. 2. de anima 69. lumen finietur actus perſpicui, qua ex parte eſt perſpicuum. Hac diffinitione probè explicari naturam & eſſentiam luminis non erit obſcurum, ſi quodnã ſit illud perſpicuum, quod in ea aſſumitur; & cur lumen ſit actus perſpicui, fuerit declaratum. Duo ſunt corporum perſpicuorum genera, quorum alterum eſt terminatum, quod eſt aliquo colore tinctum, nam color, vt inquit Priſcianus Lydus in comm. lib. Theophraſti de ſenſu cap. 17. eſt perſpicui terminus, alterum interminatum, quod eſt coloris expers: Illud inter hæc intereſt, quòd perſpicuum terminatum eſt ſua natura aſpectabile, proprioq; colore eſt aptè natum videri; interminatum verò quia proprio colore caret, ſua natura eſt inaſpectabile, ſolumq; vi coloris alieni viſu apprehenditur; id autem euenit, cùm per ipſum cernitur color, qui eſt extremitas perſpicui terminati: atque in hoc genere ſunt aer, aqua, multaq; corpora ex ijs, quæ ſolida ſunt. Perſpicuum igitur, cuius actus dicitur lumen, & perſpicuum interminatum, quod aſpectui eſt omnino peruium, & ſe tutè accipit lumen. Huius verò perſpicui natura cùm in hoc poſita ſit, vt patiatur, & moueatur à coloribus, atque ab his non moueatur, niſi fuerit lumine perfuſum, liquet, cur lumen ſit actus & perfectio ipſius: Quoniam verò corpora perſpicua interminata non ſolùm ſunt perſpicua vi perſpicuitatis omnium communis, ſed præterea certas habent naturas, certasq; formas, quibus ſunt, illa ipſa quæ ſunt; vt aer cùm perſpicuus eſt, tùm etiã aer, in hac definitione adiũgitur, qua ex parte perſpicuũ eſt, vt hinc intelligatur lumen, cùm ſit actus perſpicui corporis, nõ eſſe huius actũ

iuxta

iuxta propriã ipſius naturam; ſed qua ex parte eſt perſpicuum; vt exempli gratia ſi hoc corpus ſtatuatur aer, lumen non eſſe actum aeris, qua ex parte eſt aer, quoniam lumen ſiue adſit, ſiue abſit, aer ſemper ſuam naturam retinet, ſuoq; officio fungitur, ſed qua ex parte eſt perſpicuus, quippe qui lumine abſente in eo, quòd eſt perſpicuus, non poteſt exequi ſuum munus, quod eſt pati & moueri à coloribus, nec antè in hoc verſatur, quàm lumen exceperit; quod quidem in ipſo, & in quocunque alio perſpicuo exiſtit ex præſentia corporis lucidi, nam ſtatim atque lucidum corpus fuerit præſens perſpicuo, in hoc fit lumen, & longè latèq; diffunditur: Atque id ſibi voluit Ariſtoteles, cùm in lib. 2. de anima 69. & in lib. de ſenſu at ſenſibili cap 3 lumen finiuit præſentiam ignis, aut huius modi alicuius in perſpicuo; nam hæc definitio non eſt ita accipienda, vt aperiat naturam & eſſentiam luminis, quod nonnulli Ariſtotelis calumniatores exiſtimarunt, quoniam cùm lumen ſit qualitas, quæ in perſpicuo producitur à corpore lucido, non propriè eſt præſentia, quæ eſt relatio rei præſentis ad id, cui eſt præſens; ſed ita, vt cauſſam exponat, à qua lumen in perſpicuo producitur. Satis autem eſt præſentia corporis lucidi, & præter hanc nihil aliud requiritur, quoniam lumen non ſequitur vllam mutationem, & perſpicuum dum excipit lumen, non propriè vereq; patitur, aut mutatur: Nec verò iſtud habeat admirationem, quoniam vt ſcribit Alexander in lib. 2. de anima cap. 38. quemadmodum ex habitudine eius, qui adſtat ad ſiniſtram, quiſpiam fit dexter, qui antè non erat huius modi, abſque vllo ſui ipſius motu aut mutatione, eodem modo perſpicuum fit actu perſpicuum, & lumen fit in perſpicuo ex ſola præſentia corporis lucidi abſque vlla perſpicui mutatione, ſed facta in ipſo ea, quæ videtur alteratio, ex ſola habitudine; qua re translato illuminãte lumen recedit à perſpicuo, hocq; deſinit eſſe actu perſpicuum, non ſecus atque is, qui eſt dexter, deſinit eſſe dexter, vbi ſiniſter tranſmigrarit. Hoc autem modo, ex ſolaq; lucidi corporis præſentia lumen in perſpicuo excitari,

tari, tenebræ, quæ ſunt luminis priuatio, perſpicuè declarant; nam ſi hæ fiunt in aere, non quia hic mutetur, aut huic aliquid accedat, ſed quia abſens ſit corpus lucidum, quod fuerat præſens, dubitari non poteſt, quin lumen in perſpicuo excitetur ex ſola lucidi corporis præſentia. Quinetiam lumen in perſpicuo fieri nullam eo mutationem accipiente hinc intelligitur: Tria vel maximè in omni vera mutatione, veraq; perpeſſione poſtulantur; primum, vt ſit ex contrario in contrarium, non enim quoduis à quouis patitur, neque quoduis in quoduis mutatur, ſed quicquid patitur, à contrario patitur, & quicquid mutatur, in contrarium mutatur lib. 1. phyſ. 43. alterum, vt quod patitur, quodq; mutatur, ſic patiatur & mutetur, vt aliquid ſui amittat; nam cùm patiens efficienti ſimile reddatur, cui antequam patiatur, eſt diſſimile & contrarium lib. 1. de gen. & int. cap. de efficere & pati, illud huic ſimile nunquam reddetur, niſi amittat formam, qua diuerſum eſt, pugnatq; cum efficiente: tertium, vt aliquid temporis ponatur, nec perpeſſio aut mutatio ſimul fiat, & facta ſit, cùm enim non fiat perpeſſio, aut mutatio, niſi vetus, contrariaq; forma eiyciatur, atque hæc reſiſtendo ſe integram, quoad poſſit, ſeruare conetur, neceſſe eſt, vt aliquod tempus impendatur, atque id, quod patitur, & mutatur, tempore ac ſucceſſione quadam patiatur, & mutetur. Cum igitur hæc in omni vera perpeſſione, veraq; mutatione requiranitur, atque in illuminatione deſiderentur, nam lumini nulla forma eſt aduerſa; & quod illuminatur, id ſine vllius formæ iactura excipit lumen, atque eo pacto vt ſimul totum, et ſubitò lumine perfundatur, profecto perſpicuum dum illuſtratur, non verè patietur, vereq; mutabitur; quòd ſi pati, mutariue quiſpiam velueris, præter veram perpeſſionem, veramq; mutationem aliud genus perpeſſionis, mutationiſue erit inducendum, quo id patiatur, ac mutetur, non ſecus atque in ſentiendi actu eſſe introducendum ſtatuit Ariſtoteles in lib. 2. de anima 57. Atque hoc modo quid ſit lumen, explicatum ſit, cuius cùm Ariſtoteles duas attulerit

diffi-

diffinitiones, alteram luminis naturam et essentiam aperientem, et alteram illius causſam effectricem declarantem, ambæ si iungantur, paulò pleniorem, explicatioremq; habebimus luminis definitionem. quæ erit; lumen est actus perspicui, qua ex parte est perspicuum, in eo excitatus ex præsentia corporis lucidi.

Ratio multorum redditur, quæ lumini tribuuntur, quæstionesque variæ explicantur. Cap. X.

HAnc luminis definitionem rectè traditam fuisse id magnam fidem facit, quòd ea posita facilis est ratio eorum, quæ in lumen cadere videntur, et prompta ac expedita quæstionum quæ de lumine sunt, explicatio. At primùm cùm cernamus abeunte lucido corpore lumen abire, ac redeunte redire, ipsumq; tamdiu adesse, illud quamdiu assuerit, id optima ratione accidit, quoniam cùm lumen nunquam sit disiunctum à lucidi corporis præsentia, et sine hac ne puncto temporis permaneat, tamdiu adest, dum lucidum corpus fuerit præsens, hocq; accedente accedit, et discedente discedit. Cur autem lumen nunquam non desideret lucidi corporis præsentiam, id causſæ est, quia lumen assiduè fluit, ac labitur, et quorum essentia est fluens, ac labens, hæc perpetuò sunt connexa cum causſa sui effectrice, et ex hac pendent, non secus ac ea, quæ in motu ac generatione versantur. lumen verò assiduè fluit ac labitur, quoniam in eo idem est fieri, quod factum esse, ipsumq; existit, dum fit, et vbi factum est, desinit esse, nec existit, nisi iterum fiat. Ex his intelligitur, cur lumen quod est accidens, à subiecto, in quo inest, neque fulciatur, neq; præsidij quicquam accipiat, quo possit vel breuissimo tempore in ipso permanere, nam cùm accidentium duo sint status, alter dum fiunt, alter, quando facta sunt hæc in statu priore pendent ex causſa ipsorum effectrice, in posteriore, ex subiecto, in quo insunt; quapropter cùm lumini vnus sit status, qui

in

tari, tenebræ, quæ ſunt luminis priuatio, perſpicuè declarant; nam ſi hæ fiunt in aere, non quia hic mutetur, aut huic aliquid accedat, ſed quia abſens ſit corpus lucidum, quod fuerat præſens, dubitari non poteſt, quin lumen in perſpicuo excitetur ex ſola lucidi corporis præſentia. Quinetiam lumen in perſpicuo fieri nullam eo mutationem accipiente hinc intelligitur: Tria vel maximè in omni vera mutatione, veraq; perpeſſione poſtulantur; primum, vt ſit ex contrario in contrarium, non enim quoduis à quouis patitur, neque quoduis in quoduis mutatur, ſed quicquid patitur, à contrario patitur, & quicquid mutatur, in contrarium mutatur lib. 1. phyſ. 43. alterum, vt quod patitur, quodq; mutatur, ſic patiatur & mutetur, vt aliquid ſui amittat; nam cùm patiens efficienti ſimile reddatur, cui antequam patiatur, eſt diſſimile & contrarium lib. 1. de gen. & int. cap. de efficere & pati, illud huic ſimile nunquam redderetur, niſi amittat formam, qua diuerſum eſt, pugnatq; cum efficiente: tertium, vt aliquid temporis ponatur, nec perpeſſio aut mutatio ſimul fiat, & facta ſit, cùm enim non fiat perpeſſio, aut mutatio, niſi vetus, contrariaq; forma eiyciatur, atque hæc reſiſtendo ſe integram, quoad poſſit, ſeruare conetur, neceſſe eſt, vt aliquod tempus impendatur, atque id, quod patitur, & mutatur, tempore ac ſucceſſione quadam patiatur, & mutetur. Cum igitur hæc in omni vera perpeſſione, veraq; mutatione requiranitur, atque in illuminatione deſiderentur, nam lumini nulla forma eſt aduerſa; & quod illuminatur, id ſine vllius formæ tactura excipit lumen, atque eo pacto vt ſimul totum, et ſubitò lumine perfundatur, profectò perſpicuum dum illuſtratur, non verè patietur, vereq; mutabitur; quòd ſi pati, mutariue quiſpiam velueriit, præter veram perpeſſionem, veramq; mutationem aliud genus perpeſſionis, mutationiſue erit inducendum, quo id patiatur, ac mutetur, non ſecus atque in ſentiendi actu eſſe introducendum ſtatuit Ariſtoteles in lib. 2. de anima 57. Atque hoc modo quid ſit lumen, explicatum ſit, cuius cùm Ariſtoteles duas attulerit

diffi-

diffinitiones, alteram luminis naturam et eſſentiam aperientem, et alteram illius cauſſam effectricem declarantem, ambæ ſi iungantur, paulò pleniorem, explicatioremq; habebimus luminis definitionem. quæ erit; lumen eſt actus perſpicui, qua ex parte eſt perſpicuum, in eo excitatus ex præſentia corporis lucidi.

Ratio multorum redditur, quæ lumini tribuuntur, quæſtioneſque variæ explicantur. Cap. X.

HAnc luminis definitionem rectè traditam fuiſſe id magnam fidem facit, quòd ea poſita facilis eſt ratio eorum, quæ in lumen cadere videntur, et prompta ac expedita quæſtionum quæ de lumine ſunt, explicatio. At primùm cùm cernamus abeunte lucido corpore lumen abire, ac redeunte redire, ipſumq; tamdiu adeſſe, illud quamdiu aſſuerit, id optima ratione accidit, quoniam cùm lumen nunquam ſit diſiunctum à lucidi corporis præſentia, et ſine hac ne puncto temporis permaneat, tamdiu adeſt, dum lucidum corpus fuerit præſens, hocq; accedente accedit, et diſcedente diſcedit. Cur autem lumen nunquam non deſideret lucidi corporis præſentiam, id cauſſæ eſt, quia lumen aſſiduè fluit, ac labitur, et quorum eſſentia eſt fluens, ac labens, hæc perpetuò ſunt connexa cum cauſſa ſui effectrice, et ex hac pendent, non ſecus ac ea, quæ in motu ac generatione verſantur. lumen verò aſſiduè fluit ac labitur, quoniam in eo idem eſt fieri, quod factum eſſe, ipſumq; exiſtit, dum fit, et vbi factum eſt, deſinit eſſe, nec exiſtit, niſi iterum fiat. Ex his intelligitur, cur lumen quod eſt accidens, à ſubiecto, in quo ineſt, neque fulciatur, neq; præſidij quicquam accipiat, quo poſſit vel breuiſſimo tempore in ipſo permanere, nam cùm accidentium duo ſint ſtatus, alter dum fiunt, alter, quando facta ſunt. hæc in ſtatu priore pendent ex cauſſa ipſorum effectrice, in poſteriore, ex ſubiecto, in quo inſunt; quapropter cùm lumini vnus ſit ſtatus, qui

in

in fieri conſiſtit, nam in lumine idem eſt fieri, quod factum eſſe; et factum eſſe nunquam eſt diſiunctum ab ipſo fieri, vniuerſa illius permanſio cauſſæ effectrici eſt acceptæ referenda, nullumq; auxilium ferè illi ſubiectum ad permanendum. Quinetiam conſtat ex his, cur lumina ſimul inuicem non miſcerantur, ac temperentur, nam cùm miſtio ſiue temperatio ſit qualitatum, quæ ſic hærent in ſubiecto, vt ex hoc pendeant, & in hoc diu conſeruentur, quarumq; eſſentia non in fieri poſita eſt, ſed in eo, quod eſt factum eſſe, atque lumina ex harum qualitatum numero ſint electa, nequit fieri, vt ea inter ſe commiſceantur, ac temperentur. Sed hinc quoque perſpicuum eſt, cur lumen ſubitò fiat in perſpicuo, nam omnia quæcunque fiunt per alicuius præſentiam abſque motu & mutatione, in quorum numero lumen eſſe declarauimus, ſubitò ac repentè oriuntur. Cæterùm etſi ortus luminis, quæ huius eſt natura, ſit ſubitus ac repentinus, neque vt oriatur, tempus aliquod requirat, attamen ex accidenti quandoq; fit, vt ſucceſſione ac tempore naſcatur, veluti ſi corpus perſpicuum, per quod diffunditur, nebuloſum ac caliginoſum ſenſim purgetur, aut ſi corpus lucidum, à quo diſluit, vel paulatim abſoluatur vel loco moueatur, nam cùm lumen ex hoc pendeat, cum ipſo accedit, & diſcedit, & quod antè aut minus, aut non illuminabatur, abſoluto corpore lucido vel accedente, aut copioſius, aut recens accipit lumen. At verò poſitis his, quæ de natura luminis tradita ſunt, ob curas non eſſe quæſtionum quæ de lumine ſunt, explicationes manifeſtum erit, hæ ſi in medium venerint. Principio dubitatur, cùm lumen ſiue illuminatio ſit illuminantis corporis actus & ἐνέργεια, nunquid ſit ἐνέργεια permanens, an ad alia progrediens, nam eſſe permanentem illud videtur perſuadere, quia eſt veluti vita, quæ eſt ἐνέργεια permanens; eſſe verò ἐνέργειαν ad alia progredientem illud oſtendit, quia à corpore perſpicuo, quod eſt ἐντὸς, accipitur. Quæ de luminis natura & categoria ſunt conſtituta, declarant luminis neutram ἐνέργειαν eſſe, ſed inter vtramq; medium interiici,

atque

atque vtriuſque particeps eſſe, id autem quo ſit pacto, ſupra explicatum eſt. Rurſus controuerſia exiſtit, an lumen ſit qualitas ſpiritalis, & quæ partem aientem, & quæ partem negantem confirmant ſupra ſumus perſequuti. Dicendum eſt lumen, quod ita eſt actus corporis perſpicui, vt ipſum nominet; neque lucis eſt imago, vt illi putant, quibus eſt qualitas ſpiritalis, quippe quod viſu apprehenditur, neque eius ſuſceptione lux iudicatur, eſſe qualitatem principem, veram, &, vt inquiunt, realem; & non qualitatem ſpiritalem, quæ nullum tribuit nomen, quæq; ſic mouet ſenſum, non vt ipſa ſentiatur, ſed vt id, cuius eſt imago, ſenſu iudicetur. Amplius dubitatur, nunquid lumen per ſe moueatur loco, motuq; proprio ſeſe adiungat comitem corpori lucido abeunti, nam illud cum lucido corpore circunferri ſenſui apparet, & plerique exiſtimant: Reſpondetur cùm per ſe loco moueri ſolis corporibus fuerit conceſſum, nullo pacto fieri poteſt, vt lumen, quod non eſt corpus, loco moueatur; verùm quoniam lumen non conſtanter manet, perpetuoq; requirit lucidi corporis præſentiam efficitur, vt ſi corpus lucidum aliò transferatur, lumen, quod erat in ijs locis, à quibus illud eſt digreſſum, perimatur, alterumq; in ijs gignatur, ad quæ acceſſit: hic autem ortus & interitus cum lateat ſenſum, hic iudicat lumen cum corpore lucido deferri; atqui fallitur, egetq; correctore. Præterea in dubium vocatur, vtrum lux & lumen ſpecie diſtinguantur. Vt hæc dubitatio profligetur, lux eſt diducenda in eam, quæ inſita & innata eſt corpori lucido, veluti eſt lux Solis, & in eam, quæ eſt aduentitia, & extrinſecus accedens, vti lux, quam Luna mutuatur à Sole: Si prior lux in quæſtionem cadat, hæc in natura diſſentit à lumine ex ipſa defluente; huius ea eſt ratio, quia conſentaneum non eſt ea non eſſe ſpecie differentia, quorum alterum conſtat, ac permanet, & alterum in fluxu poſitum continenter gignitur ac perimitur, cuius modi eſt lumen, atque id ita clarum eſt, vt mirandum ſit de Fonſeca, quòd in lib. 7. poſtmat. cap. 7. quæſt. 3. ſect. 9. lumen poſuerit in earum rerum numero.

intro, quæ vocantur permanentes, atque ex earum eiecerit, quæ continenter fluunt, & nominantur ſucceſſiuæ. Sin poſterior, par eſt hanc ſpecie non eſſe diuerſam à lumine, quippe quæ non ſecus ac lumen aſſiduè ſit, præſentiamq; poſtulat corporis lucidi: huius argumento eſt lux lunaris, quæ cùm ſit Solis lumen Lunæ imperitum, ex Solis præſentia pendet, continuoq; deletur, ſi Lunæ corporis opaci interpoſitione ne illud poſſit à Sole mutuari, prohibeatur. Adhæc controuerſantur authores, an lumen, quod fluens à Sole per cælos, elementaq; diffunditur, eiuſdem ſit rationis in cælis, & in elementis. Albertus putat hæc lumina non omnino eſſe eiuſdem rationis, lumenq; in cælis eſſe veluti habitum fixum, ac permanentem, & in elementis diſpoſitionem, quæ facilè poteſt euelli. Proclus apud Philoponũ in diſputatione prima de mundi æternitate hæc lumina inducit tanquam genere diuerſa, quem alij ſequuntur, quòd lumen cæleſte nunquam intereat, & elementare corrumpatur, atque corruptibile & incorruptibile ſint genere diuerſa lib. 10. poſt nat. 26. His non eſt accedendum, nam ſenſus rerum ſenſibilium optimus iudex nullam inter hæc lumina cognoſcit naturæ diuerſitatem; cui fauet ratio, à qua docemur ea non eſſe diuerſa in natura, quæ in deſinitione non diſſentiunt; quocirca quoniam luminis diffinitio tam latè patet, vt qualecunque amplectatur, omnia lumina ſiue per cælos, ſiue per elementa diffundantur, vnius naturæ ſunt, vniuſq; ſpeciei. Neque dicitur verè lumen in cælis habere naturam permanentem, & nunquam intereuntem, nam illud non ſecus ac lumen in elementis continenter oritur & occidit; ſed quoniam Sol nunquam non adeſt, videtur immortale; cæterum ſi eueniat, vt corporis opaci interpoſitione aliqua cæli pars impediatur, ne à Sole aſpici poſſit, continuò extinguitur, idq; Luna teſtatur, quæ deficit terra interpoſita, lumineq; priuatur. Præter has alia ſunt de lumine quæſtiones, ſed ab his abſtineo, quòd is, qui non penitus fuerit rudis, faciles habiturus ſit earum explicationes ijs, quæ de lumine tradita ſunt, diligenter conſideratis.

Re-

Reprehenduntur illi, qui lumen aliter definiuerunt. Cap. XI.

POrrò luminis definitionem rectè traditam esse non solùm declarant, quæ proximè fuerunt explicata, sed præterea demonstrat, quòd qui aliter ipsum definiuerunt, in multas incurrunt reprehensiones. Ficinus sub exitum lib. 2 epist. & in lib. de lumine multus ac varius est in luminis definitionibus, nam primùm lumen definit hoc modo: Lumen est spirtalis quædam & subita, & latissima à corporibus naturæ eorum sine detrimento proprio emanatio; nitoris quidem à perspicuis, coloris ab horum oppositis; quantitatis, figuræ, motusq; ab omnibus. Mox verò fauens Pythagoricis, qui arbitrantur ad gaudentium numinum cantum orbes cæleſtes choreas ducere, inquit lumen esse risum cæli ex spirituum cælestium gaudio proficiscentē. Deinde luminis naturam altiùs perquirens inquit lumen esse mentem iam factam visibilem refulgentem per corpus perspicuum, quasi per virrum: Et paucis interiectis cum Procle, & Plotino definit lumen esse visum aspectumq; numinum per radios cælestium oculorum procul emissum; siue spiritum quendam diuinum, qui & omnia videt, & quantum in se ab omnibus videtur. Denique his non contentus concludit lumen esse numen quoddam in mundano hoc templo Dei similitudinem referens. Omnes hæ definitiones vitio sunt infectæ, & vt à postrema initium sumatur, lumen non rectè appellatur numen, quod naturam quandam significat à materia segregatam, suisq; viribus cohærentem; nec luminis proprium est Dei similitudinem referre, cùm id alijs huius vniuersitatis rebus fuerit æquè aut etiam magis impertitum. Definitiones de Plotini & Procli sententia allatæ sunt vitiosæ, quoniam & cælestia numina nequaquam lumine tanquam visu hæc nostratia intuentur, cæteroquin quæ in tenebris latent, ipsa latèrent; & lumen quod est idem

quod radius, non emittitur per radios; neque vlla præditum est videndi facultate, nec ſua vi aptum eſt videri, quando quidem viſu non apprehenditur, niſi in corpus aliquod opacum incidat. Mentis naturam lumini tribuere amentis eſt, nam lumen eſt corporis affectio nec fluit à mente ſeparata ab omni corpore. At vero quis riſum non edat, ſi cæleſtes ſpiritus ſic gaudio exultare audiat vt riſum tenere non poſſint? Demum prima definitio latiſſimè patet omneſque ſpecies complectitur eorum, quæ cadunt in oculorum ſenſum: Et ſi ad lumen arctata intelligatur, lumen lumine definietur, (nitor enim eſt idem, quod lumen) nec erit abſq; crimine inducere lumen manans a corpore perſpicuo, nam excipitur ab hoc fluens ex præſentia corporis lucidi. Plotinus in lib. 3. de dubijs animæ cap. 7. lumen definit ἐντελέχειαν, & actum corporis lucidi extra procedentem. Hac definitio non eſt quidem, vt accuſetur de falſitate, verùm non aperit naturam & eſſentiam luminis, quæ cum lateat nos ex luminis officio eſt veſtiganda, & huius officij, quod eſt perſpicuum abſoluere, ac complere, nulla eſt habita ratio in hac diffinitione. Dixerunt alij lumen eſſe ἐντελέχειαν perſpicui ſeparabilem, quippe quod ſic adeſt aeri, corporiq; perſpicuo, vt ab ipſo ſeparetur. Hi reprehenduntur, quia ἐντελέχεια non eſt idonea ſatis ad declarandam luminis naturam, quæ cùm ſimul fiat, & facta ſit, aptiſſime ſignificatur vocabulo ἐνέργεια, vt expoſuimus. Id ſi Scaliger & Valeſius non ignoraſſent, non ſcripſiſſent, hic in cap. 53 Sacræ philoſophiæ, ille in exercit. 71. ad Cardanum lumen eſſe ἐντελέχειαν perſpicui, atque hoc pacto ab Ariſtotele fuiſſe definitum; qua in re quàm ſint mendaces, codex Ariſtotelicus poteſt ipſos admonere. Deinde cùm lumen eſſe ſeparabile bifariam intelligatur, vno modo ita vt pertinatur, quo pacto accidentia ſeparantur a ſubſtantia; altero ita vt permaneat, incolumeq; ſeruetur, quo modo nauta eſt nauis actus ſeparabilis; ſi in priore notione accipiatur, id non ſic erit luminis proprium, vt non cadat in omnia accidentia, quæ nominantur ſeparabilia;

rabilia; ſin in poſteriore, falſum erit, nam ſic eſſe ſeparabile eſt ſolius ſubſtantiæ per ſe conſiſtentis, & non accidentis, atque illius præſertim, quod ideo eſt & conſtat, quia ſit continenter. Et ſi luci, quæ eſt qualitas à corpore lucido inſeparabilis, id minimè datum eſt, qui fieri poteſt, vt lumen, quod eſt minus nobile, ſit illud conſequutum? Alijs hæc diffinitio fuit probata; lumen eſt ſpecies viſibilis in toto perſpicuo à luce ſplendidi corporis manans: quam diffinitionem hoc modo explicant. Lumen finitur ſpecies, quia eſt imago lucis: additur viſibilis, vt à colorum ſpeciebus ſeiungatur, quæ ſunt inuiſibiles: ſubiungitur in toto perſpicuo, vt ab ijs imaginibus diſtinguatur, quæ in ſpeculi aut aquæ ſuperficie videntur; quæ loco extremo habentur, docent lumen non eſſe lucem, à qua fluit & manat. Hæc definitio ne luminis fine careret, ab alijs fuit hoc additamento aucta & locupletata; vt viſibilium differentia cognoſcantur: Verùm hoc additamentum non caret difficultate, quoniam cùm lumen ſit omni colore præſtabilius, non eſt conſentaneum ipſum propter colores tanquam propter finem fuiſſe comparatum, quod finis omnibus ijs anteſtet, quæ ſunt gratia ipſius poſita. Et ſi in eo ſitus eſt finis luminis, quis non ſentiat cælos, in quibus non eſt color, temere ac fruſtra lumen excipere? Sed & lumen non eſt ſpecies viſibilis; non eſt ſpecies, quoniam per ſe viſu deprehenditur, & non eſt imago, quæ lux percipiatur; non eſt viſibile, quia lib. 2. de anima 66. viſibilia ſunt colores, eaque omnia, quæ quòd ignea ſint, ac ſplendeant, in tenebris cernuntur; & lumen non eſt color, neque in tenebris videtur, huius quinetiam inditio eſt lucerna poſita in vrna tenebris vndique circunfuſa; nam lumen per foramen foras erumpens, perque aerem diffuſum non comprehenditur viſu, niſi corpus aliquod ſolidum & opacum ſupra vrnam eſſe contingat, quod ne lumen vltra diffundatur, impediat.

Ex-

Explicatio opinionis illorum, qui ſenſerunt lumen eſſe qualitatem ex corpore lucido effuſam. Cap. XII.

FVerunt alij, qui voluerunt lumen eſſe qualitatem non ex materię poteſtate eductam, ſed ex lucido corpore effuſam, quę ſalutem ac vitam omnibus affert: Inter eductionem vero, ac effuſionem hoc intereſſe dixerunt, quod eductio ſit noua productio alicuius ex aliquo, effuſio autem pręexiſtentis rei communicatio ab aliquo, quod eam poſſideat. Hi vt de luminis ortu ita ſentirent, illud effecit, quia conſentaneum eſſe putarunt lumen qualitatem diuiniſſimam abſque vllo materię concurſu ad ipſius eductionem, ſed ſolùm ad ſuſceptionem à ſolo corpore lucido produci, ſolaque agentis fęcunditate in materiam tanquam in vas & ſuſceptaculum effundi. Id verò, quia nouum eſt, ac inauditum, & grauiſſimorum virorum teſtimonijs & argumentis confirmarunt, quę non ſunt prętereunda, quòd contrariorum rationes ſint de contrarijs dubitationes. Hi igitur hoc modo lumen produci inquiunt veteres tum Platonicos, cum Peripateticos ſenſiſſe, nam apud Platonicos hinc ortum habuit opinio illa, quę ſtatuit viſionem fieri luminis emiſſione; & huc ea omnia ſpectant, quę de luminis natura ab his ſcripta ſunt, lumen incorporeum eſſe; adeſſe, ſed non ineſſe perſpicuis corporibus; ſ parabiliter adeſſe; non miſceri aeri; à proprio fonte non ſeparari; aeris qualitatem non eſſe, ſed illuminantis actum ad externa procedentem, non ab illuminato, ſed ab illuminante penetrare ab eoque emitti, vt à cęteris corporibus exhalat vapor; eſſe velut mundanę animę, ac cęterarum viſum, quo cuncta tangunt, cernunt, fouent; eſſe actum diuinę intelligentię per ſolares feneſtras ad oculos emicantem, & per cuncta porrectum: penetrare per ſpicua, & ab opacis refugere; ac demum illud Plotini etiam ſi nullum ſubſit corpus, ſed fingatur inane, perinde ſubſiſtere.

ſiſtere, & ad alia ſeſe extendere, pertranſireq; à nullo vectum. Maximus quoque Tyrius ſerm. 17. lucem à Sole defluentem dixit; & Priſcianus Lydus in lib. Theophraſti de ſenſu, & phantaſia cap. 19. habet hæc, quę eandem ſententiã non modo declarant, verùm etiam confirmant: Iamblicum ſequens neque corpus eſſe lumen exiſtimo, neque corporis alicuius paſſionem vel qualitatem, ſicut Peripatetici: lumen enim eſſe ſuum non habet in aere, nam aere moto lumen permanet, & aere multifariam permutato lumen ſuo in ſe impetu inde diſcedit, ſeruatque interea indiſſolubilem cum ſua cauſſa connexionem. Ipſa quinetiam huius ſimul tota præſentia per omnia accipere id valentia ſubitò facta, præſente videlicet eo, quod illuminat; & iterum abeunte repentina defectio luminis nullum ibi ſui veſtigium relinquentis argumento nobis eſſe poteſt lumen non eſſe aeris paſſionẽ. Paſſiones velut calor nec accedunt ſubitò, & igne ſubmoto calor eius exiguam ſaltem ſui ſpeciem in patiente relinquit. Conſtat præterea ipſum luminis actum eſſe à corporibus ſeparatum, quia neque ſucceſſione gradatim progrediente, neque permutatione ſubiecti vſque accedit, neque ad certum vſque terminum cohibetur, ſed diffundit ſe ipſum quouſque offendit aliquid, quod poſſit accipere. Neque vnquam lumina inuicem confunduntur, atque componuntur. Quo igitur modo lumen actus perſpicui nominatur? Profectò non vt paſſio quædam, neque vt perfectio eius in eo velut ſubiecto facta, ſed tanquam ſeparabiliter ipſum perficiens; neque luminoſus hic actus aliquando fit perſpicui, efficit potius, vt perſpicuum ſit ipſius permanens, ipſe interim illuminanti continuus, atque cum eo vndiq; circunductus. Hoc igitur ita ſummatim commemoratum ſit, ne forſan ſicut in alijs patientibus aliquid effici ſolet, ſimiliter lumen in aliquo fieri vel ſuſcipi ſuſpicemur. *Hęc Priſcianus. At verò Peripatetici veteres paſſim aſſeuerantes,*

tes lumen in aere gigni non more materiæ, ſed ſola præſentia lucidi corporis in perſpicuo, velut actum & perfectionem ipſius, voceq; colluſtrationis vtentes, quæ luminis diffuſionem ſignificat, non obſcurè declarant ſe in eadem de luminis productione opinionem abire. Ac Alexander quidem in lib. 1. de anima cap. 12. & in lib. 2. cap. 38. ſcribit perſpicuum poteſtate non ita ſuſcipere lumen, vt commutetur ſed ſola lucidi corporis præſentia fieri actu, neque omnino à lumine pati, neque lumen eſſe illius affectionem. Nec ſecus ſentit Themiſtius in paraph. lib. 2. de anima cap. 22. & 23. Cum his conſentit Simplicius, cuius ſunt hæc in lib. 1. de anima com. 75. lumen aeri aduenit non ex aliqua ipſius tranſmutatione factum, vt eius indicat præſentia & abſentia nullum ſecũ tempus attrahens, ſed extrinſecus aduenit. His affinia ſunt ea, quæ ab eodem habentur in lib. 2. eiuſdem operis com. 67. quibus oſtendit lumen non eſſe perſpicui paſſionem, quia momento adeſt ac abeſt, & paſſiones cum tempore gignuntur & pereunt. Idem quinetiam paulo poſt tex. 68. ſcribit lumen eſſe actum perſpicui, qui ipſum perficiat, & non qui ab ipſo deueniat; & in eadem ſententia perſiſtens tex. 69. aſſerit lumen non eſſe actum perſpicui tanquam ab ipſo, ſed veluti actum, qui ipſum perficit: vt cùm Ariſtot. lumen definiat præſentiam ignis, aut alicuius huiuſmodi in perſpicuo, interpretatur præſentiam hanc non eſſe localem, ſed ipſius ſuſcipientis perfectricem, idq; iuxta illuminantis efficacem actionem, quæ in paſſionem non terminat, ſed in actionem tantùm: & rurſum in lib. 3. eiuſdem operis 18. voluit mentem effectricem magis ſimilem eſſe lumini, quàm habitui, quoniam habitus ab eo, qui eum habet, inſeparabilis eſt, & lumen quamuis rei illuminatæ adſit, eſt tamen tanquam actus ab eo, quod illud recepit, ſeparabilis, non ſecus ac mens effectrix: Ac demum in com. lib. 2 de cœlo tex. 42. ſtatuit à Sole ac ſyderibus luminis radios effluere, qui aerem colliendo & atterendo calorem excitant. Eandem quæſtionem pertractans Philoponus in lib. 2. de anima tex. 69. quì fiat, cùm Sol cu-

lidus

lidus non ſit, nec eius radij corpora ſint, vt aerem tantopere calefaciant, & in ignarijs etiam ignem accendant, hanc prorſus habet reſponſionem : Quemadmodum ab anima caloris omnis experte vitalis calor in corpus deriuatur, qui calorem inſitum mouens viuificat animal & calefacit, ſic à Sole vitalis luminis actus in aerem proficiſcitur, quo inſitum aeris calorem excitante ac mouente aer caleſcit. Hæc & alia declarant hos putaſſe lumen à lucido corpore demitti, & in aerem commigrare. Idem ſenſiſſe Ariſtotelem is ſibi facilè perſuadebit, qui non ignorauerit eum in lib. 2. de anima 68. voluiſſe perſpicuum eſſe aſpectabile propter externum colorem; & poſt paulò lumen eſſe præſentiam ignis aut huiuſmodi alicuius in perſpicuo: nam his perſpicuè ſignificatur lumen, quod eſt quodam modo perſpicui color, non ex perſpicui gremio pullulare, ſed à corpore illuminante immitti. Atque hi ſunt teſtes, qui producuntur ab his ad ſuæ opinionis de luminis emiſſione è corpore lucido confirmationem : argumenta verò ſunt hæc : Primum : Cùm lumen cæteris omnibus & qualitatibus, & corporibus plurimùm præſtet veluti cœli, ac mentium à materia ſeparatarum virtus, qua hic mundus elementaris regitur atque adminiſtratur, conſentaneum eſt ab his caducis non pendere, neque eſſentiam ab eis accipere, ſed illis omnibus præbere, non vt eorum aliquid, ſed vt quippiam agentis ſuperioris, quòd in illis eam ſolam ob cauſſam ſuſcipiatur, vt generet foueat, & conſeruet omnia. Secundum : Lumen eſt qualitas cœleſtis corporis propria ; at in cœlo non educitur ex materiæ poteſtate, quod huius materia non eſt capax vllius mutationis, ſed corporis naturam conſequitur, & in perſpicuum immittitur : ergo non ſecus de cæteris luminibus, cùm omnium eadem ſit ratio, exiſtimare oportet. Tertium : Quæcunque qualitates ex materiæ poteſtate educuntur, hæ omnes contrarium habent ; non enim fieri poteſt, vt forma, quæ ſit in materia, careat contrario lib. de long. & breuit. vitæ cap. 2. Non igitur lumen ab omni contrarietate liberum ex materiæ poteſtate educi-

tur. Quartum: Nulla eſt qualitas aut forma, quæ non deſcribatur figura ſubiecti, à quo ſuam naturam accipit, & lumen corporis ſuſcipientis figura poſthabita corporis illuminantis propriam ſemper retinet: Hinc Vitellio in propoſitione 39. lib. 2. ſtatuit incidentias radioſas luminis per foramina angularia ingreſſas ad mediocrem diſtantiam eſſe figuræ rotundæ, quia rotundum eſt ſolare corpus illuminans. Quintum: Lumen ſubitò temporiſq; momento exoritur; & quæ patiente ſubiecto producuntur, ea ſenſim & cum tempore gignuntur: Nec quicquam facit, quòd lumen ſit expers contrarietatis, nam eius natura varijs gradibus eſt diſtincta, qui moram adferrent; & cùm tota materia non ſit agenti applicata, ſed alia pars alia remotior, ex vna prius quàm ex altera educeretur. Sextum: Omnes ex materia productæ qualitates pendent ab hac, poſſuntq; aliquandiu in hac retineri & conſeruari; & lumen ſubmoto illuminante confeſtim euaneſcit, nec vllum ſui veſtigium vel tempore breuiſſimo relinquit. Septimum: Lumini datum eſt reflecti, atque in ſeipſum & ad ſuum principium regredi; id autem rebus cum materia copulatis planè aduerſatur, & ijs ſolis conuenit, quæ ſuam naturam aliunde ſortiuntur: Si enim qualitas ex materia educta reflecteretur, aut materiæ quoque & ſubiecti quantitas reflecteretur, aut qualitas eſſentialiter à materia & ſubiecto pendens ex vno in aliud ſubiectum immigraret. Octauum: Aere remoto lumen non remouetur, & quieſcente mouetur, ſi corpus illuminans moueatur: & nulla eſt forma, præſertim accidentaria, quæ ſi pendeat ex ſubiecto, aut non ſimul cum hoc, aut ſine hoc moueatur. Nonum & poſtremum: Certiſſimum huius admirandæ luminis productionis indicium eſt, quòd plura illuminantium corporum lumina in eodem perſpicuo ſuſcepta non confunduntur, neque permiſcentur; quòd nec cæteris conceſſum eſt qualitatibus, nec vllo modo tribueretur lumini, ſi ex materia educeretur, & non potius ſingulari priuilegio à ſolo illuminante naturam totam, & vim obtineret.

vet. His argumentis hæc egregia luminis productio confirmatur.

Recitatæ opinionis castigatio. Cap. XIII.

HAec opinio vt noua est, ac inaudita, ita absurda & incredibilis. Et primùm cùm lumen è lucido corpore nequeat in perspicuum corpus emitti, nisi moueatur loco, & hic motus sic corporis sit, vt alij rei non conueniat, qua ratione lumen, quod non est corpus, poterit loco moueri, & ex vno subiecto ad alterum progredi? Et si effluxus, ac progressus est naturæ per se subsistentis, lumen per se, suisq; viribus constans non alio modo erit in perspicuo corpore, quàm quo quippiam dicitur esse in vase, & in loco, nam hoc excepto nullus est modus ex ijs, quibus quippiam in alio dicitur esse, ab Aristotele in lib. 4. phys. 23. commemoratis, qui possit ad lumen accommodari; at quis fuerit tam ægræ mentis, qui aerem, corpusue aliud perspicuum existimet veluti vas, & locum excipere lumen? Deinde si lumen cùm antè sit, aduenit corpori perspicuo effluens à corpore lucido, accedit ne cum corpore, an sine corpore? Si cum corpore, hic effluxus non erit absque lucidi corporis detrimento, idq; illustrando tandem absumatur, erit necesse: quì præterea lumen corpori coniunctum penetrabit corpus perspicuum, si corporum penetratio est in ijs, quæ fieri non possunt? & quo pacto corpus à stellis effluens subitò sineq; tempore tam immensum interuallum peruolabit, ac sine quidem vlla motus ipsius comprehensione? Motus sane in breui interuallo nos vt lateat, dari fortasse potest, at id postulare in interuallo, qui ab ortu ad occasum, & à stellis ad terram protenditur, magna valde petitio est. Sin verò sine corpore, lucidum corpus illuminando sui luminis iacturam faciet, tempore; procedente eius lumen ita extenuabitur, vt ad nihilum tandem redigatur; id verò falsum esse testatur Sol, cuius lumen

temporis diuturnitate confectum nunquam contabuit: Nec verò putandum eſt Solis lumen eſſe infinitum, nam cuius magnitudo eſt finita, id non eſt capax virtutis infinitæ. Adhac ſi illud intereſt inter ſubſtantiam & accidens, quòd illa eſt ſeparabilis, & hoc inſeparabile, qua ratione lumen, quod eſt accidens, ab eo, à quo poſſidetur, ſine interitu ſeparabitur? Omnino ſi quis vel leuiter naturã accidentis cognitam habuerit, planè intelliget huic aduerſam eſſe ex alio in aliud ſubiectum migrationem, & aliter ſentire putabit eſſe hominis, qui neglectis philoſophiæ decretis delirantium ſomnia conſectetur. Hi cum quibus hac de re diſputamus, vt aliquam ſibi fidem concilient, inquiunt migrationem accidentis ex alio in aliud ſubiectum Simplicio, & Ammonio nec abſurdam, neque improbabilem fuiſſe, qui in com. categoriarum propoſita dubitatione aduerſus id, quod tribuitur illi, quod eſt in ſubiecto, quodq; eſt, impoſſibile eſt, vt ſit ſine eo, in quo eſt; quoniam odor, qui eſt in corpore odorifero tanquam in ſubiecto, ſine hoc per aerem diffunditur; ſoluunt Ariſtotilem dixiſſe accidens non poſſe ſeparari ab eo, in quo eſt ſed non ab eo, in quo erat, nam & ſi ab aliquo ſubiecto deflecteret, huic tamen continuum aut tactu, aut vnione poteſt in alijs ſubiectis ſeſe recipere; ex qua diſſolutione intelligitur viros hoſce grauiſſimos nec abſurdum, nec impoſſibile iudicaſſe accidens ex alio in aliud ſubiectum tranſire. Simplicius præterea vna cum Plotino, ac Philopono ſentit ſonum quoque ſine aeris motu ad maximam diſtantiam ſpargi ſola virtute, & efficacitate primi motus, quo à ſonantibus corporibus fuit productus. Quocirca ſi viri hi ſonos & odores concedunt ex alio in aliud ſubiectum progredi, non eſt, vt mirum videatur, ſi idem tribuatur lumini accidenti minus materiali; magis eſſet mirandum, ſi ſecus lumini accideret, ipſumq; permaneret in perſpicuo, à quo non pendet, ſeparatum a fonte, quem vnicum ſui auctorem, parentem, & conſeruatorem agnoſcit, quiq; propterea lucidum vocatur, quaſi fons datorq; lucis; lucet enim alijs, cæteriſq; impartiſ-

partitur lumen, quod ex ipſo non ſecus, ac aqua ex fonte, continenter fluens perſpicua corpora penetrat, & peruadit, à cæteris reicitur, ac reflectitur. Hæc hi, qui magno errore ducuntur, nec oculis ſanis mentéq; valente videntur Simplicij, & Ammonij enarrationem inſpexiſſe, nam Simplicius perſpicuè damnat ſolutionem propoſitam, quoniam qualitas nullo modo poteſt extra ſubſtantiam migrare, & ſi ſeparetur, non manet incolumis, vt inquit Porphyrius in interrogationibus ad hunc locum; alteramq; adfert, quæ eſt odorem, qui è pomo afflatur, cum ſubſtantia deferri, atque huius inditio eſſe, quòd pomum rugas contrahit ipſius ſubſtantia, in quæ odor eſt, per halitum digeſta. Ammonius quoque eadem ſolutione non contentus adiungit alteram ab ea, quæ eſt Simplicij, non diuerſam; qui præterea poſt paulo non ſolùm reprehendit Platonem ſentientem ad olfactum peruenire odores à rebus odoriferis defluentes, eo argumento, quia defluxus eſt corporis proprius, & corpus omne ſua natura eſt aptè natum moueri, leue quidem ſurſum, graue autem deorſum; & odores æquè omnes ſentimus ſupra, infrà, antè, ponè, dexterà, & ſiniſtrà; verùm etiam demonſtrat nullam qualitatem ex ſubiecto in ſubiectum demigrare; nam aut in eodem momento eſt partim in eo, in quo eſt, partim in eo, ex quo emanat, aut in alio atque alio; ſi prius detur, ipſa à ſeſe qualitas diuelletur; ſin poſterius, quia duorum momentorum tempus eſt medium, hoc tempore qualitas ſine ſubiecto conſtabit; quæ argumenta cùm in lumen quoque valeant, liquet Ammonio non probari luminis ex alio in aliud ſubiectum migrationem. Neque habeat admirationem Simplicium, & Ammonium afferre ſolutionem, quam exiſtimant falſam & improbabilem, quoniam, vt admonemur lib. 8. phyſ 68. aliud eſt reſpondere ad dubitationem, quatenus dubitanti ſit ſatis, & aliud, quatenus res ipſa, & veritas requirit, cùm ſæpenumero dubitanti fiat ſatis, non rei ipſi, atque veritati: In categorijs cùm Ariſtoteles dixiſſet, quod eſt in ſubiecto, id fieri non poſſe, vt ſit ſine ſubiecto, quidam dubi-

dubitarunt propter odorẽ, qui à corpore odorifero & ſeparatus, & per aerem diffuſus conſtat; his Ammonius, & Simplicius occurrunt Ariſtotelem dixiſſe non in quo erat, ſed in quo eſt, & propterea nullum eſſe locum huic dubitationi; caterùm cùm intelligerent in hac reſolutione concedi accidens poſſe ex ſubiecto, in quo eſt, demigrare, idq; abſurdum eſſe, continuò alteram ſolutionem ſubiunxerunt: Id cùm Dexippus non animaduertiſſet, priorem ſolutionem fuit amplexatus; atqui mirum non eſt Dexippum quandoq; deſipere; de aduerſarijs meritò ſanè quis admirabitur, quod magni faciant hanc ſolutionem, quæ ſi fuerit vera, verum non erit id, quod in ſeptimo ipſorum argumento aſſumitur, quodq; eſt qualitatem eſſentialiter ex materia pendentem non poſſe ſuum ſubiectum deſerere, & ad aliud ſeſe conferre; hoc enim ſi ita eſt, quo pacto odor, qui eſt qualitas materiata, & ex materia pendet exiſtens ex primis qualitatibus, poterit ita induci, vt proprio relicto ſubiecto alterum ingrediatur? Quæ de ſono ſubiunguntur, ea quoque magnam non habent probabilitatem, nam Ariſtoteles in lib de ſen. & ſenſibili cap. 7. ſtatuit ſonum per medium cum tempore & locali motu medij ad auditum perferri, nam ſicut in aqua iniecto calculo vnus circulus efficit alium, & hic alium, atque ita deinceps quouſque uis impellens prorſus extinguatur, eodem modo aer, qui multò eſt mobilior, fractus & motus à corporibus ſonantibus frangit & mouet alium in orbem, & hic alium, quouſq; vis frangens & mouens ceſſet; quæ re illud voluit inter viſum, & auditum intereſſe, quòd in auditu prius mouetur medium, quàm inſtrumentum, in viſu ſimul vtrunque. Atque hanc ſententiam perſpicuè amplexati ſunt Alexander in com. lib. de ſenſu & ſenſibili, & in lib. 1. de anima cap. de auditu, Auerroes & aly complures. Auicennas autem putauit eandem aeris partem motam & fractam à corporibus ſeſe percutientibus, & ſonum edentibus impetu ferri, ac per totum medium ad auditum vſq; penetrare, veluti ſagittam ad ſcopum: atque Themiſtius & Philoponus

loponus voluerunt ſonos ab aere & ab aqua perferri ad aures virtute cuiuſdam qualitatis, quam Theophraſtus δυναν hoc eſt perſonantiam vocauit; ſed vt vt res ſe habeat, ſonus nunquã per ſe abſque ſubiecto, ſed cum ſubiecto & aere defertur; tantumq; abeſt, vt ex ijs, quæ à Themiſtio & Philopono traduntur, intelligatur ſonum ex alio in aliud ſubiectum progredi, vt oppoſitum ſignificetur, nam ſi ſonus ad aures peruenit delatus à medio, ipſe planè per ſe non mouebitur; quod accidentia, quæ mouentur, quia ab alio deferuntur, in hoc ſint tanquam in ſubiecto, hocque moto moueantur, & apportentur. Non igitur ſonus & odor quicquam habent momenti ad faciendam fidem huius commentitiæ luminis è lucido corpore defluxionis, ad quam quoque ſtabiliendam non maioris ſunt firmitatis teſtimonia & argumenta recitata; nam viſionem fieri luminis emiſſione fuit ab Ariſtotele refutatum in lib. de ſen. & ſenſib. cap. 3. & ea, quæ lumini à Platonicis tributa in Academia ſunt decantata, aut à veritate abhorrent, aut cautè & tranſlatè ſunt acciipienda, aut minimè ſignificant lumen, quòd eſt in lucido corpore, transferri in corpus perſpicuum; hæc autem quoniam ex ijs, quæ dicta, & quæ deinceps dicenda ſunt, non eſt arduum intelligere, non eſt, vt in eis explicandis quidpiam operæ ponatur. Veteres autem Peripatetici equidem putant lumen fieri in aere non propter materiæ mutationem, ſed propter lucidi corporis præſentiam, verùm non propterea ſentiunt lumen, quod hæret in corpore lucido, in corpus perſpicuum emitti, nam quod ſit dexterum, id fit huiuſmodi, non materiæ mutatione, ſed præſentia illius, quod adſtat ad ſiniſtram; atqui nemo fuerit tam malè ſanus, qui arbitretur dexteritatem ex eo, quod eſt ad lauam, ad id, quod ſit dexterum, ſeſe conferre. Vox autem colluſtrationis his ſanè ſignificat luminis diffuſionem, quemadmodum & nomine calefactionis intelligitur caloris diffuſio; verùm ſi calor per id, quod calet, non ita diffunditur, vt igne relicto in hoc immigret, non intelligo, cur luminis diffuſio non eodem efficiatur modo.

modo. Quæ ab eiſdem ſunt de lumine tradita, ſic ſupra fuerunt explicata, vt aliam non requirant explicationem. Non eſt verò prætereundum Simplicium in lib. 2. de cœlo 42. ſequi pernagatam Mathematicorum opinionem, quæ ſtatuit lumen & radios eſſe corpora, aduerſus quam ab Ariſtotele, & ab alijs fuit diſputatum. Exemplum, quo Philoponus vtitur ad modum declarandum, quo Sol, qui non eſt calidus, excalfaciat, fruſtra penitus eſt ad id, de quo agitur, aperiendum, quoniam calor vitalis, qui ex anima in corpus ponitur deriuari, non antè eſt in anima, & hac relicta tranſit in corpus: Itaq; non poſſum non vehementer admirari, quòd ijs tenebris hi fuerint circunfuſi, vt id non viderint, quod lippitudine laborantes facilè inſpexiſſent, ſi oculos ad illud adiecíſſent. Deniq; cùm Ariſtoteles ſcribit perſpicuum eſſe aſpectabile propter externum colorem, hic color non eſt lumen, vt plerique opinantur, ſed color propriè dictus, qui dum cernitur, facit, vt corporis perſpicui ſenſus habeatur; quamquam ſi quoque is lumen eſſet, non valde magni eſſet ponderis ad perſuadendam hanc admirabilem luminis emiſſionem è lucido corpore in perſpicuum, quoniam lumen ea ratione color externus diceretur, quia eſſentiam non habet, fixam ac permanentem in perſpicuo poſitum in fluxu, & ex lucido corpore pendens, ſecus ac color propriè dictus, cuius eſſentia eſt fixa ſtabiliſq; pendens ex ſubiecto, in quo hæret: Et cùm idem finxit lumen ignis aut alicuius huiuſmodi præſentiam in perſpicuo, ſignificat quidem lumen fieri abſq; vlla materiæ mutatione; at ita fieri, vt recens non producatur, ſed antè in lucido corpore exiſtens euolet in perſpicuum, quo modo hinc intelligatur, ac ſi lynceus eſſem, vel leuiter perſpicerem. Sed iam argumenta expendamus; Primi argumenti non magna eſt vis, quoniam omnis forma ſubſtantialis eſt quouis lumine præſtabilior, quam cerium eſt vna excepta, quæ nos format, & animat, educi ex materiæ poteſtate. Secundo, Tertio, & Quinto verò neceſſariè

conficitur lumen non ſic fieri in aere, vt hoc verò patiente, ve-

req;

vel alterato educatur ex materiæ poteſtate; at non r. Ex quo colligitur lumen antè poſſideri à lucido corpore, & ab hoc in perſpicuum effluere, nam figura, quæ in cæra imprimitur à ſigillo, non fit, quoniam cæra verè patiatur, verèq; alteretur, hanc vero nemo fuerit, qui ſentiat in cæram ex ſigillo transferri. An verò lumen cùm non fiat aere patiente & verè alterato exiſtimandum ſit non educi ex materiæ poteſtate, dubium eſt, quia quid ſit formam educi ex materiæ poteſtate varia eſt explicatio, & de hoc diſputare non eſt huius conſiderationis. Nec verò ſi fuerit conſtitutum lumen non educi ex materiæ poteſtate, ideo extrinſecus accedet à lucido corpore immiſſum, quoniam ſi quæ educuntur ex materiæ poteſtate, ea fiunt materia verè patiente, & agentium naturalium effectione ſic mutata, vt tandem fiat id, quòd fieri eſt aptè nata, multa recens fieri poſſunt non educta ex materiæ poteſtate; atque huius argumento poſſunt eſſe, quæcunque ſunt poſita in relationis categoria, quæ fiunt, cùm antè non eſſent ſine vlla eductione ex materiæ poteſtate. Quartum argumentum oſtendit lumen non pendere ex ijs, à quibus ſuſcipitur, quod non eſt diffitendum, ſi quidem cùm eius eſſentia non ſit permanens & in gignendo conſiſtat, non ex materia ſubiecta, ſed ex cauſſa effectrice, quòd ſit & conſtat, conſequitur. Sextum diluitur, quoniam illæ qualitates, quarum vis & eſſentia eſt fixa ac ſtabilis, à materia retinentur, & in hac tempore aliquo conſeruantur. Reflexio, quæ ſeptimi argumenti eſt fundamentum, minus propriè tribuitur lumini, nam hæc ſolius corporis eſt affectio, nec alicui rei corporis experti verè tribuitur. Lumen autem videtur inflecti, non quia incidens in corpus ſolidum & opacum inde reſiliat, ſed quoniam illuſtrando huic corpori tribuit vim, qua lumen non diſſimile poteſt in perſpicuo gignere. Octauum reprehenditur, quoniam lumen non penitus quidem pendet ex ſubiecto, ſed cùm ſit accidens, cuius eſt eſſe in ſubiecto, neceſſariò requirit ſubiectum, in quo fiat, & à quo ſuſcipiatur aliunde pendens. Nonum & poſtremum vix aut

ne vix quidem nos mouet, qui ſupra expoſuimus vnde exiſtat, cur plura lumina in eodem ſint perſpicuo non inuicem commixta, & temperata, nulla ratione habita priuilegij, quo lumen non ſine flagitio donatur ab his, qui eius naturam nimis valde admirantur: Et hactenus de hac diſputatione, & luminis diffinitione.

Argumenta refutantur, quibus lumen tribuitur catagorijs, in quibus non eſt, & adimitur ijs, in quibus continetur. Cap. XIIII.

COnſtituta luminis natura & eſſentia ſequitur, vt ijs argumentis fiat ſatis, quibus lumen tribuitur categorijs, in quibus non eſt, & adimitur ijs, in quibus eſt, initio à ſubſtantia facto. Ruit primum argumentum, quo lumen eſſe ſubſtantiam concluditur, quoniam lumen non per ſe ſubſiſtit, ipſique falſò tribuitur, quòd in ſe manens ex vna aeris parte in aliam immigret, nam cùm aſſiduè fiat, pendeatque ex lucido corpore, hoc tranſlato deſinit ibi eſſe, vbi ante erat, recenſque ibi oritur, vbi non erat, ex quo fit, vt loco videatur moueri: In aere autem inſt, quod actus ſit in eo, cuius eſt actus, quamquam hoc motu minimè moueatur, tum quia ex ipſo non penitus pendet, tum etiam quoniam non habet eſſentiam fixam & permanentem. Alteri argumento nemo non obuiam it aſſeuerando lumen non vi propria, & veluti cauſſam principem generare ſubſtantias, ſed virtute cœleſtis corporis, & vi huius inſtrumentum, in cuius virtute omnia continentur, quæcunque agentium naturalium effectione generantur. Diſplicet hoc modo huic argumento obuiam ire, quoniam, vt arbitror, lumen non habet vim calefaciendi, quæ in cauſſa eſt, vt exiſtimetur ſubſtantiarum generationi conducere; id ſanè poteſt nouum videri, verùm multò probabilius eſſe, quàm quod ipſi eſt aduerſum, priuata diſputa-

tione

tione considerabitur. Huic igitur argumento, est occurrendum negando lumen per se quidq̃ facere, quod substantijs gignendis vtile sit, sed illius est illuminare, & illuminando diem à nocte distinguere. Quibus ostenditur lumen esse substantiam spiritalem, ea sunt huiusmodi, vt non tollantur, si lumen sit accidens, idq; constat ex ijs, quæ de luminis natura sunt disputata. Nec dissimiliter reprehenduntur argumenta, quibus contenditur lumen esse substantiã materiatam aut corpoream, aut incorpoream. Illorum argumentum, qui voluerunt lumen esse corpus de genere substantiæ omnino indiuiduum, castigatur, quoniam non est, vt præter agentia caduca vllum mouens inducatur, à quo materia proximè moueatur; equidem hæc mouetur à cælo, verùm hoc cùm sit agens procul abiunctum, non mouet, nisi agentia caduca fuerint media interiecta. Et quamuis materia sit vna, non propterea vnum est proximum mouens, quia ad patiendum satis est vnum lib. 1. phys. 56. & ad agendum multa postulantur, vt quæ fiunt ex materia, varietate distinguantur. Quantitatis causam illud argumentum haud quamquam facit bonam, quo persuadetur lumen esse corpus, quoniam, vt nos admonuit Plotinus in lib. 3. de dubijs animæ cap. 7. non est æquum existimare lumen modò abire, modò redire, nunc rectà pregredi, nunc retro conuerti, eaq; sibi asserere, quæ corporis propria sunt: Ecquid verò sit, cur hæc lumini à plerisque fuerint data, supra expositum est. Quòd Simplicius putauerit radios esse corpora, vt afferret rationem, cur lumen calefaciat, non rectè putauit, oleumq; & operam perdidit in causa illius, quod non est, perquirenda. Quæ conficiunt lumen esse qualitatem, ea non sunt à nobis accusanda, qui de lumine non secus existimamus; verùm cùm qualitas ita sit diuisa, vt alia sit materialis siue realis, & alia spiritalis, atque lumen sit nobis qualitas realis & materialis, ea argumenta sunt refutanda, quibus concluditur lumen esse qualitatem spiritalem: Huic igitur qualitati non fauet id, quod primo loco positum est, quoniam illud cernitur in

motu, qui eſt aliquod reale & materiale, atque in omni forma materiali, quæ ex parte fit & oritur: Nec præterea alterum, quoniam actus videndi, actusq; intelligendi, qui ſunt reales, atque, vt plerique exiſtimant, qualitates, fiunt abſque vlla materiæ mutatione, ac ſine tempore; nec deſunt, qui velint formas omnes ſubſtantiales temporis momento exoriri, quas nemo non putat eſſe naturas reales ac materiales. In eo, quod ſequitur, argumento dandum non eſt lumen eſſe ſpeciem & imaginem lucis, quod egregiè fuit monſtratum ab ijs, qui contrariam opinionem tuentur: & ſanè cùm lucem inſpiciamus oculis ad ipſam conuerſis, & lumine apprehenſo lucem non comprehendamus, quis non ſentiat lucis ſpeciẽ & imaginem eſſe à lumine diuerſam? Mitto interim ſpecies & imagines, quibus ſentiendi actus abſoluatur, nunquid ſint ponendæ, magnam habere dubitationem. Proximum refutatur, quia perſpicuum eſt propria luminis materia; ſanè lux poſtulat materiam craſſam & denſam, verùm lux non eſt idem, quod lumen. Ad poſtremum eſt dicendum lumen non eſſe ſua natura aſpectabile, quippe quod viſu non diſcernatur, niſi ipſi occurrat corpus denſum & opacum, à quo diffundi vlterius prohibeatur; quapropter lumen, quod tangit oculos, non cernitur: Et cùm Ariſtoteles ſcribit ſenſum ſolas formas ſine materia ſuſcipere, id non ita eſt accipiendum, vt ſenſus non excipiat & cognoſcat formas materiales, nam ſi hæ lalerent ſenſum, de ipſis quo pacto fieret iudicium? ſed ſententia eſt ſenſum formas, quæ ſunt in materia, ita apprehendere, vt non comprehendat materiam, in qua ſunt, vt viſus apprehendit colorem in corpore ſitum, verùm ſic comprehendit, vt relicta corporis natura ſolum colorem ſolamq; formam teneat; non enim viſus eam habet authoritatem, vt poſſit naturam & eſſentiam corporis, ac materiæ, in qua ineſt color, iudicare; eadem eſt ratio reliquorum ſenſuum. Cùm oſtenditur nullum eſſe qualitatis genus, quod ſit aptum continere lumen, reſpondetur præter quatuor qualitatum genera, quorum habita

eſt.

eſt ratio, alterum eſſe inducendum, quod careat nomine, neque in ere omnium verſatur, ab Ariſtotele prætermiſſum, atque huic datum eſſe lumen continere. Quòd ſi quiſpiam his quatuor generibus contentus noluerit in alio exquirendo ſuam operam locare, huic lumen erit ponendum in ijs qualitatibus, quæ tertium genus conficiunt; nam licèt lumen non verè afficiat aerem, neque ex vlla vera mutatione, qua fiat in ipſo, naſcatur, attamen aer dum illuminatur, quodam modo patitur, & aliquo facto afficitur, hæcq; paſſio & affectio, vt à vera perpeſſione diſiungatur, quæ ſemper coniunctam habet corruptionem alicuius naturæ in eo, quod patitur, exiſtentis, & ideo paſſio corrumpens dicitur, paſſio perficiens nominatur. Quòd Plotinus exiſtimet aerem ſuſcipiendo lumen nihil omnino pati, ſuamq; naturam tenebroſam retinere, non rectam habet exiſtimationem; nam cùm aer in eo, quod eſt perſpicuus, luminis ſuſceptione in actum ex poteſtate transferatur, par eſt ipſum aut pati, aut aliquid ſimile ſuſtinere, quippe qui aliter ſe habet, ac antè ſe habebat, & duci ex poteſtate in actum eſt aut verè pati, aut aliquid non diſſimile. Neque aeris natura eſt tenebroſa, alioquin non abſque detrimento exciperet lumen, cùm nequeat fieri, vt in eodem habitus & priuatio vna coniungantur, quorum ea eſt vis, vt ſibi mutuò in eodem ſubiecto ſuccedant, & altero ſuperueniente alterum perimatur, ſed ſic eſt comparata, vt luminis & tenebrarum expers ſit harum & illius capax. Porrò etſi aer, aliudue perſpicuum tenebras & lumen excipiat, tenebræ tamen eius habilitati & aptitudini non ſunt propoſitæ, ſed lumen ſolùm, atque huius ratio eſt, quia quod non eſt, illud non eſt aptum, vt excipiatur, & tenebræ, quæ ſunt luminis priuatio, habentur pro nihilo; Sed nec etiam poteſtas excipiendi tenebras, diuerſa eſt ab ea, quæ eſt luminis, quoniam cùm poteſtas perpetuò ſit coniuncta cum priuatione illius, ad quod refertur, nulla eſt tenebrarum priuatio, cæterequin eſſet priuatio priuationis, & in priuationibus nullus eſſet finis. Iamblichi & Priſciani Ly-

di.

di argumenta primum, & extremum demonstrant lumen non esse qualitatem fixam & permanentem; reliqua non sic fieri in aere, vt hic verè afficiatur, vereq; patiatur. Idem Simplicio est propositum. Argumentum, quo lumen tribuitur relationi non est necessarium, quoniam adesse & abesse absque subiecti mutatione non sic est huius categoriæ proprium, vt non conueniat ijs, quæ sunt alis, cæteroquin id non fuisset relictum in præteritis ab Aristotele huius categoriæ proprietates enumerante. Nec quicquam facit, quòd lumen, nisi appareant colores, non percipiatur adesse, quoniam & sensibilia communia non nisi coloribus apparentibus cernuntur, quæ certum est non esse colorum euidentias & apparentias. Cùm Aristoteles lumen definit præsentiam corporis luci, di natura, & essentia luminis posthabita, solùm exprimit causam, vt idoneo fuit loco declaratum. Plotinus & Simplicius lumen esse passionem negantes veram propriamq; passionem, quæ nunquam fit sine tempore, è luminis natura tollunt, quanquam Plotinus in hac tollenda non sit absq; crimine existimando lumen non ineße, atque in se ipso consistere. Demum lumen est quidem actio, sed eo pacto vt ipsi minimè sit aduersum esse vna quoque qualitatem, quæ lucidi corporis præsentia efficiatur in perspicuo.

Reprehensio illorum, qui lumen per se calefacere putarunt. Cap. XV.

QVoniam nemo non persuasum habet lumen calefacere, idq; sensus testiatur, cui fidem non habere est mente non satis valere, ac plerique existimant hoc esse lumini datum, quia est corpus, aut corporis alicuius defluxus, qui fuerunt à nobis castigati, vt omnis tollatur dubitatio, caussa cur lumen calefaciat, nos ad se vocat, & præsertim quòd nostram huic quæstioni operam supra sumus polliciti. Ad hanc autem, quæ admodum est controuersa & plena dissensionis, ita aggrediamur. Cùm ea, quæ calefaciunt, aut aliud quippiam efficiunt,

aut

aut per ſe, aut per accidens eo munere fungantur, conſentaneum eſt calefaciendi munus aut per ſe, aut per accidens à lumine exerceri: id autem vtro ſe habeat modo arduum, eſt iudicare. Quicunque hunc locum tractarunt, omnes ferè conſenſerunt lumen per ſe calefacere, at in modo & ratione afferenda, grauiſſimè ſunt inter ſe diſſentientes. Nonnulli recentes putarunt lumen attenuando parare aerem ad excipiendum calorem, qui in ipſo excitatur à ſtellarum motu, vt ſcribit Ariſtoteles in lib. 2. de cœlo 42. & in lib. 1. meteor. cap. 4. Hi magnis premuntur difficultatibus, quoniam cauſſa efficiens, à qua proximè paratur materia ad alicuius formæ materiatæ ſuſceptionẽ, non eſt diuerſa ab illa, quæ eandem educit ex materiæ poteſtate, vt latè oſtenſum eſt ab Auerroe in lib. 7. poſt nat. com. 28. aduerſus Auicennam. Deinde quibus data eſt vis attenuandi, ea omnia vel ſua natura calida ſunt, vel corpus habent & magnitudinem, quo igitur pacto lumen, quod ſua natura non eſt calidũ, quodq; non habet naturam corporis, aerem attenuabit? Et ſi ſtellarum corporumq; cæleſtium motus non attingit aerem in locis circa terram, in hoc quì poterit calorem excitare? Neque id Ariſtoteles ſentit in locis recitatis, quorum ſententia, quæ ſatis obſcura eſt, loco commodiore declarabitur. Senſerunt alij lumen ex ſe parere calorem, nunquid verò id ſit in luminis natura, an hanc conſequatur, controuerſantur. Pleriſque fuit probatum hoc calefaciendi munus conſequi naturam luminis, qui in quatuor ſectas ſunt diducti; nam alij, vt Simplicius in lib. 2. de cælo com. 29. exiſtimant radios eſſe corpora tenuia, ſolidaue, quæ cùm Solis latione celerrimè per aerem ferantur, hunc atterunt, & atterendo generant calorem. Putant alij lumen reflecti, & reflexum in eadem aeris parte geminari, & geminatum parere calorem, quippe quod efficiatur denſum, & magis craſſum. Quidam, vt Olympiodorus in com. lib. 1. meteor. ſentiunt aerem à lumine quaſi vitam accipere, & amplioris luminis deſiderio inflammatum, vitaq; vberioris participem fieri appetentem va-

rijs

ryjs mirisque modis moueri, ita vt incalescat. Nonnulli demum eam ob caussam à lumine calorem effluere tradiderunt, quòd aer fit à lumine tenuior; ex quo existit, cùm proprio in loco nequeat contineri, vt ampliorem quarat, variq; ita moueatur, vt concipiat caliditatem. Hæ opiniones si veniant in examen, nulla erit, quæ sit vacua ab accusatione. Autores primæ opinionis non esse ferendos Aristoteles, Alexander, & Philoponus docuerunt, à quibus lumen & radios non habere naturam corporis fuit monstratum: vt interim mitiã, si calor à radijs hoc modo excitaretur, omnes aeris partes æquè calescerent, nec media illius regio frigeret. Secundæ amatores sunt interrogandi, nunquid lumen cum aere, an per se solum reflectatur: si cum aere, illa pars aeris, quæ repellitur, aerem, in cuius locum sese insinuat, depellat, est necesse, quoniam duo corpora nequeunt ab eodem loco proximè contineri; quòd si aer aeri locum cedit, in eadem aeris parte lumen haudquaquam duplicabitur, & quod sequitur, non geminatum non calefaciet: Sin per se solum, quo pacto res incorporea, & qualitas repercutietur, angulosq; faciet, atque ex vna aeris parte in aliam commeabit? Præterea si quod suscipitur, id non est in accipiente, qua ratione aer habens lumen ab hoc illustrabitur retro sese conuertemie? Et si calefactio non est sita in luminis natura, atque in reflexione solum lumen adijcitur lumini, & præterea nihil, quo pacto reflexum efficiet calorem? Tertiæ opinionis approbatores non intelligunt se necesse habere fateri aerem minus luminis habentem magis calere, quàm cui plus luminis est impartitum: Etenim vt rei possessio explet appetitum, ita indigentia hunc maximè concitat, qua è re si variè ac mirificè mouetur aer, vt maiori lumine imbuatur, decet eum, quò abest longius à lumine ampliore, eò magis moueri, magisq; appetere, ac proinde maiorem consequi caliditatem. Cùm verò tollatur appetitus, vbi id, quod expetitur, fuerit acquisitum, profectò aer vbi fuerit summo lumine repletus, nulla erit ratio, cur vlterius cupiditate illius teneatur, moueaturq;

neaturq̃, vt illius particeps efficiatur, quapropter aer plenè, ac-
mulateq́, illuſtratus minorem habebit caliditatem, atque is, cui
minus luminis eſt traditum. Accedit, quòd cùm vita, vel id,
quod eſt vitæ ſimile, ſit actus ſecundus, qui primum actum
proximè ſequitur, oportet à lumine aliquam formam tribui &
qualitatem, quæ ſit actus primus; at verò quæ forma in aere
excitetur à lumine, hi non explicant, & ſi explicare fuerint ag-
greſſi, non facilè habebunt explicationem. Quòd ſi voluerint
lumen eſſe formam, quæ vitam ex ſeſe mittit in aerem, iam cæ-
lum ac ſtellæ, quæ lumine abundant, eodem, quo aer, appetitu fla-
grabunt, quod an ſit ferendum, ipſi conſiderent. Et ſi moueri
à ſe eſt rei animatæ, & nullum corpus ſimplex à ſe poteſt moue-
ri lib. 8. phyſ. 30. qua ratione aer licèt luminis factus ſit parti-
ceps, poterit ex ſe moueri, qui eſt corpus ſimplex, atque animæ
expers? Secta poſtremæ defenſores accuſantur, quòd ignorent
ab incorporea, & minimè calida re non poſſe aerem attenuari,
nam quæ fiant tenuiora, ea à calidis, vel à ſolidis conterenti-
busq́, rebus attenuantur. Quinetiam peccant neſcientes aerem,
quamuis multò tenuior efficiatur, quàm natura ipſius patiatur,
non poſſe ex ſe moueri locumq́, ampliorem quærere, cùm nullum
ſimplex corpus habeat in ſe principium motus efficiendi lib. 8.
phyſ. 32. At verò calefacere ſitum eſſe in luminis natura pu-
tarunt omnes illi e Platonis ſchola, qui de præceptoris ſententia
cælum ex igne compoſuerunt, nam cùm ſtellæ ignea ſint, ex ſe
lumen emittunt ſua natura calidum, ſuaq́ natura calefacien-
Verùm de his refellendis non eſt vt laboremus, cùm ignis
ex cælo & ſtellis fuerit ab Ariſtotele eiectus. Philoponus in
com. lib. 2. de anima in digreſſione ad tex. 69. ſcribit Solem,
quamuis non ſit calidus, nec eius radij corpora ſint, aerem ta-
men calefacere, quoniam quemadmodum ab anima caloris om-
nis experte vitalis calor in corpus deriuatur, qui calorem inna-
tum excitando animal calefacit, ſic à Sole vitalis luminis actus
in aerem effunditur, quo inſitum aeris calorem excitante aer

caleſcit. Hic docet quidem Solem non calidum poſſe calefacere; at ratio & modus quæritur, quo Sol non calidus, & lumen non calidum calefaciat; neque ad hoc aperiendum quicquam facit propoſitum exemplum, quoniam calor vitalis non ab anima, ſed à corde, quod eſt fons caloris, in cæteras corporis partes proficiſcitur: & verò Sol tam & ſi luminis ſit fons, & origo, non eſt tamen locus, in quo generetur calor, qui vna cum lumine ad hæc loca circa terram deferatur. Dixerunt alij lumen ſua natura calefacere, neque huius aliam cauſſam præter ipſius naturam eſſe quærendam, quemadmodum quoque cum ignis ſua natura calefaciat; nemo laborat, vt huius cauſſam aperiat. Hi cùm intelligerent hoc onus eſſe grauius, quàm quod ab ipſis poſſet ſuſtineri, ad illud ferendum luminis naturam implorarunt; atqui calefacere non ita eſt in luminis natura, vti eſt in natura ignis, ſed illius eſt illuminare; Hinc Ariſtoteles in natura luminis aperienda, huius nullam ſibi rationem habendam eſſe putauit. Quòd ſi dixerint Ariſtotelem non ſimpliciter aperuiſſe luminis naturam, ſed qua ex parte id vtile eſt coloribus videndis, primùm eos rogabimus, vt indicent locum, in quo Ariſtoteles luminis naturam ſit abſoluè contemplatus, quando quidem credendum non eſt eam fuiſſe ab Ariſtotele neglectam, qua adeò eſt præſtabilis, vt à plerisq; habita ſit diuina, & Scaligero in exercit. 71. ad Cardanum fuerit religio arbitrari eam interire: Deinde eos exagitabimus, quòd qualitates natura & eſſentia diuerſæ ex ſe promunt actiones natura & eſſentia diſcrepantes; effectio enim ac muneris functio ex rei natura proximè fluit, & Auerroi, atque alijs nihil aliud videtur, quàm forma & eſſentia ſeſe patefaciens: cùm itaque lumen in natura & eſſentia differat à calore, nequit fieri vt cum hoc habeat actionis communitatem, ſuaq; natura calefaciat. Præterea ſi eſſet in natura luminis calefacere, hoc vel ex communi, vel ex propria luminis natura exiſteret; quorum neutrum eſt à difficultate liberum: lumen ex natura communi non calefacit, quia non eſſet qualitas ſim-

ſimplex, ſed duabus ex naturis propria & communi conflatum conſiſteret: Idem ex natura propria non fungitur hoc munere, quoniam quod præcipuè datum eſt vni, id alij rei, naturaq; diuerſæ non fuit conceſſum. Sed & præter hæc ſunt alia, quæ demonſtrant lumen per ſe non calefacere: Vnum eſt: Si lumen per ſe parit calorem, & aerem, quem illuminat, calefacit, aut per modum formæ in hoc munere verſatur, quo pacto caliditas in aere hærens aerem calefacit, aut per modum cauſæ effectricis; neutrum eſt ponendum, nullo igitur modo lumen per ſe calorem effundit. Lumen non afficit aerẽ calore per modum formę, quia ſua natura non eſt calidum; & quia lumine remoto aer non retineret caliditatem, nam remota forma id, quod ante erat cuiuſdam modi, deſinit eſſe illius modi, vt exempli gratia cùm aer caliditate ſit calidus, amota caliditate deſinit eſſe calidus. Idem non calefacit aerem, quem illuminat, per modum cauſæ effectricis, quoniam in omnibus oportet id, quod agit, & mouet, loco & ſubiecto diſiungi ab eo, quod patitur & mouetur lib. 8. phyſ. 30 & nulla forma diſtat ſubiecto ab eo, in quo hæret. Accedit, quòd ſi lumen hoc modo calefaceret, illud incommodum præſtò foret, vt idem agat in ſe ipſum. Etenim cùm actio, quæ fluit à forma, naturæ, cuius eſt forma, tribuatur, profectò quia lumen eſt forma aeris illuminati, eius actio huic erit adiudicanda; quapropter ſi hic actione luminis incaleſceret, ſibi ipſi cauſſa foret caloris, ſimulq; eſſet agens & patiens, actu & potentiate. Reſpondebunt forſitan cùm actionum aliæ ſint vniuocæ, & aliæ æquiuocæ, fieri quidem non poſſe, vt actione vniuoca idẽ agat in ſe ipſum; cæterùm, nihil prohibere, quominus idem à ſe ipſo actione æquiuoca patiatur, cuius modi eſt actio luminis, quæ aer incaleſcit. Hæc non ſunt ferenda, quoniam cùm aer illuminatus vbi incaluerit, calefaciat actione vniuoca, ſequetur, vt idẽ reſpectu eiuſdem ſit cauſſa æquiuoca & cauſſa vniuoca: quod fieri non poſſe illud perſuadet, quia cauſſæ æquiuocæ & vniuocæ ſpecie, & natura diſtinguuntur, & fieri non poteſt, vt quippiam

ſpecie & natura fiat à ſe ipſo diuerſum abſque mutatione, quæ eſt in ſubſtantia. Amplius Ariſtoteles in lib. 8. phyſ. alijsq; in locis ſtatuit nihil à ſe ipſo cieri poſſe motu in loco, quem nemo non fatetur ad actiones æquiuocas reuocari. Deinde cùm in lib. 9. poſtnat. definitur poteſtas agendi, quæuis agendi poteſtas finitur, ſiue vniuoca ſiue æquiuoca actionis fuerit principium, atqui cùm hæc finiatur principium tranſmutandi aliud, vt aliud eſt, hoc eſt principium, quo cauſſa agens tranſmutat id, quod eſt alius ſpeciei & naturæ, vt huius modi eſt; & nequeat fieri, vt idem à ſe ipſo ſit ſpecie & natura diuerſum, quia vnius rei vnica eſt ſpecies, & vnica natura; profectò nulla prorſus actione fieri poteſt, vt idem agat in ſe ipſum, & a ſe ipſo moueatur. Poſtremò quod formam poſſidet modo nobiliori, id nunquam laborat, vt eandem teneat modo minus præſtabili; ſed agens actione æquiuoca formam, quam producit, virtute tenet, & quod ſequitur modo multò præſtabiliore, ac ſit is, quo eadem forma propriè, ac iuxta ſuam naturam habetur; nulla igitur eſt ratio, cur agens æquiuocum agat in ſeipſum, ſibiq; illam formam tribuat, in cuius eſt poſſeſſione modo longè excellentiore, quàm ſi eam verè, ac propriè teneret. Alterum, quo idem monſtratur, eſt huiuſmodi: Si ſtellarum lumen per ſe calorem effunderet, in quæſtionem venit, an hic calor ſit eiuſdem rationis, & naturæ cum calore elementorum: Si negetur, quæ eſt multorum opinio exiſtimantium hunc calorem non eſſe igneum, non aereum, neque quippiã ex ijs, quæ inferior hic mundus habet, ſed cæleſtem efficaciſſimũ, omnibus ſalutarem, eaq; virtute præditum, qua omnia penetrat, omnia fouet, omnia gignit, omniaq; moderatur, ſenſus iudicium erit contemnendum, quo decretum eſt calorem e lumine manantem calefacere, ignei caloris acceſſione augeri, frigoris vim depellere, & à frigore viciſſim extingui, eaq; omnia tenere, quæ cãlori elementari fuerunt conceſſa: Sin verò affirmetur, ignis in genere calidorum non erit illud, quod primùm ac per ſe calidum eſt; nam quod eſt huiuſmodi, id cæteris omnibus, quæ huius

ſunt

ſunt generis, cauſa eſt, quòd incaleſcant; lumen verò ſi calefacit, plurima eorum, quæ caleſcunt, & calent, huic ſuam ferunt acceptam caliditatem. Præterea cæteræ qualitates frigus, humor, & ſiccitas, quarum magnus eſt vſus in rebus gignendis, ſi ad cælum referantur, erunt ex accidenti in naturæ vniuerſitate, neque in ſtellarum cæliq; virtute poſitæ; ea eſt ratio, quia influxus indigni ſunt, qui à philoſophis approbentur, & his reprobatis nullum in cælo inſtrumentum intelligitur, quo hæ qualitates generentur. Demum cùm nihil æquè tritum ſit apud philoſophos, quàm fruſtra id pluribus confici, quod paucioribus poteſt comparari, atque vna ignis caliditas poſſit omnia præſtare, quæcunque tribuuntur lumini, non eſt, vt igne poſthabito proxima caliditatis cauſſa e cælo, & lumine petatur: Solam ignis caliditatem ſatis eſſe ad ea conficienda, quæ in terris & in aqua natura fiunt, teſtis eſt Ariſtoteles, qui in lib. 2. meteor. cap. 3. conijcit cauſſam ſaporum, quos fontes amniumq; fluxiones proferunt, in ignem, qui eſt in eis, aut innaſcitur; & in cap. 8. terræ motus cauſſas exquirens plurimi facit ignem, quem terra continet, & à quo terra concalefacta multum ſpiritus extra, & intra parit. Idem in lib. de part. & de gen. animalium dum varios partium vſus contemplatur, & multiplices animalium ortus, progreſſusque ſcrutatur, vnius caloris elementaris habet rationem, atque hoc tanquam concauſſa & inſtrumento in lib. 2. de anima 41. ſtatuit vegetabilis animæ opera exerceri, nihilq; vnquam refert ad luminis caliditatem, aut referri poſſe ſignificat hac ſemper pro nihilo habita.

Ariſtoteli non fuit probatum lumen per ſe calefaſcere. Cap. XVI.

QVinetiam Ariſtoteli probatum non fuiſſe calorem per ſe fluere a lumine conſtat ex eo, quod his in locis, in quibus

bus disputatur de caliditate à stellis emanante, quiq; sunt lib. 2. de cœlo tex. 42. & lib. 1 meteor. c. 4. nulla habita luminis ratione cœli stellarumq; motio ponitur causſa caliditatis, quæ fit à stellis in locis circa terram: Et sanè non erat, vt lumen vllo pacto prætermitteretur, quoniam his in locis propoſita dubitatio ad explicandum ex lumine exiſtit, ea eſt: Quicunque cœlum, ac ſtellas ex igne conſtare opinabantur, hanc ſuam opinionem confirmabant, quoniam lumen calefacit, & aliquando comburit, quo argumenti genere vſum fuiſſe Cleanthem teſtis eſt Cicero in lib. 2. de natura Deorum: Itaque à ſtellis fieri caliditatem aſſeuerabant lumine tota inferiori hac vniuerſitatem diffuſo, quod ob id habet vim calefaciendi, quia effluit à corpore calido. Cùm igitur Ariſtoteles docuerit cœleſtia corpora non eſſe calida aut ignea, dubitatio exiſtit, ecquid cauſſa ſit, cur calor generetur in aere circa terram profluens à ſtellis minimè calidis aut igneis. Reſpondet Ariſtoteles hunc calorem à cœli ſtellarumq; motione proficiſci: & quoniam huius caducæ vniuerſitatis pars tam ſupera, quàm infera cœli ſtellarumq; effectione incaleſcit, in lib. 1. meteor. cap. 4. quo vtraque modo concipit caliditatem declarat; partemq; ſuperiorem ſcribit incaleſcere, quia cœli motione atteritur, & diſcutitur; motus enim in aere vim habet caloris inducendi, cuius rei argumento eſt, quòd ſæpè viſum eſt ea, quæ per aerem celeriter mouentur incaluiſſe, & ſi liquabilem habeant naturam, fuiſſe liquata; rei enim ſolidæ motio atterit aerem, & ſecernit, qui calidus factus mox calefacit, quæ per ipſum feruntur. Hoc autem in loco eſt attendendum Ariſtotelem de ſententia veterum, quibus cum diſſerit, ponere ſpatium à terra ad ſtellas protenſum eſſe aeris plenum, atque hunc ſua natura frigere; neque velle ignem, qui ab ipſo ſub Luna poſitus eſt, calidum fieri diſſectum cœli motione, vt Teleſius & alij ei perperam tribuunt, ſed aerem, ſi quis cum veteribus, quos Stoici ſunt ſequuti, hunc ſtatuat ſuapte natura frigidum eſſe, & à terra ad ſydera vſq; protendi. Inferiorem verò mundi

ſub-

ſublunaris partem recipere calorem idem nos docet, quòd illud corpus calidum in Lunæ concauo ſitum ſiue ſit aer, ſiue ſit ignis ambiens aerem, cœli motu diuellitur, ac vi deorſum pellitur, hoc autem longè latèq; diffuſum cauſſa eſt caloris, qui his in locis percipitur. His modis ſcribit Ariſtoteles calorem fieri in hac mortalium rerum vniuerſitate effectione ſtellarum, cùm hæ calorem minimè habeant inſitum: Quapropter ſi hic probaret lumen calefacere, huiuſmodi explicatio eſſet inanis, & præter fores dubitationis propoſitę, nam quod cadit in quęſtionem, & facit difficultatem, non explicatur modo expoſito, quo cœlum ſuo motu calefacit, ſed id poſtulat rationem, qua lumen fluens à corpore non calido vim habet calefaciendi. Hinc patet ferendã non eſſe multorum reſponſionem, qui dicunt Ariſtotelem ſentire cœleſtia corpora tàm motu, quàm lumine efficere caliditatem, ac motu ſuperiorem aeris regionem, & lumine inferiorem calefacere, cęterùm lumen veluti cauſſam caliditatis omnibus notam neglexiſſe, ac ſolius motus, qui eſt cauſſa minus cognita, meminiſſe: Hæc reſponſio non eſt approbanda, quoniam ſi lumen ad Ariſtotelis ſententiam calefacit, caliditatis cauſſam oportebat non in motum, ſed in lumen conijcere, atque docere, quo modò poſſit calefacere, cùm calidum non ſit, neque à calido corpore fluat: nam tota hinc exiſtit dubitatio. Nos præterea Ariſtoteles deciperet, qui de calore in locis circa terram facto agendum propoſuit, & de hoc ſe egiſſe confitetur ſubiungens poſt dubitationis explicationem: Ob hanc igitur cauſsã peruenit ad hunc vſq; locum calor: *Ergo Ariſtoteles non ſolùm aperit cauſſam, cur aer ſuperior incaleſcat, ſed etiam cauſſam docet, cur aer in his locis circa terram concipiat caliditatem. Nobilius cùm hoc intelligeret in com. lib. 1. de gen. & int. ſcribit Ariſtotelem ſequi peruagatam mathematicorum opinionem, qui putabant radios eſſe corpora tenuia, & ſuo incitato motu interceptum aerem atterendo calefacere: Itaq; cùm ait Ariſtoteles ſe velle diſſerere de calore, quem Sol exhibet, ſentit caliditatis nomine ſignificari lumen,*

lumen, idq; conſentire cum ijs, quæ in lib. 2. de cælo 42. habentur, quæq; ſunt: Calor & lumen generatur attrito aere à Solis latione, *quaſi calor & lumen idem ſint. Hanc verò explicationem confirmat, quoniam accurata de hac caliditate diſputatio reſeruatur lib. de ſenſu & ſenſili, in quo ſi excipiatur lumen, de nulla caliditate à Sole exhibita inſtituitur diſputatio. Et cùm Ariſtoteles ſubiungit Solis lationem ſatis eſſe ad calorem afferendum, interpretatur Solem, dum fertur, calorem afferre radiorum coniectione : Hos enim veteres putarunt citiſſimè aerem mouendo in cauſſa eſſe, vt aer incaleſcat, atque hoc pacto voluerunt motum, qui aerem calefacit, eſſe radiorum motum, atque hunc pendere à Solis latione, ideſt à Sole, dum fertur, nam hunc ſequitur radius tanquam fontem ſuum, & quantò celerius mouetur, tantò etiam radius. Hac interpretatio Ariſtotelem inducit in Scyllam, vt dicitur, incidentem, vt euitet Charybdim, etenim ij, quibus erat perſuaſum ſtellas eſſe igneas, quòd lumen ab his effluens efficiat caliditatem, ipſum irriderent, qui vt doceat lumen poſſe calefacere, quamquam à calido corpore non demittatur, amplexatur dogma valde improbabile, & alio in loco neceſſarijs argumentis ab ipſo refutatum. Adiungendum eſt Ariſtotelem de caliditate, quam Sol præbet, loqui, cuiuſq; cauſſa initio capitis fuit propoſita ad explicandum, & non de lumine, quod nullam habet dubitationem, atque aſſeuerare Solem ſua motione, & non radiorum coniectione afferre caliditatem. Sed hæc ita ſunt clara, vt hac Nobilÿ explicatio non ſit multis expugnanda. Neque verò lumen & calor idem ſunt Ariſtoteli in lib. 2. de cælo 42. ſed aut luminis vocabulo oportet ignem accipere, ita vt ſentiat Ariſtoteles ſuperum aerem fieri ignem, & attritum à latione ſyderum incaleſcere, aut nomen* φῶς, *quod latinè eſt lumen, ſcribendum eſt, quod nonnulli adnotarunt, non circunflexè, ſed acutè* φώς, *quod à verbo* φώξειν, *quod eſt ardere, ductum ſignificat vſtionem; ſententiaq; verborum Ariſtotelis eſt vſtionem, & calorem aere attrito fieri à ſtellarum*

larum motione; atque id eſt conſonum ijs, quæ in lib. 1. meteor. ca. 4. ſcripta ſunt ad hunc modum: Vt igitur fiat æſtus, & calor, ſufficiens eſt efficere Solis latio tantùm: *Nec præterea quicquam facit, quòd ſcribat Ariſtoteles de caliditate, quæ à Sole exhibetur, accuratius in ijs, quæ de ſenſu diſputari, nam in his conſideratur lumen, non vt caloris effector, ſed vt in actu videndi adiutor, nec ſolùm de ipſo diſſeritur, ſed etiam de caliditate, quæ afficit ſenſum & tactum, quamq; Ariſtoteles in his verbis habuiſſe propoſitam ratio allata declarat, cur in ijs quæ de ſenſu accuratior ſit de caliditate conſideratio; ea eſt, quoniam calidum eſt paſſio ſenſus. Quapropter his magis quidem explicata tractatio reſeruatur, verùm hæc caliditas non eſt lumen, ſed calor, quo afficitur ſenſus. Nobili interpretationi proxima eſt explicatio quorundam, qui ſentiunt Solis ſydus ſua diurna latione aerem atterere, quoniam cùm ex ſe mittat lumen perſpicui actum, ex hoc & aere perſpicuo fit vnum, quod Solis motione conuertitur, nam ex duobus cùm vnum eſt factum, ſi alterum mouetur, alterum quoque moueatur, oportet; quare cùm Solis lumen vnà cum Sole moueatur, æquum eſt aerem illuminatum motu eodem agitari; hic autem motu attritus concipit caliditatem. Hæc explanatio non caret difficultatibus. Et primùm cùm Luna motu diurno agatur, atque ex eius lumine & aere perſpicuo vnum conficiatur, ipſa æquè ac Sol erit cauſſa caliditatis, aut etiam magis, quippe quæ ſit aeri multò propinquior. Deinde ſi lumen non eſt corpus, atque motus eſt ſolius corporis, quì fieri poteſt, vt eius motu illuminatus aer cieatur? Et vt hoc detur, cur eadem ratione lumen non mouetur motu aeris, & præſertim cùm par ſit, ſi alterum alterius motu agendum eſt, vt potiùs lumen, quod eſt accidens, moueatur motu ſubiecti, quàm contra aer, qui eſt ſubiectum, motu accidentis? Poſtremò lumen non ſecus per cœlum, quàm per aerem diffunditur, ecquid eſt igitur, cur caliditas non fiat in cœlo? Reſpondent ex lumine & aere vnum fieri, & non ex cœlo ac lumine, atque huius eam eſſe*

rationem, quia lumen eſt in aere per modum habitus, & formæ manentis, & in cælo per modum affectionis; quæ facilè poteſt euelli. Hæc reſponſio non eſt probabilis, tum quia lumen non poteſt in aere eſſe per modum habitus, & formæ manentis, quoniam eius natura eſt fluxa, & continenter oritur ac perit, tum etiam quoniam vero eſt ſimilius lumen in cælis ineſſe per modum habitus, & in aere per modum affectionis, quod putauit Albertus, vt ſuo dictum eſt loco. Adiungendum eſt ex aere perſpicuo, & lumine vnum fieri, quoniam lumen eſt actus perſpicui, & illud non ſecus eſt actus perſpicui cæleſtis, ac ſit aerei: Sed ad alia pergamus. Antiquorum plerique lumen efficere caliditatem exiſtimabant quoniam ipſum, & ipſius radios credebant eſſe tenuia, ſolidaq; corpora; quæ in terram incidentia reflectuntur, & aerem atterendo calefaciunt. Academici, & alij opinabantur à lumine fieri calorem, quia lumen à ſtellis calidis, & igneis demittitur: Hanc caliditatem lumine recta procedente eſſe imbecillam, ſenſumq; latere aſſeuerabant, reflexo autem & in ſe ipſum conglobato eſſe validiorem, ſenſumq; mouere, quoniam multa illius copia in eadem aeris parte coacta in vnum fit craſſius, ſuamq; propterea manifeſtiùs prodit effectionem, ac patefacit. Ergo ſi Ariſtoteles demonſtrauit lumen non eſſe corpus, in lib. 2. de anima 69. & cælum non eſſe igneum: in lib. 1. de cælo, & in lib. 1. meteor. quis neſciat ijſdem rationibus fuiſſe concluſum lumen non efficere caliditatem? Principijs enim auulſis ea non poſſunt manere, quæ ex ipſis pendent. Demum, vt hæc diſputatio aliquando concludatur, Ariſtotelem non recipere caliditatem per ſe à lumine fluentem hinc facilis eſt coniectura, quòd ipſe nuſquam explicauit rationem, qua lumen hoc munere fungatur, quòd cùm maximi ſit momenti, non erat in præteritis relinquendum. Huius rei explicationem multi eſſe faciendam argumento eſt, quòd philoſophi omnes, qui ex lumine calorem oriri crediderunt, de hac multùm laborarunt, & in eas opiniones abierunt, quæ fuerunt profligatæ, cùm.

cùm fuit oſtenſum lumen non eſſe corpus, & ſtellas non eſſe igneas. Et ſanè niſi dixerimus Ariſtotelem in his decretis confutandis habuiſſe in animo propoſitum vnà docere lumen per ſe non habere vim calefaciendi, ipſe non diſſimiliter erit reargu-endus, ac veteres illi, qui in lib 2. phyſ. 43. accuſantur, quòd nihil tradiderint de fortuna: nam cùm hi caſtigentur, quòd fortuna aliqua mentio eis erat facienda, ſiue nullam eſſe putarent, ſiue eſſe arbitrarentur, præſertim cùm ea interdum vterentur; eodem modo Ariſtoteles poterit reprehendi, lumen calefacere ſiue putarit, ſiue non putarit, quòd rationem, qua lumen calefacit, non aperuerit, aut ab alijs traditam non refutauerit, præſertim cùm interdum videatur luminis caliditatem approbare. Ex his non ignorare exiſtimo lumen per ſe calefacere nunquam ex Ariſtotelis doctrina effluxiſſe; quod cùm Philoponus non ignoraret in com. lib. 1. meteor. hac in re multis rationibus Ariſtotelem exagitauit. Auerroes quinetiam cùm idem haberet perſpectum in lib. de ſubſtantia orbis cap. 2. ſcripſit vim calefaciendi communem eſſe conditionem cæleſtium, & caducorum corporum, verùm cæleſtia ex Ariſtotelis ſententia calefacere, non quòd ſint calida, qualitates enim huiuſmodi ab his procul abeſſe, ſed ſui motus celeritate. Adiecit Peripateticos, qui poſt ſequuti ſunt, dixiſſe lumen ſua natura calefacere. Calorem igitur per ſe fieri à lumine decretum eſt non Ariſtotelis, ſed poſteriorum Peripateticorum. Alexandrum excipio, qui in lib. 2. de anima 36. cùm eo argumento monſtrauerit lumen non eſſe ignem, quia nec vrit, nec calefacit, quiſpiam non iniuria exiſtimabit ipſum non approbaſſe caliditatem à lumine factam.

Lumen per accidens calefacit ob ignis admistionem; Valesiusque reprehenditur de ignis motu, ac sede perperam sentiens. Cap. XVII.

CVm lumen per se non excalfaciat, relinquitur, vt per accidens in hoc officio versetur, & quia ipsi accidat habere aliquod, cuius sit per se calefacere: Cùm verò munus calefaciendi primum fuerit igni à natura impertitum, atque hic in genere calidorum sit primum calidum, primamq; sibi asserat calefaciendi authoritatem, existimandum est lumen calefacere ob ignis admistionem, & quia ignis aeri illuminato admiscetur; Vnde verò existat hic ignis, magnam habet dubitationem. Valesius in cap. 1. Sacræ Philosophiæ inducit ignem, qui in hac rerum vniuersitate careat & proprio motu, quo sua natura creatur, & proprio loco, à quo contineatur à reliquis elementis separatus, sed veluti quædam mundani huius corporis anima totam hanc inferiorem vniuersi partem occupet per omnia permeans, vt omnia faciat fœcunda, ac modo quodam vita donet. Quæ huno virum impulerunt, vt & proprio motu, & propria sede ignem priuaret, fuerunt hæc: Primum, quoniam videmus nullibi ignē manere, nisi illic suppetat materia, qua alatur, eaq; absumpta statim extingui, vt dissipato fumo, & consumpto oleo flammam: Ergo si ignis in sua regione sursum ab alijs omnibus desiunctus consisteret, omni alimento carens tabesceret, ac tandem deficeret. Alterum, quia si ignis vllo supremi loci appetitu duceretur, in hunc sua natura ferretur, quaq; ipsi agglutinata essent, vnà quoque secum afferret; nam vt lignum, quod ob naturalem raritatem aeris nonnihil habet inclusum, ascendit per aquam, eodem modo quod ignitum esset, per aerem ascenderet, quod ignis tanto leuior esset aere, quanto aer aqua; at verò non ita fit, euolarent enim ex prunarijs, aut foco prunæ omnes, vt

scilicet

ſcilicet magna trabes e profundiſſimo flumine emergunt. Quin immò tantùm abeſt, vt quæ continent ignem in ſublime ferantur, vt ne tantillum ponderis ab ignis leuitate eis detrahatur: Fruſtum enim ferri, aut lapidis ignitum non minus deprimit lancem, quàm frigidum, niſi quid ſubſtantiæ illi ſit deciſum, dũ vreretur. Non ergo ignis ſurſum potius fertur, quàm deorſum, ſed materiam ſequitur, atque cum denſis, lapillis, ferro, aut carbonibus deſcendit, & cum exhalatione ignita, qui fumus ardens eſt, aſcendit. Tertium ac poſtremum, quoniam ignis ſupremum huius vniuerſitatis locum tenens ſeiunctus à reliquis corporibus nullum vſum præbertt: Non enim calorem tribueret, cùm media aeris regio frigidior, quàm infima eſſe cognoſcatur; actiones verò naturales contingant per medium. Calore autem excepto nihil eſt, quod poſſit ab igne præſtari. Quòd ſi ignis permeet per omnia, commodiſſimè poterit calefacere, liquare, fundere, ac mouere, & præterea concoquere, ad ortum ducere, atque in humoribus, quos elaborat, omnis naturalis ortus parentem eſſe. Hæc Valeſij opinio eſt prorſus flagitioſa, nam ſi illud intereſt inter corpora, quæ natura conſtant, & ea, quæ ab arte ſunt, quòd illa vt ſunt illa ipſa, quæ ſunt, habent in ſe ipſis principium, quo ſunt aptè nata moueri, & quieſcere initio lib. 2. phyſ. ignis planè corpus natura conſtans per ſe, ſuaq; vi loco mouebitur. Cùm verò motus ad locum accommodatus, cui latio eſt nomen, aut ſimplex ſit, aut mixtus, atque hic ſit corporis compoſiti, variisq; inſtrumentis diſtincti à natura conditis, quæ vſui ſint ad mixtum motum obeundum, & ille corporis ſimplicis lib. 1. de cælo 7. ignis corpus ſimplex ſimplici motu ſua natura ciebitur: cumq; præterea motus ſimplex, aut rectus ſit, quo vel ſurſum vel deorſum itur, aut circularis, ignemq; nemo non det ſua natura non ferri deorſum, & in lib. 1. de cælo in orbem non poſſe moueri fuerit monſtratum, neceſſariò conſtituitur ipſum ſurſum ferri, atq; eo quidem pacto vt omnibus, quæ petunt ſupera, emineat, quippe qui ſummam habet leuitatem

cuius

cuius eſt extare ſuper omnia, quæ ſurſum pergunt lib. 1. de cælo 17. idq; fumidæ exſalationes teſtantur, nam hæ, in quibus ignis maxime viget, non ad aeris, in quo ſunt, locum mouentur, in hoc enim manerent, neque altius progrederentur, ſed ſupra aerem, & ad locum, qui cælo proximus eſt. Quod ſi locus ille eſt corpori naturalis & proprius, ad quem illud ſua natura moueitur, quemq; vt primum tenuerit, quieſcit. quis non ſentiat locum cælo proximum tanquam propriam ſedem fuiſſe igni à natura conceſſum? Et cùm ignis recta latione cieatur, vt oſtenſum eſt, atque omnia, quæ recta latione ſua vi mouentur, petant aliquem locum, in quo ſalus ipſorum & perfectio poſita eſt, quippe quæ magna ex parte in alienis locis genita, & poſita opus habent principio innato, quo moueantur ad loca, in quibus ſuum commodum ſentiunt, atque experiuntur, quis non exiſtimet locum aliquem in hac rerum vniuerſitate eſſe ponendum, quem ignis appetat, ſuaq; latione petat? verùm cùm loca, quæ recta latione parantur, aut ſupera ſint, aut infera, aut media, certumq; ſit ignem non appetere infera, neque media habere propoſita, quia his habitis non manet, quieſcitq;, quis tandem non concludat ſupera ignem ad ſe allicere, atque hæc propriam ignis ſedem conſtituere? Sed non eſt, vt hæc opinio multis redarguatur, cui nemo vnquam fidem eſt habiturus, qui vel leuiter naturalis philoſophiæ decretis fuerit imbutus; leuiaq; ſint ea, quibus fuit confirmata; nam quod aſſumitur in primo argumento ignem ali, & nutrimentum quærere, id perſpicuè falſum eſt, nam viuentis eſt nutritio, & quod alitur, id manet idem, naturamq; habet firmam & conſtantem; ignis autem caret anima, & qui oleo videtur ali, is aſſiduè fit, ac perit. Nec quiſpiam obyciat Ariſtotelem ſcribentem in lib. 2. de anima 40. ignem inter elementa ſolum nutriri: & poſt paulò aquam igni alimentum eſſe, nam hæc non ex animi ſententia fuiſſe ſcripta teſtantur, quæ in lib. 2. meteor. cap. 2 prodita ſunt, quibusq; illi qui Solem igneæ cuiuſdam naturæ eſſe exiſtimantes ſenſerunt eum

ali humore, quòd viderent ignem alimento quodam humido nutriri, atque hoc deficiente extingui, ridentur, quia Solis natura non eſt ignea, nec vllum eſt ignis alimentum, cùm ſit alius itidem, atque alius, qui ex humida materia fit; & id, quod alitur, oporteat idem numero manere. Cùm igitur ignis non alatur, neque egeat alimento, vanum eſt illum adimere cæli concauo, quòd hic nulla ſit materia, qua nutriatur. Ruit ſecundum argumentum, quoniam ignis ſua leuitate fertur ad locum ſuperum, ſecumq; adducit, quæcunque ipſi ſunt agglutinata, niſi eorum pondere impediatur: id fumus declarat, qui quòd ſurſum efferatur, igni ſibi admixto acceptum fert. Prunæ non euolant e prunarijs & foco, quoniam in his terræ pondus maioris eſt momenti, quam leuitas ignis: contra magnæ trabes emergunt è profundiſſimo flumine ob aerem incluſum, qui in aqua cùm ſit leuis, nec niſi vi detineatur, per aquam aſcendit ſecum ducens trabes, in quarum meatibus integer conſeruatur. Cùm ſubiungitur ignem non magis ſurſum, quàm deorſum ferri, ſed materiam ſequi, ac cum denſis deſcendere, & cum exhalatione aſcendere, reſpondetur ignem à rebus mixtis ſolutum perpetuò ſurſum efferri, in his autem ſitum mouere motu, quo ipſa aguntur, ipſa verò moueri motu illius corporis ſimplicis, quod in eis reliqua vincit, ac ſuperat; quapropter tantum abeſt, vt ignis, quod ſurſum moueatur, per exhalationem conſequatur, vt contra hæc illi, quòd petat ſupera, ferat acceptum. Poſtremum argumentum ita reprehenditur: Elementa caduca duas ex ſe fundunt vtilitates, quarum alterâ vniuerſitatem conſtituunt, alterâ corpora mixta, vt priorem præbeant, certa mundi loca appetunt, in quibus ſua natura manent, nec vnquam niſi violentia dimouentur: vt poſteriorem, viciſſim aguni, & patiuntur, ac inter ſe commiſcentur. Ignis igitur, vt conſtituat hanc vniuerſitatem, in rerum natura deſiderat proprium locum qui eſt apud cælum, & in extremo; vt verò ingrediatur miſtionem, per hanc mortalem vniuerſitatem diſſeminatur, aut in ea genitus,

ius, aut ab incitata cœli motione deorſum depulſus. Quòd dubitant nonnulli, qui poſſit ignis deorſum pelli ad mixta conſtituenda, cui data eſt vis non gignendi, ſed comburendi, non eſt, vt dubitent, quoniam calor & ignis pro vario ſui ipſius, & materiæ, in qua in eſt, ſtatu quandoque diſſipat, & quandoque generat, & modò ortum, modò interitum adfert.

Ignis aeri illuminato admiſtus vnde exiſtat, & cur illi admiſceatur. Cap. XVIII.

CVm ignis in hac mortali vniuerſitate non careat propria ſede, atque hæc in eius extremitate poſita ſit, quicquid Cardanus & alij blaterones dicant ex hoc loco ignem eijcientes, qui prorſus ſunt indigni, quorum vlla habeatur ratio, hic cæleſtium corporum motu diſiectus ad infera pellitur, vt ſcribit Ariſtoteles in lib. 1. meteor. cap. 4 aeriq; illuminato admiſtus in cauſſa eſt, vt lumen per accidens calefaciat, & calefacere exiſtimetur. Nec verò alicui dubium ſit, qua vi cœli conuerſio poſſit ignẽ ad hæc vſque loca depellere, & quì fiat, vt media aeris regio, in qua vapores in nubem concreſcunt, & pluuiæ ac niues generantur, recipiens ignem deorſum labentem non incaleſcat, aut ignis huius frigore non perimatur; nam ſi ad ſententiam Ariſtotelis exhalatio ventorum materia à circulari aeris ſuperioris motione ad terram depellitur, quæ huc & illuc effluens efficit, vt venti obliquè moueantur, cur idem non poterit igni accidere cœli efficientia, in quo vehementior eſt motus velocitas, quàm in aere, quodq; maiores habet vires ad ignem depellendum, quàm aer ad exhalationem repellendam? Ignis verò deorſum depulſus in media aeris regione tranſeunda non multum temporis ponit, celeriùsq; tranſit, quàm poſſit aut ipſam calefacere, aut ab ipſius frigore extingui. Neque id mirum videatur alicui, nam hem vapores prope terram, & cum mathematicis conformaſſe,

qui

fulgura, quæ ignes ſunt, e nubibus frigidis & humidis proſiliunt, & ignes, quos appellant Caſtorem, & Pollucem, in aere ab imbribus, ventis, & procellis agitato diu perdurare cernuntur. At verò id non eſt ſine dubitatione, quòd cùm Ariſtoteles in lib. 1. meteor. cap. 4. voluerit vapores in nubem propè terram minimè cogi, quoniam radij à terra refracti caloris feruore ſegregant conſtitutiones; alijſq; locis vim calefaciendi tribuerit lumini, eius opinio videtur, quòd lumen per ſe calefaciat. quoniam quod eſt cauſſa per accidens, id in ſcientijs ſemper negligitur. Quinetiam meritò dubitauerit aliquis; Si ignis deorſum pulſus eſſet cauſſa per ſe caliditatis, quæ videtur ex lumine manare, is quia per aerem longè lateq; diſſeminatur, aſſiduèq; pellitur deorſum, idem calor aeri vniuerſo ineſſet aquabiliter, quod falſum eſſe declarant loca opaca, & lumine vacua, quæ ſub aperto cælo, & ſub eodem Solis cæliq; motu poſita calorem nullum aut exiguum accipiunt à Sole; & taſtantur Coſmographiæ ſcriptores, qui tradunt aerem ſub Zona torrida immodice calere, ſub polis vehementer frigere, & ſub mediis Zonis eſſe temperatum: calor præterea nihilo ſecius hyeme, quàm æſtate, nocte quàm die in aere vigeret, quandoquidem cæleſtis motus eſt vnus idemq; ſemper, neque vllam admittit varietatem. Vt prior dubitatio tollatur ponendum eſt Ariſtotelem in rebus pertractandis ad priſcorum dogmata quandoq; ſeſe accommodaſſe, & his vti conſueuiſſe, quòvſq; ad proprium locum illa expendendi ſit peruentum, neque de quacunq; re, vbi non exquiſitè & accuratè diſſerere ſit conſilium, ſemper ex animo loquutum eſſe, ſed quandoq; vel iuxta aliorum traditionem, vel etiam iuxta vulgi opinionem: Et profectò niſi id recipiatur, neceſſe eſt, vt Ariſtoteles ſæpè inducatur pugnantia dicere, & nullo modo inter ſe cohærentia, quod facilè intelliget is, qui in Ariſtoteleis operibus fuerit verſatus, & antiquis explanatoribus fidem non abrogauerit. Hoc poſito dicendum eſt Ariſtotelem, dum ſtatuit initio cap. 4. lib. 1. meteor. propter radios à terra refractos non cogi in nu-

bem vapores prope terram, & cum mathematicis conformaſſe, qui ſtatuunt radios eſſe corpora, & reflexos calefacere : Huius argumento eſt, quia cùm ab ipſo caſtigati fuerint illi, qui lumen & radios eſſe corpora exiſtimabant, nulla ratione fieri poteſt, vt ad eius ſententiam radius refrangatur, aut reflectatur, ſiquidem fractio & flexio ſunt corporis affectiones. Id praterea huius fidem facit, quod caput hoc multa continet veterum quidem opinionibus conſona, ſed ab Ariſtoteleis decretis diſſentientia, veluti totum à terra pretenſum ad cœlum ſpatium aeris plenum eſſe; & ſydera igneam naturam habere; quæ dogmata fuerunt paulò ante refutata; atque aerem ſua natura frigere, quod cum ijs non conſentit, quæ de huius natura in lib. 2. de gen. & int. fuerunt tradita. Si igitur Ariſtoteles in hoc capite ne à veteribus conſtitutæ reſcindat, multa ponit ſuis decretis aduerſa, coniecturam facere poſſumus id quoque, de quo agitur, non ex animi ſententia fuiſſe ab eo in ſcriptis relictum : Huius autem de illius ſententia id eſt in cauſſa, quòd cœleſti motione ignis lunari globo ſubiectus diſũcitur, deorſumq́ pellitur, à quo terra, & aer, in quo degimus, vim caloris accipiunt, & calefacta efficiunt, ne vapores in nubem concreſcant. Eadem eſt explicatio eorum locorum, in quibus vis calefaciendi tribuitur lumini; adiungendumq́ eſt Ariſtotelem tribuiſſe vim calefaciendi lumini, tametſi non ignoraret lumen per accidens eſſe cauſſam caliditatis, quoniam nihil referebat ad id, de quo agebat, explicandum, quoquomodo calefaceret. Poſterior dubitatio petit trium difficultatum explicationem; Prima eſt, cur loca opaca, lumineq́ priuata non æquè caleant, ac ea, quæ ſunt illuminata. Alexander in lib. 1. meteor. com. 17. reſpondet aerem ſuperiorem cœli motu calentem calefacere eum, cui continuus eſt, quemq́ tangit, hunc calefactum calefacere alium, qui ei proximus eſt, atque ita deinceps, quouſque ad hunc aerem, qui nos ambit, fuerit peruentum; quoniam igitur corpora opacantia ſunt impedimento, ne aer, quem opacant, continuus ſit illi, qui iam incaluit, huncq́ tangat,

tangat, propterea effici, ne is à ſuperiore accipiat calorem, & aquè ſit calidus. Diſplicet hac reſponſio, quoniam infera aeris regio non incaleſceret, niſi media prius incaluiſſet, quam perpetuò frigere omnes ſentiunt, & conſentiunt. Huius difficultatis duæ poſſunt afferri explicationes; altera eſt, quia frondes & corpora opacantia impediunt, ne ignis per aerem, quem opacant, amplè ac liberè diffundatur: altera, quoniam aer in locis opacis non aquè, ac is, qui eſt in locis apertis, abundat lumine, cuius magna eſt vis ad ignem continendum, vt poſt paulò exponetur. Altera difficultas eſt, cur ſub varijs Zonis aer calore & frigore diſſimiliter afficiatur, quæ hoc modo diſſoluitur. Cùm celeſtis motionis velocitate ignis disÿciatur, deorſumq; pellatur, putandum eſt cœli partes diſſimili actas celeritate diſſimiliter ignem disÿcere, deorſumq; pellere: Itaque quoniam partes iuxta polos ſitæ tardè mouentur, quæ verò ſunt Zonæ torridæ, ac iuxta æquinotialẽ circulum celerrimè, (hæ ſpacium ferè immenſum & illæ exiguum æquali tempore decurrunt) & quæ ſunt mediæ interiectæ tardiùs his, & celeriùs illis, efficitur, vt ſub Zona torrida multò plus ignis detrudatur, quàm ſub polis, mediÿsq; Zonis; & vberiùs ſub his, quàm ſub illis; atque quod ſequens eſt, aer ſub his poſitus variè incaleſcat. ita vt ſub Zona torrida immodicè caleat, ſub polis magnopere frigeat, & ſub mediÿs Zonis non valdè afficiatur. Tertia difficultas eſt, cur aer nos ambiens non æquè ſit calidus die ac noctu, æſtate ac hyeme. Ariſtoteles in lib. 2. de cœlo 42. huius rei cauſſam in id conÿcit, quòd quamuis motu cœleſtium corporum aer caleſiat, maximè tamen caleſit ea cœli parte, in qua Sol eſt infixus; quocirca cùm Sol propriùs accedit, ac oritur, & ſuper nos eſt, calor fit amplior, quàm cùm diſcedit, ac occidit, & non eſt ſuper nos. Ecquid verò ſit, cur Solis latio calorem maximè efficiat, id cauſſa eſt in lib. 1. meteor. cap. 4. quia oportet celerem eſſe lationem, nec longiùs abeſſe, & vtraque hæc competunt Solis lationi, quæ & propinquior eſt ſtellarum inerrantium lationi, & velocior latione lu-

nari, tametsi ab hac superetur propinquitate, & ab illa vincatur velocitate. Hæc fata sunt magnis difficultatibus, de quibus sublata hac dubitatione copiosè disseretur. Valesius in cap. 1. Sacræ philosophiæ existimat ignem trahi à lumine similitudine & cognatione naturæ, atque idcirco luminis præsentia diem calere, & absentia noctem frigere; quoniam verò luminis amplioris vires sunt maiores, aerem æstiuo tempore, quo lumen maximè viget, plus ignis à lumine attracti continere, magisq; calere, quàm hyberno, quo non magna est luminis efficacitas. Hoc Vallesij decretum est penitus improbabile, nam cùm duo sint modi attrahendi, alter per modum finis, & alter per modum efficientis, rogandus est Vaesius, vter modus illi probetur. Si priorem probauerit, ignis sua sponte, suaq; vi ad lumen euolabit eius desiderio concitatus, verùm cùm ignis sua natura moueatur sursum; atque vnius simplicis corporis vnus sit motus secundum naturam, quì fieri potest, vt ignis sua natura petat supera & infera, & ad dexteram ac sinistram moueatur, vt ad lumen sese conferat? & si sponte sua varijs motibus cieri est corporum animatorum, id qua ratione ad ignem accommodabitur, cuius nulla est anima? Sin verò posteriorem, quo pacto ignis trahetur à lumine, à quo procul est disiunctus, cùm id, quod trahit, oporteat simul esse cum eo, quod trahitur lib. 7. phys. 10.? Quod si dixerit lumen ex se fundere virtutem, qua tangit ignem, eum iterum rogabo, nunquid hæc virtus sit corpus, an corporis expers; Si corpus esse dederit, quo pacto à lumine poterit emitti, quod sua natura est incorporeum? Si corporis expers, quì fieri potest vt à vi incorporea cogatur corpus vnum locum deserere, & ad alium commigrare? quì præterea hæc virtus poterit ignem ad lumen pertrahere, nisi illuc redeat, vnde manauit? at rei incorporeæ qui potest esse reditus, qui est solius corporis? Ego arbitror respondendum esse, quòd licèt ignis motu cæli depulsus per aerem vniuersum longè lateq; diffundatur, attamen ijs in locis, in quibus est lumen, diutius moratur, quàm

in ijs,

in ÿs, in quibus non eſt lumen, ob ipſius cum lumine naturæ cognationem; ignis enim quamuis non luceat, lucis tamen principia continet, & ſi craſſeſcat, ſitq; in materia denſa, lumen ex ſe fundit. Cùm itaque ignis in aere illuminato diutius moretur, atque ignis continenter deorſum pellatur, efficitur, vt hic aer maximè abundet igne, & propterea magis caleat, quàm aer non illuminatus, qui & minus eſt accommodatus ad ignem retinendum, ne ſurſum euolet, alioq; commigret, & magis aptus ad eundem repellendum, aut extinguendum, quippe qui lumine carens igni magis eſt aduerſus. Hæc cùm ita ſint, liquet, cur aer diurnus ſit calidior nocturno: Cur verò aer æſtate caleat, & hyeme frigeat, eadem ferè eſt ratio, nam cùm æſtate lumen ſit multò clarius, quàm hyeme, aer æſtiuus plus habet virtutis ad ignem retinendum, quàm hyemalis. Accedit, quòd ignis tempore hyberno in locis circa terram non ita viget, quemadmodum tempore æſtiuo, quando quidem non minima illius pars dum deorſum labitur, & deorſum delapſa dum per aerem ſpargitur, à nubibus, pluuÿs, & niuibus extinguitur; quare conſentaneum eſt tempus hyemale frigere, & æſtiuum calere. Si igitur ſitum eſt in lumine aeri vim impartire, qua ignis retinetur & conſeruatur, cuius effectione mox ipſe incaleſcit, arduum non eſt rationem afferre multorum, quæ Lunæ tribuuntur ab Ariſtotele. Et primùm quidem cur noctes plenilunÿ ſint tepidiores, ac proinde cur Echini, atque id genus viuentia eo tempore efficiantur pleniora lib. 4. de part. animal cap. 5? an cùm hæc animalia ſint frigida, vt quæ ſanguine carent, fota calore qui in aere lunari lumine colluſtrato ab igne excitatur, melius concoquunt. Deinde cur in lib. 2. de gen. animal. cap. 4. ob Lunæ defectum menſium coitus ſint frigidiores? an Luna, dum cum Sole congreditur, ſuo lumine noctes priuat, quo ignis in aere diutius moratur. Poſtremò cur Luna propter receptum lumen rerum generationi conducat lib. 4. eiuſdem operis cap. 10? an ignis in aere, qui ab ea illuminatur, multiã facit moram; ex quo

fit,

ſit, vt ipſius lumen videatur calefacere. Verum enim vero quoniam Sol, qui multò eſt ſplendidior, hanc longè multumq; ſuperat in aere colluſtrando, hinc fit, vt aer à Sole illuminatus ignea ſubſtantia copiam habeat vberiorem, quàm qui à Luna colluſtratur, vulgoq; credatur Solis lumen eſſe ardentius, & Luna temperatius, illudq; exſiccare, & hoc humectare. Caloris namque ea eſt natura, vt vapores euocet e corporibus, qui ſi vires validas habuerit, euocatos abſumit, ſin imbecillas, ſinit hos manere. Nec verò ſolum Lunæ, Soliſq; lumen hac ratione calefacit, ſed etiam reliquarum omnium ſtellarum lumina, quamuis Sol maximas & præcipuas huius officij partes videatur ſuſtinere, cuius clariſſimum lumen cæteris eſt multò accommodatius ad ignem in aere retinendum & conſeruandum. Quapropter Sol primus eſt huius inferioris caducaq; vniuerſitatis moderator, & præcipuus pater generationis, ſuoq; acceſſu & receſſu annuas frigoris & caloris parit varietates, ex quibus omnium, quæ in terra & mari generantur, initia cauſſaq; ducuntur.

Dubitatio de modo, quo Sol calefacit, in lib. 1. meteor. cap. 4. ab Ariſtotele poſito, variæque illius explicationes conſiderantur. Cap. XIX.

EXiſtit hoc loco dubitatio ardua & perobſcura à nobis non prætereunda, ea eſt. Ariſtoteles in lib. 1. meteor. cap. 4. perquirens rationem, qua Sol & ſtellæ calefaciant, cùm in eis non ſit calor, huius cauſſam refert in Solis motionem, qua ſcribit aerem moueri, diſijci, ac ſecerni, & illa ſecretione, ac diſcretione incaleſcere. Solem verò per ſe ſolum ſatis eſſe ad caliditatem afferendam ea ratione confirmat, quia vt motio excitet calorem, duo requiruntur, alterum, vt ſit velox, alterum, vt propinqua; & hæc duo lationi Solari abundè competunt, & non reliquarum ſtellarum motionibus, nam Luna tardè mouetur, & reliquæ ſtellæ

la procul ab aere ſunt diſiuncta. Adiungit calorem in aere motu excitari poſſe ex ijs, quæ apud nos fiunt, clarè intelligi, nam cùm quædam hìc vi feruntur, proximus aer incaleſcit, idque ea ratione contingit, quia ſolidæ rei motio apta eſt aerem ſecernere, ac incendere. Hæc Ariſtoteles, ex quibus forſitan aliquis ſibi perſuadebit nos ab Ariſtotele diſſidere in ratione, quæ Sol calefaciat. Vt hæc dubitatio tollatur, hìc paulùm immorabimur, quoniam locus hic Ariſtotelicus intellectu eſt tam difficilis, quàm qui maximè, & omnium clariſſimorum Peripateticorum ingenia mirificè fatigauit, & adhuc fatigat. Quæ negotium faceſſunt, multa ſunt, ſed hoc cæteris multò difficilius ſemper & habitum. Si aer incaleſcit, quòd ſolido corpore per ipſum celerrimè delato atteratur, eiuſque partes ſecernantur, quo pacto Solis ſtella tanto interuallo diſtans ab aere, nec per aerem delata ſuo quamquam rapidiſſimo motu hunc incendet, & calefaciet? Non enim Solis motus ad aerem poteſt pertinere, quoniam nequit fieri, vt quippiam ab aliquo moueatur, niſi corpus interiectum eodẽ motu cieatur, vt exempli gratia manus non mouet lapidẽ, niſi lignum, quod medium interycitur, moueatur, cæteroquin ſi maneret immotum, motio in lapidem non influeretur: Ergo cum Solis motione globi inter Solem & aerem interiecti non conuertantur, nulla ratione fieri poteſt, vt Solis motu aer atteratur, & ita ſecernatur, vt concipiat caliditatem. Hæc eſt difficultas, in qua explicanda neſciunt explicatores ſeſe explicare, quod erit dilucidum. ſi ſummorum Peripateticorum explicationes in medium afferantur. Alexander in lib. 1. meteor. com. 17. huic dubitationi bifariam occurrit, prior modus, qui Simplicio in lib. 2. de cælo com. 2. fuit probatus, eſt huiuſmodi: Non ſemper eſt neceſſe corpus medium affici, & incurrere in affectionem, quæ per ipſum tranſmittitur, quoniam non quiduis eſt aptè natum à quouis affici, ſed à certo ac definito: Cernere enim eſt aliqua incendi à Solis radijs per medium vas vitreum aqua frigida plenum tranſgredientibus aqua nullam affectionem perpetiente;

&

& piſcatores affirmant manus à torpedine per arundinem, ac funem ſtupefieri fune & arundine, quæ ſenſu carent, illæſis. Itaque ſi huius modi corpora haſce affectiones ijs corporibus, quæ ſunt poſt ipſa, quaſi miniſtrant, cùm nihil patiantur, non eſt, vt cuipiam videatur mirum, ſi orbis Lunæ propter motum Solis in nullam incurrens affectionem diſtribuat corpori, quod ſub ipſo proximè continetur, affectionem, cuius excipiendæ habet facultatem. Poſterior modus ſe habet in hunc modum: Cœlum non eſt omnino impatibile, & expers alterationis, ſed illius duntaxat, quæ ducit ad interitum, coniunctamq; habet formæ mutationem: Enimuero motus, & illuminatio ſunt quædam affectiones, quibus cœlum eſt obnoxium; Quapropter nulla eſt abſurditas, ſi Solis motione aliqua affectio in parte diuini corporis imprimatur, quæ Soli ſubijcitur, quamuis hæc non incendatur, ſed incendium quaſi miniſtrans propinquum ſibi corpus inflammet, ac incendat. Philoponus in huius loci commentarijs damnat has Alexandri explicationes, atque in priore exempla reprehendit, primum, quia vitrum & aqua non ſunt media, per quæ affectio & accenſio diſtribuatur, nam Solis radij non per alia vitri, & aquæ profundum trajiciuntur, ſed vitri ſuperficiei adpulſi inde retro conuertuntur, reſiliuntq; ad corpus, quod eſt aptum, vt incendatur: alterum quoniam cùm affectiones in duo genera ſint diſtributæ, aliæq; ab inſita forma fluant, vt appetentia, concoctio, ſomnus, memoria, & ſingulares lapidum & plantarum actiones; aliæ à ſimplicibus elementorum qualitatibus, vt refrigeratio & humectatio; quæ fit à Sole, & ab aere accipitur, poſteriore genere continetur, totaq; oritur à ſimplici qualitate elementali, & quæ fluit à torpedine, oritur non ex ſimplici elementorum qualitate, ſed ex forma torpedini ingenerata. Rurſus non eſt, vt affectio tollatur ex fune & arundine, quia nullum habent ſenſum affectionis percipiendæ, nam eadem ratione lapis & lignum non incaleſcerent, quibus non eſt affectionis ſenſus. Aduerſus verò poſteriorem ita diſputat: Cor-

poris

poris alteratio & mutatio in qualitate, cuiuſlibet autem corporeę qualitatis initium faciunt primæ oppoſitiones calidi & frigidi, humidi ac ſicci, nec fieri poteſt, vt aliquod corpus caterarum particeps exiſtat, quod earum particeps non prius extiterit, ad quas referri reliquas omnes ſtatuit Ariſtoteles in lib. 2. de gen. & int. Si igitur corpus cœleſte non eſt prorſus impatibile, & à qualibet noxa tutum, ſecundum primas qualitates commutabitur; quare & ex his erit compactum (non enim poſſet in eis mutari) & nihil aliud eſt huiuſmodi affectio, quæ in orbem Lunæ immittitur à Sole, quàm caliditas, quam deinceps orbis lunaris abſque vllo medio communicat cum aere ipſi proximè ſubiecto; non enim globus Lunæ à Sole cietur vel eo motu, quem Sol accipit ab orbe inerrante, vel proprio, quo ſicut & reliqua errantia ſydera ad ortum ab occaſu mouetur. Ab his reprehenſionibus arbitror nos poſſe non valde operosè tueri Alexandrum: Et primùm labitur Philoponus reprehendens primum Alexandri exemplum, nam certum eſt quædam ſpecula confici, à quibus radij repercuſſi, & per vas aquæ frigidæ plenum traiecti inflammant ea, & vrunt, in quæ incidunt. Alterum exemplum vim habet magnam ad id, de quo agitur, illuſtrandum, nam ſi torpedo per arundinem & funem ſtupefacit manus piſcatoris, cum funis & arundo non afficiantur ſtupore, cur Solis conuerſio non poterit per medium Lunæ globum aerem calefacere ſine vlla globi lunaris offenſione? Obijcit Philoponus, quia torpedinis affectio manat à forma ipſi innata, & Solis affectio à ſimplici elementorum qualitate; hoc leue eſt, tum quia hæc Solis calefactio ex motu exiſtit, & non ex vlla elementi qualitate; tum etiam quoniam ſi affectio, quæ oritur à forma, abſque vlla medij perpeſſione poteſt accipi, cur idem ſuſcipiendi modus non conueniet affectioni à ſimplici elementorum qualitate emananti? Altera obiectio, quam Zabarella magni facit in lib. de calore cœleſti, repellitur, quia ſtupor ex fune & arundine tollitur, quoniam ſenſu carent, & ſtupor in ijs corpo-

ribus tantùm ineſſe poteſt, quæ ſenſum habent; at caliditas & cæteræ huius generis affectiones lignis, & lapidibus non ſunt adimendæ, quia non ſentiant, quippe quæ non ſunt propriæ corporum, quæ ſenſu vtuntur, ſed communiter inſunt in omnibus caducis corporibus. Poſterioris explicationis vituperatio ita depellitur: Illud primùm non verè dicitur quatuor primas qualitates eſſe reliquarum omnium initia, nam ab eis illarum duntaxat cauſſæ & principia ducuntur, quæ tactu, guſtu, & olfactu percipiuntur; atque id conſtitutum eſt in lib. 2. de gen. & int. enimuero lumen, quod eſt qualitas, & colores nequaquam fluunt à primis qualitatibus ſub tactum cadentibus: Non ergo neceſſariè concluditur, ſi cælum alteratur, in aliqua prima qualitate alterari. Deinde affectio, quæ Lunæ tribuitur à Sole, de ſententia Alexandri eſt caliditas, quod intelligitur ex Simplicio in lib. 1. de cælo com. 24. Neque hinc conficitur cælum has qualitates inſitas habere, quoniam fit aliquando, vt corpus in quapiam qualitate mutetur, quam vel cuius oppoſitam non habet innatam, quod teſtatur aer lumen ſuſcipiendo. Porrò hìc eſt attendendum, quòd licèt in caliditate cælum alteretur, hæc tamen alteratio diuerſa eſt ab ea, qua res caducæ incaleſcunt, nam hæc fit ſecundum formæ & ſubſtantiæ mutationem, temporiſque progreſſu trahit id, quod patitur, in interitum; at illa non eſt diſſimilis ab illuminatione, qua id, quod illuſtratur, nullius rei iacturam facit, neque in ſua mutatur ſubſtantia, nullumq; imminet periculum, ne cadat in interitum: huius ea eſt ratio, quia cælum nullam habet qualitatem innatam, quæ aduentu caloris deſtruatur, & eius natura, ac ſubſtantia non eſt ex his qualitatibus conflata habentibus contrarium. Atque hoc modo refelluntur Philoponi obiectiones aduerſus Alexandrum, cuius quoque prior explicatio fuit reprehenſa à Themiſtio, & ab Auerroe in explanat. lib. 2. de cælo 42. quòd nequit fieri, vt agens afficiat id, à quo procul abeſt, niſi antè corpus medium afficiatur, ſiquidem hoc niſi in ſe affectionem ſuſcipiat, nihil

erit,

erit, quod agentis effectionem in id, quod patitur, & procul eſt abiunctum, deferat. Hinc Ariſtoteles in lib. 2. de anima 74. Democritum accuſauit ſentientem formicam in cœlo poſitam, multò expeditiùs inſpici poſſe ſi ſpatium, quod à terra ad cœlum diffunditur, fuerit ab omni corpore vacuum, quoniam actio, qua formica aſpectum ferit, nulla ratione ad oculos transferretur. Nec verò credendum eſt funem & arundinem nihil pati, dum torpendo immittit ſtuporem in manus piſcatoris, nam ab his excipitur affectio & qualitas fluens à torpedine, atque ad manus piſcatoris tranſmittitur, quamquam his nullus torpor accidit, quippe quæ non habent naturam ſtuporis capacem; alioquin ſi non excipereiur, actio fieret ſine tactu, quod nefas eſt. Hi, quos Buccaferreus, Nobilius, aliíq; recentes ſequuntur, peruersè Alexandri opinionem accipiunt, non enim hic putat Lunam nihil excipere à Sole aerem calefaciente, ſed ſentit hanc fieri caliditatis participem, hancq; aeri diſtribuere, quamuis non ſic afficiatur, vt incaleſcat, & commutetur, quoniam non eſt apta & idonea ad incaleſcendum: atque hoc intereſt inter priorem, & poſteriorem explicationem, in qua ſentit Alexander Lunam fieri calidam. Verum enim verò tametſi horum accuſationes parum moleſtiæ exhibeant Alexandro, huiusq; reſponſionibus fiat ſatis dubitantibus, quì Sol poſſit aeri tribuere caliditatem, ſi globus lunaris eſt medius interiectus, qui non eſt capax alterationis, attamen non penitus animum explent, ſuntq; liberæ à difficultatibus, nam cùm Ariſtoteles ſcribat Solem ſua conuerſione atterendo & diſijciendo aerem calefacere, planè Lunæ globus ſi excipiat caliditatem, à Sole atteretur, & diſijcietur; quod non eſt ferendum. Quòd ſi dixerit Lunam abſque vlla ſui attritione excipere caliditatem, fruſtra inducta erit attritio, quando quidem Luna quoque nec atterendo, nec diſijciendo poterit aeri impartire caliditatem à motu ſolari manantem. Accedit non omnino tutum eſſe inducere cœlum, quod ſuſcipiat caliditatem, quæ corporum

caducorum eſt propria, ac generationis & interitus miniſtra. Multi cum Auerroe in lib. 2. de cælo com. 42. propoſitam difficultatem hoc modo declinant. Cælum vniuerſum ex omnibus globis cæleſtibus, & ſtellis compoſitum atterit aerem ſibi proximè ſubiectum, & atterendo calefacit, cum verò ad hoc munus obeundum omnibus ſuis partibus vtatur, harumq; in raritate ac denſitate magna ſit varietas, fit, vt non omnium par ſit facultas calorem efficiendi: quæ enim craſſiores ſunt, ac ſolidiores, quoniam magis aerem atterunt, hunc quoque magis calefaciunt, quæ verò minus craſſæ ſunt ac ſolidæ, minus. Cælum igitur agens in aerem agit non ſolùm ſecundum eas partes, quibus ipſum proximè tangit, ſed etiam ſecundum illas, quæ ſitæ ſunt in eius profunditate, & magis ſecundum eas, quarum eſt maior craſſities, quàm ſecundum illas, quarum eſt minor: quapropter quoniam Sol reliquas omnes cæli partes ſuperat corporis craſſitie & ſoliditate, cælum ex hac parte, in qua Sol eſt infixus, magis quàm ex reliquis aerem calefacit, & Ariſtoteles caliditatis cauſſam in Solem vel maximè coniecit, licèt non ſolùm ipſe, verùm etiam reliquæ cæli partes caliditatem efficiant, & cælum vniuerſum ex omnibus globis, & cunctis partibus ſuis conflatum cauſſa ſit integra, ſuisq; numeris abſolutæ caliditatis in hæc mortalia ab ipſo defluentis. Hæc quoque ſuas habent difficultates, & primùm tota cæleſtis regio non eſt vnũ corpus continuum, quod ſua vi vniuerſa per omnes ipſius partes diffuſa agat in hunc mundum ſublunarem, vt inquit Auerroes, ſed in multos orbes à ſe diuulſos, & inter ſe nõ continuos diſtribuitur, quorum is, cui datus eſt Sol, ſic videtur Ariſtoteli cauſſa idonea caloris gignendi, vt reliquis poſthabitis ipſum vel maximè fuerit amplexatus. Deinde hęc actio calorem exhibendi nonerat Soli, vel vni maximè tribuenda, qui cauſſa eſt dimidiata, & quodam modo per accidens, ſed toti cælo, quod eſt integra, perfectaq; cauſſa. Præterea ſi cælum ſecundum hanc Solis partem magis calefacit aerem, ſecundum ipſam in hunc

agat,

agat, & hunc atterat, oportet; verum cùm hæc affectio non possit à Sole in aerem transire, nisi per Lunæ orbem ei aditus pateat, quæstio existit, quidnam sit, nunquid motus in loco, an quippiã aliud; Motus non est, quia Luna non videtur à Sole accipere vllum motum; nec etiam aliud, quoniam caloris causſa non erit Solis motus aerem atterens, sed hæc affectio, quod non consentit cum Aristotele. Quòd si Auerroes dixerit nullam affectionem cum Luna communicari, viderit ipse quo pacto queat Sol aerem suo motu atterere, ac incendere, à quo abest longissimè, ac Luna interiecta, quæ nullam suscipit à Sole motionem, aut affectionem.

Explicatio dubitationis propositæ. Cap. XX.

SAnè in re difficili, & ab omnibus Peripateticis multum, ac sæpè quæsita versamur, non est tamen desperandum, tametsi Philoponus Zabarella, & alij Aristotelem deseruerint, sed omnibus viribus at, que opibus elaborandum est, vt ex his angustijs euadamus. Illud primum est adnotandum iuxta Aristotelis decreta attritionem, qua aer incalescit, non esse inducendam, vt his in locis propè terram calor à stellis exoriatur, si quidem eam ob causſam hæc attritio posita est, quoniam illi philosophi, quibus cum disputat Aristoteles aerem induxerunt affectum frigiditate, atque sub cælo proximè locatum; hinc teste Platone in Cratyllo veteres cælum appellarunt atherem, quia ἀεὶ θεῖ περὶ ἄτρα ῥέων, hoc est semper currit, circa aerem fluens: Quocirca cùm Aristoteli propositum sit positis ijs, quæ aduersarijs probabantur, rationem afferre, qua cælum & sydera non calida efficiunt caliditatem, atque hanc rationem in motum conijcere, qua corpus Lunæ subiectum deorsum pellitur, necessarium fuit causſam excogitare, qua corpus hoc incalescceret. Ad hoc autem præstandum attritio videtur magnopere ac commo-

commodata, nam cùm videamus prope nos aerem incaleſcere, ſi corpus ſolidum magna vi per ipſum deferatur, ſic vt ipſum atterat, ac diſgreget, non leui ſimilitudine veri cauſſa, cur aer frigidus in Lunæ cauitate poſitus incaleſcat, in cœli motum aerem atterentem & diſgregantem conijciatur. Verùm enim vero quia cœlum ex multis globis eſt compoſitum, quorum multæ, ac variæ ſunt motiones, viſum eſt Ariſtoteli huius attritionis cauſſam in ſolarem motum maximè conferre, quòd peruagata eſſet opinio ſenſus iudicio confirmata Solem inter omnia ſydera præcipuam vim habere caloris gignendi. Ne verò temere amplexari hoc tritum dogma videretur, adiecit rationem, quæ eſt, quoniam Solis motio eſt propinqua & incitata: Superiorum enim ſyderum motus, quia nimis ſunt longinqui, nullam habent vim atterendi aerem; Lunæ autem motus eſt quidem propinquus, at celeritate à Solis conuerſione ſuperatur: quæ cum in hanc, quæ parum abeſt ſupra Lunam ad Ariſtotelis, & veterum Aſtronomorum ſententiam proximè ſita, quæ celeriter agitur, cauſſa fuit coniecta, cur aer diſijciatur & conteratur: Solis autem circulatio munus hoc poteſt commodè obire, licèt magno interuallo ab aere diſtet, cùm ſentiat Ariſtoteles omnes Solis motiones Lunæ impertiri, quod erit perſpicuum, ſi pauca de cœleſtium corporum motibus ad eius opinionem breui complectamur. Eudoxus & Calippus, quorum placita Ariſtoteles non indigna putauit, quibus aßentiretur, cùm ſtellas, quæ vocantur errantes, multis, varijſq; motibus conuerti obſeruaßent, ex pluribus globis circa idem centrum reuolutis harum ſphæras compoſuerunt, & quot motus in his adnotarunt, totidem orbes eiſdem dederunt. Cæterùm cùm Ariſtoteles ſuperiorem ſphæram ſuas omnes motiones ſphæræ ipſi proximè ſubiectę largiri animo complecteretur, atque propterea exiſtimaret ſphęram inferiorem & proprijs, & ſuperioris motibus circunduci, atque hi motus ſphęrę ſuperioris in inferiore non conſpicerentur, præter hos orbes, quos vocauit ferentes, quia ſtellā deferunt, alios eſſe com-

commentus, qui ſuis motibus oppoſitis, & contrario modo peractis deferentium motibus occurrerent, & inferioris ſphæræ orbes reuoluerent tantumq; reſtituerent, quantũ ſuperiores ſphæræ orbes in aduerſam partem circunduxiſſent, atq; hos orbes ex officio τόνς ἀνειλιττόντονς hoc eſt reuoluentes nuncupauit, qui poſt à Thophraſto dicti ſunt ἀντιπεριφερόμενοι ideſt ferentibus contrarij: Falluntur ergo, qui negant de ſententia Ariſtotelis Solem ſuos motus cum Luna communicare, nam hęc ijſdem quoq; motibus ciętur, quamquam id latet ſenſum, quòd orbes reuoluentes tantumdem reſtituant orbes Lunam deferentes, quantum hi in oppoſitam partem ducuntur à Solis deferentibus. At quis dubitabit, quoniam cum ſphęra ſuperior ſolùm habeat vim circunducendi ſphęrã ſibi proximè ſubiectam, nulla videtur eſſe ratio, cur ſolari motu aer, qui non eſt proximus Soli, moueatur, & diſyciatur. Illa ſolutio poteſt afferri, quòd id euenit ob non magnam ſphæræ lunaris altitudinem, quæ cùm hac ſuperetur à ſphæris ſuperioribus, non eſt impedimento, ne Solis conuerſio ſuam in aere exerceat efficientiam, & præſertim quòd hic aer in cæli cauitate poſitus eſt magnopere mobilis, & maximè idoneus, qui extrinſecus moueatur. Non ſum neſcius hæc non fuiſſe probata Hipparcho, Ptolemæo, & Aſtronomis horum ſectatoribus, verùm quicunque interpretatur Ariſtotelis decreta, oportet, vt diligenter attendat, quid ipſe probauerit, & ad eius aſſenſum accommodet ſuam interpretationem. Sed & præter hunc modum alius occurrit euadendi ex propoſita difficultate, qui eſt, vt dicamus Ariſtotelem hoc in loco ſumere totum hoc ſpatium à terra vſque ad octauam ſphæram protenſum eſſe aere plenum, atque in ſuperiore huius parte ſtellas errantes moueri, vel per ſe ſolas, quod veteres nonnullos exiſtimaſſe intelligitur ex Ariſtotele in lib. 2. de cælo 46. vel circulis infixas, quod Ariſtoteles videtur ſentire in lib. proximè citato 48. & id illi non diſplicuiſſe Caſalpinus in lib. 3. quæſt. peripatecarum quæſt. 4. multis conatur perſuadere. Et ſanè has in huius quæſtionis

expli-

explicatione poſuiſſe ferri per aerem, et hunc ſuę lationi ſubiectum habere declarant ea, quæ habentur in lib. 2. de cælo 42. quæq; ſunt: Superiorum corporum, hoc eſt ſyderum vnumquodque fertur in ſphæra, vt ipſa quidem non igneſcant, ſed aer, qui ſub corporis circulo moti ſpæra exiſtit, ob eius motum neceſſariò incaleſcat, & maximè hac, in qua Sol eſt infixus. *Neque aliquis perturbetur, quòd ſcribat Ariſtoteles vnamquamq; ſtellam moueri ſphæręinfixam, nam ſphęrę vocabulum vſurpat ad ſignificandum circulum; & huius argumento poteſt eſſe diſputatio, quę proximè ſequitur de ſtellarum motione, in qua poſthabito ſphęrę nomine concluditur in tex. 46. ſtellas conquieſcere, & circulis infixas moueri. Nec verò id alicui moueat admirationem, nam rationi hoc magis eſt conſonũ, quàm inducere ſtellas vagas, quę ex ſe per cęleſte ſpatium circunagantur nõ ſunt, ac aues per aerem, quam opinionẽ forſitan quiſpiam ſibi perſuadebit Empedoclem habuiſſe, qui apud Plutarchum in lib. 2. de placitis philoſophorum cap. 13. inerrantes ſtellas cælo alligauit, & errantes ſolutas induxit: Planè ſtellas omnes ita moueri Stoici ſenſerunt, quod ſignificauit Balbus apud Tullium in lib. de natura Deorum, & voluerunt pleriq; noſtrę religionis proceres, vt Iuſtinus in quęſt. 83. Orthodoxorum, Origenes in lib. 5. Contra Celſum, & in lib. 1. de principijs cap. 7. Euſebius Emiſenus, Diodorus Tarſenſis, & Procopius Gazęus in com. in Gen. atque pręter hos Chryſoſtomus in hom. 6. & 53. in Geneſim, & in hom. 12. ad populum Antiochenum; Itaque Philaſtrius Brixienſis in hęreſum catalogo ita hanc opinionem approbauit, vt contrariã voluerit à catholica fide abeſſe, eiusq; aſſeclas potiùs gentium vanitatem, quàm Chriſti doctrinam adamare; ſed quicquid ſit de hac opinione, & illius amatoribus, certum eſt Ariſtotelem non fuiſſe illius approbatorem, qui etiam nunquid ſenſerit ſtellas infixas circulis, & non orbibus moueri, non immeritò poteſt dubitari, quamquam nullo pacto eſt dubitandum ipſum errantes ſtellas*

per

per aerem moueri non putaſſe; id tamen, quia ijs placuit, quibus cum ipſe diſputabat, vt ipſemet ſignificauit in lib. 2. de cęlo 56. poſitum eſt ab ipſo, vt doceret aſtra, licèt non ſint calida, poſſe aerem atterendo facere caliditatem. Cæterum hac attritio, vt ſupra adnotauimus, non eſt multi facienda, quoniam corpus, quòd cęlum tangit, vt incaleſcat, nulla eſt opus attritione, quippe quod ſua natura eſt ſiccum, ſummeq; calidum, & in genere calidorum illud, quod eſt primò calidum, ac cæteris cauſſa, vt incaleſcant, & quod eſt huiuſmodi, id nefas eſt aliunde recipere caliditatem. De ſententia igitur Ariſtotelis calor in his locis propè terram fit à ſtellis, ſeu potiùs à cælo, quoniam huius motu infatigabili, & in omni æternitate rato, ac immutabili ignis in orbem rapitur, disijcitur, & ad hæc infera loca detruditur. Cauſſa verò cur Sol omnium maximè videatur calefacere, ad eius lumen eſt referenda, non quia per ſe calefaciat, ſed quoniam ipſius virtute ignis in aere illuminato diu moratur, & conſeruatur. Nec in crimine ponendum eſt Ariſtoteli, quòd in hoc loco hanc cauſſam negligat, & aliam aſſerat, tum quia Sol hac ratione non ſimpliciter, & per ſe cauſſa eſt caloris; tum etiam quoniam cum velit docere poſitis placitis probatis ab illis, aduerſus quos ſuſcepit diſputationem, à cęlo & ab aſtris, quamuis non ſint ignea, fieri poſſe in his locis inferis caliditatem, nõ potuit aliam cauſſam, quæ veriſimilior videretur, excogitare, quæq; magis expleret animos eorum, qui dubitabant, qui aſtra ſi non ſint ignea, poſſint calefacere. Aliud eſt enim, vt ſcriptum eſt in lib. 8. phyſ. 68. dubitationi occurrere, vt is, qui dubitat, ſedetur, & aliud, vt res ipſa ac veritas poſtulat, cùm ſæpè eueniat, vt multò facilius dubitanti ſcrupulus ex animo euellatur poſitis ijs, quamuis falſis, quæ ab ipſo ſunt conceſſa, quàm ſi his refutatis ratio veritatis haberetur. Atque hæc dicta ſint, & de explicatione huius per obſcuri loci Ariſtotelici, & de ratione, qua lumen calefacit.

Sententiæ variæ de officio, quod ad videndum funditur à lumine. Cap. XXI.

QVantum fuit ſitum in nobis, luminis eſſentiam patefecimus, atque eam non eſſe huiuſmodi, vt pariat calorem, expoſuimus; ſupereſt, vt officia, quæ præſtantur à lumine, inueſtigemus. Sed quoniam hæc multa ſunt ac varia, & maxima eorum pars omnibus eſt in promptu, cæteris valere iuſſis ſolùm in eo verſabimur, quod ad videndum conducit, in quo viri præclariſſimi controuerſantur. Vt viſio perficiatur, tria poſtulari obiectum, medium, & inſtrumentum nemo non fatetur, qui in Ariſtotelis doctrina ſit verſatus; obiectum, quoniam viſio non eſt, niſi quippiam cernatur viſui ad ſentiendum propoſitum; inſtrumentum, quia cernendi vis ſic natura eſt comparata, vt corporis partem deſideret, quæ ipſi ad videndum ſeruiat ac miniſtret; & medium denique, quoniam obiectum non videtur, niſi moueatur inſtrumentum; fit enim ſenſio, quæ eſt quadam alteratio, cùm mouetur ac patitur aliquid lib. 2. de anima 51. & verò quia obiectum longè abeſt ab inſtrumento, aliquod interiiciatur, oportet, quod ab obiecto ſit aptum moueri, & inſtrumentum mouere. Verùm cùm præter hæc interſit quoque lumen, quòd nequit fieri, vt colores, quorum eſt viſio, ſine lumine cernantur, id an his omnibus ſuam operam præſtet, an vni, vel pluribus, magna exiſtit controuerſia. Peripateticorum plerique propter colores lumen poſtularunt; verùm cùm lumen poſſit bifariam ſuum officium tribuere coloribus, vel quia hos efficiat, vel quia his effectis tribuat vim, qua medium & aſpectum mouent, horum alij priorem modum, & alij poſteriorem ſunt amplexi. Auicennas in lib. 6. nat. 1. Auempaces apud Auerroem in com. lib. 2. de anima 67. atque ante hos Lucretius Epicuri ſectator in lib. 2. de rerum natura exiſtimarunt colores in tenebris nullos eſſe; ſed lumine ſuperueniente fieri actu, lu-

menq, propterea requiri ad colores in actu conſtituendos. Quæ confirmant horum opinionem, ſunt hæc: Color eſt perſpicui extremitas lib. de ſenſu, & ſenſibili cap. 3. atqui perſpicuum, vt ſit actu perſpicuum, per lumen conſequitur, quod finitur actus perſpicui, quà perſpicuum lib. 2. de anima 69. ergo quod color ſit actu color, exiſtit ex lumine. Deinde quæcunque vni ſenſui ſunt ad ſentiendum propoſita, hæc omnia ſunt aliqua vnitate comprehenſa, nam vnius ſenſus vnum eſt obiectum, & plurium plura: atqui lumen & colores viſu comprehenduntur; hæc igitur erunt aliqua vnitate conſtricta; caterum cùm id bifariam poſſit accidere, vno modo ſi lumini & coloribus vna quædam natura ſit communis; altero, ſi lumen ad colores, aut contra colores ad lumen referantur; atque nulla reperiatur natura, quæ lumen & colores ſuo ambitu complectatur; & nefas ſit lumen ad colores referri, qui ex ipſo perſpicuè pendent, planè colores ad lumen ſunt referendi; & quod ſequens eſt, hi, quòd actu ſint ea ipſa, quæ ſunt, per lumen conſequuntur, nam quod non ex ſe, ſed participatione eſt cuiuſdam modi, id illius eſt modi opera illius, quod primùm, ac per ſe eius eſt modi. Poſtremò cùm experientia compertum ſit, ſi quippiam in denſiſſimis tenebris fuerit conſtitutus, hunc perſpicere colores lumine colluſtratos; & è contrario hi ſi fuerint in tenebris, & ille in loco ſplendidiſſimo, nullam fieri colorum apprehenſionem, id poteſt eſſe omnibus argumento colores non eſſe colores, niſi luminis effectione, ac propterea lumen in viſione poſtulari, vt colores in actu ab ipſo conſtituantur. His illud negotium facit, q cùm color ſit extremitas perſpicui terminati lib. de ſenſu & ſenſibili cap. 3. atque hæc non corrumpatur à tenebris, conſentaneum eſt colores in tenebris perinde ac in luce ſuam naturam retinere, neque quòd ſint actu, ex lumine conſequi. Alij itaque vt Scaliger in exercit. 75. ad Cardanum part. 7. & Carpentarius in com. in Alcinoum voluerunt lumen ad videndum requiri propter colores ſanè, verùm non quia hi poſiti in tenebris non ſint

colores, ſed quia non ſunt aptè nati mouere perſpicuum niſi lumine perfuſi, à quo vim accipiunt mouendi perſpicuum, & in aſpectum cadendi. Id Ariſtoteles videtur approbare in lib 3. de anima 18 vbi lumen ſcribit facere quodammodo actu colores, qui ſunt poteſtate: cautè dicit quodammodo facere actu colores, quia non ſimpliciter facit actu colores, ſed his actu exiſtentibus impartit actum, & vim quandam, qua perſpicuum poſſunt mouere, & viſu accipi. Contra hos valet argumentum, quo Auerroes in lib. 2. de anima 67. caſtigat Auempacem, quodq; eſt: Si lumen tribueret colori vim & formam, qua moueret perſpicuum, & fieret aſpectabilis, non is ex ſe eſſet huius modi, ſed id lumini extrinſecus ſuperuenienti acceptum ferret; atqui color ex ſe, ſuaq; natura eſt aſpectabilis, quando quidem per ſe aſpectabilis eſt, atque eo modo, qui eſt ſecundus. in quo id, quod per ſe tribuitur, fluit ex intima illius, cui tribuitur, natura: non igitur putandum eſt colorem accipere à lumine, quod perſpicuũ moueat, fiatq; aſpectabilis. Fuerunt alij, qui propter medium introduxerunt lumen, atque hi inter ſe ſunt diuiſi, nam quidam dixerunt lumen eſſe medium, per quod ſpecies colorum deferuntur ad aſpectum; & alij eſſe medij apparatum, ſiue rationem, qua perſpicuum, quod eſt medium, eſt aptè natum, vt moueatur à coloribus. Priores, e quorum numero eſt Franciſcus Patritius in lib. 2 panaugia, ſuum dogma confirmant, quoniam lumen ſi abſit, nullæ ſpecies in aere ſuſcipiuntur, ſi adſit, continuò admiſcentur aeri, per ipſumq; longè, ac latè funduntur, cùm enim lux ſit colorum, luminisq; parens, magna eſt naturæ familiaritas inter lumen & colores, propter quam ſit, vt bi ab illo ſuſcipiantur, & per illud eorum ſpecies ad oculos transferantur. His Ariſtoteles videtur ſuffragari qui in lib. 7. phyſ. 12. patefaciens in ſenſibus id, quod poſtremò alterat, & quod primùm alteratur, eſſe ſimul inquit colorem lumini, & lumen aſpectui eſſe continuũ, perinde ac ſi lumen ſit mediũ, quod à coloribus alteratum alterat aſpectum. Verùm his molestiam

exhibet

exhibet luminis natura, quæ cùm ſit corporis expers, & continenter fiat, arduum eſt intelligere, quo pacto poſſit eſſe medium, per quod traÿciantur colores. At verò poſteriores, quorum princeps videtur Auerroes in lib. 2. de anima com. 67. medio ac perſpicuo vim impertiri à lumine, quæ poteſt moueri à coloribus, ex Ariſtotele intellexerunt, qui in lib. 2. de anima 67. ſtatuit omnem colorem habere vim mouendi perſpicuum actu, & perſpicuum non eſſe actu, niſi lumine colluſtretur, quod eſt actus perſpicui, vt perſpicuum. Contra hos inuectus eſt Auempaces Auerroe in loco proximè citato referente, quoniam lumen perſpicuo ad excipiendos colores impedimento eſt potius, quàm adiumento; idq; ita perſuaſit: Quicquid eſt aliquod excepturum, neceſſe eſt, vt illud ſit in huius priuatione, hocq; excipiat, quà eſt ſine ipſo; ſed lumen & colores non diffrunt ſpecie, & lumen eſt veluti color perſpicui lib. 2. de anima 69. ergo perſpicuum ſi colores eſt excepturum, lumine coloreq; careat, oportet; & quod ſequitur, tantum abeſt, vt lumen in perſpicuo ſuſceptum præſtet, vt hoc moueatur à coloribus, excipiatq; colores, vt contra impediat. Sed præter hanc Auempacis perſuaſionem experimento etiam videtur patere medij illuminationem nihil facere ad colorum viſionem, nam perinde in tenebris ac in luce videmus colores quoſcunque actu exiſtentes, quod noctu poteſt vnuſquiſque experiri, & ex loco tenebroſo non ſolùm ignem procul exiſtentem videmus, ſed etiam corpora ab igne illuſtrata, quamquam aer interiectus non ſit illuſtratus. E Platonis ſchola nonnulli prodierunt, qui exiſtimantes nullam à lumine afferri vtilitatem coloribus, qui ſunt lumina quædam, atque Plotino fidem habentes perſuadenti in cap. 2. lib. 5. enn. 4. medium non eſſe in viſione neceſſarium. & potiùs obeſſe, quàm prodeſſe, quoniam quò plus medij inter id, quod agit & id, quod patitur, eſt interiectum, eò minus hoc patitur ab illo, atq; huius indicio eſt ignis, qui eo minus nos calefacit, quò magis diſtat, & plus medij interiacet, ad inſtrumentum luminis operam retulerunt. Hi cum

Pla-

Platone in Timæo ſtatuunt ex oculis, qui ſunt inſtrumenta viſus, lumen effluere, atque hoc, quia eſt admodum tenue, neque potens eò, quo acies oculorum dirigitur, peruenire, lumen externum poſtulare, cui admiſceatur, & admixtum foueatur, roburque accipiat; quòd ſi erumpat in aerem lumine carentem, quod noctu contingit, extingui, & euaneſcere, ſomnumq; inducere. Horum opinioÿs omnibus argumentis premitur, quibus Ariſtoteles & Alexander in lib. de ſen. & ſenſibili cap. 2. Platonem exagitantes huius dogmatis diſſeminatorem docuerunt nullum lumen in oculis contineri, quod foras erumpens vel cũ externo lumine coniungatur, vel à tenebris extinguatur. Albertus in lib. 2. de anima tract. 3. cap 7. ſentit lumen coloribus, & medio ſuam operam locare, idq; ita declarauit. Eſſe coloris eſt duplex, alterum materiale, & alterum formale, illud ex primarum qualitatum mutatione exiſtit, coloresq; nunquam deſerit, hi ſiue in luce, ſiue in tenebris exiſtant; hoc proficiſcitur ex lumine, quod perſpicui extremitatem illuſtrando, atque opacitati ſeſe admiſcendo efficit colorem; ex quo fit, vt color ſecundum ſuum eſſe formale non niſi in lumine appareat, cui quòd verè, proprieq; ſit, fert acceptum. Porrò quia color eſt lumen materiæ alligatum, non poteſt medium mouere, atque in eo ſuam ſpeciem excitare, niſi fuerit illuminatum: Qua propter lumen requiritur, non ſolùm vt conſtituat colores in actu formali, ſed præterea vt illuſtret medium, quo poſſit à coloribus ſuum eſſe formale habentibus moueri. Priſcianus Lydus in lib. Theoph. de ſenſu cap. 14. ſtatuit lumen eſſe vſui cùm inſtrumento ad videndum, tum obiecto, vt videatur; Iandunus in quæſt. 19. lib. 2. de anima concludit lumen & medio, & inſtrumento eſſe neceſſarium, quòd hoc & illud eſt perſpicuum, cuius actus eſt lumen, coloribus autẽ nihil, quo cernantur, tribuere ob ea, quæ contra Auempacem fuerunt ab Auerroe diſputata. Deniq; recentes Peripatetici luminis officium amplificantes lumen induxerunt, quod medio & coloribus non ſolùm eſſet adiumento,

lumento, verùm etiam opitularetur oculis & inſtrumento, idq; Simplicio fuit quoque probatum in com. lib. 2. de anima 74. cæterùm hi ſunt diſſentientes inter ſe, nam lumen, quod ſeruit inſtrumento, alij internum eſſe voluerunt, vt Piccolomineus in lib. de ſenſu uiſus cap. 14. & alij externum, vt Zabarella in lib. 1. de viſu cap. 11. Quòd autem lumen ſit inſtrumento neceſſarium, teſtis eſt Ariſtoteles in lib. de ſen. & ſenſibili cap. 2. quo in loco is, vt videatur, fiatq; aſpectus, foris & intus poſtulat lumen. Contra hos, Iandunum, Priſcianum Lidum, & Albertum ea faciunt omnia, quibus luminis officium medio & coloribus fuit ereptum, & non eſt, vt aliud quicquam contra ipſos aſſeratur. Atque hæ & tot ſunt ſententiæ de officio, quod ad videndum ex ſe fundit lumen, quæ cùm non careant difficultate, ſintq; controuerſæ, danda eſt à nobis opera, vt quid Ariſtotelicè ſit ſentiendum, decernamus, atque initium à medio ſumamus.

In omni ſenſione cur medium poſtuletur, lumenque propter medium, ac inſtrumentum requiritur ad videndum. Cap. XXII.

MEdium eſſe in omni ſenſione ponendum illud monſtrat, quòd ſenſuum omnium eſt commune ſenſibili ſupra ſenſorium poſito non effici ſenſionem lib. 2. de anima 98. Ecquid autem huius ſit cauſſa, à varijs variè exponitur. Putant nonnulli hanc cauſſam in eo poſitam eſſe, quia cùm vis, & natura ſenſus ſit ratio, & mediocritas quædam lib. 2. de anima 122. atq; quod eſt moderatũ, id ab eo, quo excedit, corrumpatur, par fuit inter obiectum, quod in ſenſum agit, & ſenſũ, qui patitur ab obiecto, medium aliquod interijci, ne ſi illud proximè agat, ſequatur huius diſſolutio, & iudicij depranatio. Diſplicet hæc ratio, quòd non omnia ſenſibilia excedant modum, ſed multa ſunt moderata, nec pauca infra modum; quare cùm nullum immi-

immineat periculum, ne ab his proximè agentibus lædatur ſenſus mediocritas, & iuditium ſenſus obtundatur, ad hæc percipienda medium nullam afferret vtilitatem. Inquiunt alij ſi ſenſibile proximè, ac ſine medio in ſenſum ageret, hunc verè afficeret, eiq; formam tribueret verè, ac materialiter in ipſo tanquam in materia hærentem; atqui fieri nequit, vt materiale quippiam ſuſcipiatur à ſenſu materialiter, qui ſic natura eſt comparatus, vt ſolùm excipiat formas citra materiam lib. 2. de anima 121. ergo medium aliquod eſt ponendum, per quod in ſenſum agat ſenſibile. Hæc quoque ratio videtur improbabilis, tum quia medium, quod proximè patitur ab obiecto, perinde ac ſenſus inſtrumentum non materialiter, ſed ſpiritualiter patitur: tum etiam quoniam medium non poteſt prohibere, ne id, quod diſtat, materialiter patiatur; atque huius fidem facit ignis, qui cùm ita agat, vt id, quod ab ipſo patitur, materialiter patiatur, ſi medium interyciatur, ab hoc minimè prohibetur, ne agat modo materiali, & id, quod patitur, materialiter patiatur. Cenſent alij natura comparatum eße, ne ſine medio ad extremum ab extremo fiat progreſſus, atque ideo quoniam eſſe, quod habet in materia forma ſenſibilis, plurimùm diſtat ab eo, quod eadem forma habet in ſenſu, nam illud eſt prorſus materiale, & hoc penitus ſpirituale, neceſſarium fuiſſe medium introducere, in quo ſenſibilis forma medium quoddam eße ſibi aſſereret. Sed & hæc ratio non caret difficultate, quando quidem abſque medio poſſumus tueri conſtantem naturæ progreſſum, nam cùm ſenſibile extra animam conſiſtens habeat eſſe materiæ coniunctum, & materiæ conditionibus; in ſenſu ſit ſanè abſque materia, ſed non abſque materiæ conditionibus; & in mente locum habeat à materia & ab omni materiæ conditione ſegregatum, atque præter hæc tria eſſe nullum aliud videatur ponendum, nulla medij eſt neceſſitas, in quo ſenſibile obtineat eſſe, quod ab his diuerſum ſit. Arbitror huius hanc eſſe cauſſam: Senſus dati ſunt animalibus, vt cognitis

rebus

rebus noxÿs, & ſalutaribus ad has fiat acceſſus, & ab illis receſſus: verùm quoniam hæ res aut longè poſitæ ſunt, aut proximè coniunctæ, ad illas cognoſcendas facti ſunt ſenſus videndi, audiendi, & olfaciendi, & ad has ſenſus guſtandi & tangendi: Itaque tres ſenſus priores quoniam in ÿs verſantur, quæ ab animalibus diſtant, non ſine medio externo poßunt ſuo munere fungi : Optima igitur ratione reprehenſus fuit Democritus lib. 2. de anima 74. ſentiens ſi inane eſſet, corporeq; careret ſpacium, quod inter nos & cœlum interÿcitur, futurum eße, vt exquiſitiùs cernatur, nam id impoſſibile eſt, quia cùm viſio efficiatur ſenſorio aliquid patiente ab obiecto, atque illud ab hoc nequeat proximè pati, aliquod corpus medium eſt ponendum, quod moueatur ab obiecto, & commotum moueat ſenſorium. Duo autem ſenſus poſteriores medium externum ſanè reſpuunt, at internum poſtulant, tum quia omnium ſenſuum eſt vna communis ratio, atq; idcirco ſi illi non ſine medio ſuũ munus exequuntur, nec hi quoq; ſine medio ſuũ officiũ præſtabunt: tum etiam quoniam horum ſenſuum vis & natura ſita eſt in primarum qualitatum mediocritate, quæ quoniam facilè ab ÿs, quæ ſunt extra, poterat lædi, neceſſarium fuit, vt ſedem intus haberet, ac propterea medio interno vteretur. Quicquid igitur dixerit Plotinus, non eſt, vt medium ſenſibus eripiatur; neque huius perſuaſio eſt huiuſmodi, vt conuincat, quod poſt paulo declarabitur. Medium autem, quod viſui miniſtrat, non eſt lumen, vt quidam exiſtimarunt, quoniam illud ſit corpus, & aliquod manens, oportet, lumen verò eſt corporis expers, continenterq; gignitur ſed corpus perſpicuum interminatum, cuius ea eſt natura, vt per ipſum tranſpiciantur colores; perſpicuum verò interminatum eſt illud, quod ſua ſuperficie non terminat viſum, ſed huic dat aditum, quo ad corporis circunſtantis ſuperficiem protenditur; quemadmodũ ex contrario perſpicuum terminatum eſt illud, quod ſua ſuperficie, ac extremitate terminat viſum, prohibetq; ne hic vlteriùs protendatur. Quoniam

verò cuius eſt aliquod officium, id non poteſt hoc fungi, niſi fuerit actu, hinc fit, vt perſpicuum, niſi actu fuerit, non poſſit colores, ſiue colorum actiones traijcere; cùm autem huius actus ſit lumen, quod finitur actus perſpicui, qua perſpicuum lib. 2. de anima 69. planè lumen ad videndum erit neceſſarium, vt ab ipſo perſpicuum illuminetur, fiatq; actu, quod actu redditum eſt apiè idoneum, vt per ipſum tranſpiciantur colores, & vt moueatur à coloribus, quibus in lib. 2. de anima 67. ineſt vis mouendi perſpicuum actu. Nec ferenda eſt Auempacis interpretatio, qua hic locus Ariſtotelicus ita explicatur, vt ſententia ſit colorem omnem habere vim mouendi perſpicuum de poteſtate ad actum, nam perſpicuè eſt violenta, ſi quidem ex hoc, quod natura coloris eſt in hoc conſtituta, vt moueat perſpicuum, quod eſt actu, colligitur colorem non poſſe videri ſine lumine, nam cùm color eatenus cernatur, quatenus mouet perſpicuum actu, atque perſpicui actus ſit lumen, neceſſariè conficitur colorem ſine lumine non videri. Accedit, quòd ſi color transferret perſpicuum de poteſtate ad actum, illi tribueret lumen, quod eſt actus ipſius; id autem à veritate diſcedit, quoniam lumen fit in perſpicuo, non productum à colore, ſed ex lucidi corporis præſentia excitatum. Quinetiam peccant illi, qui cum Auempace ſentientes putant eam ob cauſſam dictum fuiſſe ab Ariſtotele colorem habere vim mouendi perſpicuum actu, quia color non eſt actu, niſi in lumine, quippe qui in tenebris poſitus non eſt actu color, ſed poteſtate, ac proinde inuiſibilis, cùm nihil habeat luminis, propter quod vnumquodq; eſt viſibile; idq; inquiunt Ariſtotelem ſignificaſſe, cùm ſcripſit colorem eſſe viſibilem, quia eſt in eo, quod ſecundum ſe viſibile eſt, id eſt in lumine. Falluntur hi, quoniam niſi fallerentur, color ex accidenti moueret perſpicuum actu; quod non facit cum Ariſtotele ſentiente colorem, qua ipſius eſt natura, mouere perſpicuum actu: Enimuero ſi color mouet perſpicuum actu, quia is non eſt actu, niſi in lumine, ipſi accidit, vt moueat perſpicuum actu. Nec præterea cùm ſcribit Ariſtote-

les

les colorem eſſe in eo, quod ſecundum ſe viſibile eſt ſignificat colorem eſſe in lumine viſibilem; nam ſubiungit hoc, in quo eſt color, eſſe viſibile, quia in ſe cauſſam habet, vt ſit viſibile; hoc autem non poteſt eſſe lumen, quod cùm cæteris cauſſa ſit, cur ſint viſibilia, nullam in ſe habet cauſſam, cur ſit viſibile; quin immo propriè non eſt viſibile, nam viſibile eſt color, & id quod oratione quidem poteſt explicari, nomine autem caret, hoc eſt corpus igneũ ac lucens, quorum nullũ eſt lumen, tametſi hoc exiſtat ex præſentia corporis lucentis; ſed eſt corpus perſpicuum terminatum, ſiue huius corporis ſuperficies, quæ per ſe viſibilis eſt, non quidem quia viſibile ingrediatur eius definitionem, ſed quoniam in ſe continet colorem, qui cauſſa eſt ei, vt ſit viſibiles. Non eſt igitur dubitandum, quin lumen ad videndum ſit neceſſarium, quoniam illuminat medium, quod eſt perſpicuum. Quòd ſi medium, quia eſt perſpicuum, lumen requirit, idem quoque poſtulabitur ab inſtrumento, quod eſt perſpicuum. Cùm enim non minus inſtrumentum, quàm medium patiatur à coloribus, atque perſpicuum ſit apiè natum moueri à coloribus, oportuit viſus inſtrumentum ex ijs compoſitum eſſe, quæ ſunt perſpicua: Itaque omnia ferè, ex quibus eſt oculorum conſtitutio, ſunt perſpicua, & præſertim humor criſtallinus præcipua oculi pars miniſtrans viſioni, hic cùm naturam habeat conſtantem & minimè fluxam, ſic lumen excipit, vt huius ſuſceptione magnopere ſplendeat, aptiorq; fiat, vt moueatur à coloribus. Verùm hæc omnia ſatis abundè fuerunt ab Ariſtotele explicata in lib. de ſenſu & ſenſibili cap. 2. vbi non obſcurè quoque dictum eſt lumen ad videndum requiri, quo perſpicuum tam extra, quàm intus in oculis poſitum illumineiur, actuq; reddatur. Porrò lumen, quod tribuitur oculo faciens ad videndum etſi in quorundam animalium oculis inſitum ſit, idque foras emißum colluſtret proximum aerem, attamen vt plurimùm extrinſecus accedit, idq; ſignificauit Ariſtoteles in lib. 2. de anima 73. quo in loco non videri ſine lumine ſignum eſt, quòd ſi

quis ponit id, quod habet colorem ſuper oculos, non videbit: huius enim non alia eſt cauſſa, niſi quia ſublatum eſt lumen externum, quod eſt neceſſarium ad cernendum. Quapropter illi non ſunt audiendi, qui cenſent lumen, quod ad oculos illuſtrandos poſtulatur, eſſe in oculis inſitum, & nunquam externum; quemadmodum illi quoque non eſt, vt audiantur, qui his tota diametro aduerſi lumen externum ſic amplexantur, vt inſitum prorſus reiiciant, nam hos eſſe falſos teſtantur feles, pardi, & leones quorum oculis lumen fuit à natura impertitum, quo perſpicuum externum & internum ſic illuſtratur, vt ipſi in tenebris poſiti videant ea, quæ in tenebris iacent.

Lumen in viſione poſtulatur propter colores, & his quid tribuat. Cap. XXIII.

NEc verò ſolùm propter perſpicuum, ac medium lumen eſt neceſſarium ad videndum, atque propter oculos & inſtrumentum, ſed etiam propter colores & obiectum; id autem quamquam ex Ariſtotele non poſſit intelligi de viſu in lib. 2. de anima diſputante, attamen in lib. 3. eiuſdem operis 18. non obſcurè fuit ſignificatum, vbi lumen aliquo pacto facit colores, qui ſunt poteſtate, actu colores. Quid autem tribuat his, non caret dubitatione. Putauit Auempaces, cui Liconienſis & alij plerique ſeſe adiunxerunt, colores quòd ſint actu colores, ex lumine conſequi tanquam ex propria forma, nam cùm color finiatur extremitas perſpicui, atque actus formaq; perſpicui ſit lumen, planè hoc erit forma & actus omnium colorum. His non accedo, nam cùm natura luminis ſit fluxa, continenterq; oriatur pendens ex præſentia lucidi corporis, non ſatis poſſum intelligere, quo pacto id poſſit eſſe coloris forma, & colorem conſtituere, qui eſt qualitas permanens, ac ſtabilis. Adiungendum eſt, quòd cùm color ſit affectio corporis mixti, par eſt ex ijs exiſtere, quæ vna iunguntur ad mixtum corpus conſtituendum;

verùm

verùm cùm mixtio ſit eorum duntaxat, quæ per ſe conſiſtunt, & non accidentium lib. 1. de gen. & int. 83. quì fieri poteſt, vt lumen mixti corporis conſtitutionem ingrediatur ad colorem complendum? Et ſi lumen non eſt aptũ lumini coniungi lib. de ſenſu & ſenſibili cap. 2. quì cum corpore mixto ita copulabitur, vt huius color. conficiat? Poſtremò cùm corpus mixtum ex omnibus elementis ſit concretum, atque ignis ex ſe fundat lumen, equidem ſi lumen faceret quidquam ad colores in mixtis corporibus gignendos illud cùm ſit intus, fruſtra extrinſecus peteretur. Nec aliquis hanc rationem reprehendat, quod ignis elementum non lucet, ſed perinde perſpicuum eſt corpus, vt aer, quoniam etſi purus ſimplexq; ignis non luceat ob raritatem, ſi tamen denſetur, quod et accidit, dum reliquis elementis admiſcetur, ſplendet, ac illuminat. Pleriq; opinantur lumen coloribus tribuere vim producendi ſpecies & imagines quibus in medio ſuſceptis, & in oculos immiſſis fit viſio. His vt aſſentiar, vellem has ſpecies & imagines neceſſarijs argumentis mihi perſuaderi, quippe de eis vehementer dubito, & vt liberè dicam, quod ſentio, eas arbitror eſſe inanes & contemnendas, quod ne ijs moueat ſtomachum, qui has ſpecies ſuſpiciunt, & admirantur, hac quæſtione explicata de his priuata inſtituetur diſputatio. Præterea hæc vis, quæ a lumine tribuitur coloribus, vel eſt idem, quod lumen, vel eſi quippiam à lumine diuerſum; Si hoc affirment, eorum erit explicare, quid ſit hæc vis, quo pacto procreetur, & nunquid ex colorum materia educatur, aut his extrinſecus aduenias: Sin illud, cùm lumen præterea perſpicuo impertiat virtutem, qua eſt aptè natum à coloribus accipere has ſpecies, conficitur, vt lumen reſpectu eiuſdem ſit principium dandi, & accipiendi, agendi, & patiendi, quod flagitiũ eſt non minimum. Alij inducunt duos colorum actus, primum, quo colores ſunt id quod ſunt; & ſecundum, quo colores agunt ſpiritaliter, atque hunc actum ſentiunt accipi à lumine: verùm cùm ſecundus actus perpetuo ſequatur primum, & vnum-

quodq;

quodq; vt primùm eſt in actu primo conſtitutum ab eo, quod generat, habeat actum ſecundum, continuoq; agat, niſi quippiam impediat lib. 8. phyſ. 32. quo pacto colores, qui actum primum accipiunt à generante, per lumen conſequentur actum ſecundum, quo ſpiritaliter agunt? Illorum opinio mihi magnopere probatur, qui ſtatuunt lumen ſui acceſſione facere, vt colores, qui ſunt poteſtate aſpectabiles, efficiantur actu aſpectabiles. Vt autem horum opinionem probarẽ, illud effecit, quòd in genere aſpectabilium lux eſt primùm ac per ſe aſpectabilis, colores autem ſecundò & participatione; & in quocunque genere quod eſt primùm ac per ſe, id cæteris, quæ ſunt participatione, cauſſa eſt, vt illius ſint generis lib. 2. poſtnaturalium 4. Hanc opinionem Alexander perſpicuè fuit amplexatus, qui in lib. 1. de anima cap. de mente efficrice ſcribit lucem, quæ maximè aſpectabilis eſt, cæteris rebus aſpectabilibus in cauſſa eſſe, vt ſint aſpectabiles; & in lib. 2. cap. 15. lumen facere, vt colores, qui poteſtate ſunt aſpectabiles, fiant actu aſpectabiles. Quapropter cùm in lib. 1. de anima ſub exitum cap. de viſu inquit perſpicua terminata colorem tunc ſolùm habere, cùm illustrantur, id non ſic accipi debet, vt hæc corpora non colluſtrata careant penitus colore, ſed ita, vt non habeant colorem, qui ſentiatur, ei ſit aſpectabilis, nam lumen non ſimpliciter, ſed quodammodo efficit colores, qui ſunt poteſtate, actu colores lib. 3. de anima 18. Quòd Zabarella in lib. 1. de viſu cap. 11. lumen propter colores poſtulari ad videndum intellexerint quoniam ſi color fuerit in tenebris, & vniuerſus aer interiectus illuminatus, non cernitur color, temere ac perperam mihi videtur intellexiſſe, quando quidem nunquam potest accidere, vt color non cernatur, ſi aer, qui interijcitur, totus fuerit illuminatus; nec quippiam est, quod poſſit contrarium ſignificare; quòd ſi Zabarella id animo complectitur, nil mirum, nam & quæ ſunt falſa, animo ſæpe concipiuntur. Sed nec etiam ad idem perſuadendum habet momentum, quòd colores in lumine, & non in tenebris visu accipiantur,

tur, quoniam id poteſt accidere, quia colores, vt ſentiantur, neceſſe eſt, vt moueant perſpicuum actu; & perſpicuum non eſt actu, niſi lumine perfuſum. Verũ de his quicquid ſit, omnino exiſtimandum eſt ſine lumine colores non eſſe aſpectabiles, nec poſſe medium & aſpectum mouere. Neque id videatur mirum, nam quemadmodum medicamenta non poſſunt corpus noſtrum alterare, niſi antè à corporis calore moueantur, actuq; fiant, haud diſſimiliter colores non poſſunt fungi munere mouendi perſpicuum, & aſpectum, niſi colluſtrentur, luminisq; coniunctione fiant actu aſpectabiles. Atqui dubitabit aliquis, ſi lumen ad viſionem obeundam poſtulatur non ſolùm propter medium, verùm etiam propter colores, ecquid eſt, cur Ariſtoteles in lib. 2. de anima 67. declarans colorem non eſſe abſque lumine aſpectabilem vnius perſpicui rationem habuit, & de eo, quod eſt colorem non eſſe aſpectabilem, niſi lumine ſpargatur, ne verbum quidem fecit? Id autem non erat prætermittendum, quoniam ſi non abhorret à vero, magis in eo, quàm in perſpicuo poſita eſt cauſſa, cur colores non ſine lumine videantur. Dixerunt nonnulli ſolius perſpicui factam fuiſſe mentionem, quoniam lumen tanquam forma huic coniungitur, & non coloribus, qui in tenebris ſunt quoque colores. Hi non explent animum, quoniam aer in tenebris eſt perſpicuus, quamquam non poſſit fungi munere perſpicuitatis, quod eſt trajicere colores, niſi illuminetur, perinde ac colores, qui cùm in tenebris ſint colores, non poſſunt videri, niſi illuſtrentur. Accedit, quòd lumen quà eſt actus, & forma perſpicui, poteſt quidem præſtare, vt perſpicuum moueatur à coloribus, ſed non ob id, vt colores non ſine lumine cernantur, maioris eſt momenti, quàm quòd coloribus accedendo facit, vt hi ſint aſpectabiles. Aliorum eſt reſponſum coloris naturam non fuiſſe ab Ariſtotele neglectam, nam in tex. 67. dũ colligitur colorem non eſſe viſibilem ſine lumine, & omnem cuiusq; colorem eſſe in lumine viſibilem, quia omnis color habet vim mouendi eius, quod eſt perſpicuum actu, & id eſt ipſius natu-

ra,

ra, ratio conſequutionis non in eo conſiſtit, quia perſpicuum actu non eſt huiuſmodi, niſi fuerit illuminatum, ſed in eo, quòd nulla vis eſt colori ad mouendum actu perſpicuum, niſi is fuerit colluſtratus, nam Ariſtoteles hoc in loco contemplatur colorem, quà eſt obiectum viſus, & is non eſt viſus obiectum, niſi quà eſt aſpectabilis, & ſine lumine non eſt aspectabilis. Hac reſponſio non eſſet contemnenda, niſi in tex. 73. huius conſequutionis ratio in eo fuiſſet poſita, quòd lumen eſt actus perſpicui, & color non habet vim mouendi, niſi illud, quod eſt actu perſpicuum. Quapropter quoniam hic & ibi eadem eſt ratio, locus ille non ſecus atque hic eſt interpretandus. Zabarella in lib. 1. de viſu cap 13. vt tollat hanc dubitationem; multus & varius eſt, duasq; videtur afferre explicationes: quarum altera eſt. Color ſi amplè accipiatur, tam latè patet, vt amplectatur lucem; hæc autem ex ſe viſibilis eſt, nullumq; lumen externum requirit, vt videatur: Itaq; color, qui non ſemper poſtulat lumen, vt cernatur, quemadmodum perſpicuum, in lumine definiendo fuit neglectus, & perſpicuum, quod eſt proprium luminis ſubiectum, fuit aſſumptum. Altera eſt: Lumen duobus modis poteſt accipi, altero, vt eſt id, quod videtur, & quo videtur; altero, vt eſt illud, quo tantùm uidetur, hoc poſteriore modo acceptum ſolt medio eſt neceſſarium, quoniam lumen in perſpicuo ſuſceptum non videtur, ſed ratio eſt, qua perſpicuum videtur; priore autem colori, & medio, nam lumen colori copulatum videtur, & ratio eſt, cur color uideatur. Ariſtoteles igitur in lib. 2. de anima, quoniam lumen modo poſteriore contemplabatur, nullam habuit coloris rationem in afferenda luminis definitione: Cauſſa uerò cur lumen ita fuerit contemplatus, ea eſt, quia cùm illi animus eſſet obiectum, medium, & inſtrumentum inter ſe diſtinguere, atque lumen colori aduenienſ ſubeat rationem coloris, & illius, quod uidetur, ipſum hoc modo contemplari neglexit, & ſolùm fuit intuitus, ut eſt id, quo uidetur, & eſt perſpicui actus; ac propterea lumen finiuit in eo, quod eſt conditio perſpicui.

cui. Hic quoque fibras non euellit dubitationis, quæ posita est non in eo, cur Aristoteles definiens lumen neglexerit colorem, sed in eo, cur Aristoteles rationem afferens, cur color non sit aspectabilis sine lumine, post habita coloris natura, qua non est aspectabilis, nisi lumine perfundatur, ad solum perspicuum se contulerit. Nec præterea color, qui hoc in loco est Aristoteli propositus, dicitur de luce, nam is est, qui paulò ante fuit ab eo visibili separatus quod lucet & igneum est, in tenebrisq; videtur, hic autem quoniam nunquam non postulat lumen vt cernatur, par erat, vt in lumine definiendo non haberetur pro nihilo, si hanc ob causſam perspicuum fuit in eius definitione assumptũ. Nec rursus satis intelligo, qua ratione medium & obiectum commodius inter se distinguantur, si solum perspicuum in luminis definitione sumatur, quando quidem si color quoque in eadem fuerit positus, nihil minus color à perspicuo, & medium ab obiecto separabitur. Et si denique Aristoteles intuetur lumen, quà seruit ad videndum, atque hoc officium præstet non minus colores illustrando, quàm medium illuminando, cur non æquè coloris & perspicui ratio est habita? Puto esse respondendum, cùm duæ sint rationes, propter quas color non sine lumine est aspectabilis, altera in colore, & altera in medio, ac perspicuo sita. Aristotelem delegisse posteriorem veluti cognitu faciliorẽ, & omisisse priorem tanquam obscuriorem, nam hanc afferri quoque potuisse in lib. 3. de anima 18. fuit significatum, cum ad explicandum mentis effectricis officium adhibitum est lumen, à quo colores, qui sunt potestate, aliquo modo efficiuntur actu colores, quod minimè fuisset adhibitum, si id penitus dubium incertumq; fuisset; Consueuit enim Aristoteles breuitatis amantissimus in causſis afferendis claras, & à dubitatione remotas diligere. & quę quod omnibus non sunt in promptu, multum studij operæq; postulant, negligere, ne si in his declarãdis uersetur, ab eo, quod est propositum, longè digredi habeat necesse. In lumine autem definiendo fuit posthabitus color, quoniam lumen

absq; colorum illustratione saluum & incolume manet, & sine perspicuo suam non potest retinere incolumitatem.

Confutantur ea, quæ ijs, quæ sunt constituta, aduersantur. Cap. XXIIII.

Reliquum est, vt his occurramus, quibus aliter, ac fert nostra opinio, fuit persuasum, & primùm quidem Auicenna, & Auempacis argumentationibus, quibus conficitur colores in tenebris non esse actu colores, sed tum primùm nasci, cùm ijs, quorum sunt colores, lumen superuenit. Prima igitur horum argumentatio dissoluitur, quòd lumen est quidem actus perspicui, sed non cuiusque, sed illius, quod est interminatum, quodq; non finit, ac terminat visum, sed huic dat aditum vltra progrediendi; & color finitur extremitas perspicui terminati, visumq; finientis; qua re non sequitur, vt lumen, si est actus perspicui interminati, compleat id, quod est terminatum. De secunda dicendum est lumen non cadere sub visus obiecto; lumen sanè visu discernitur, sed propriè non videtur; neque id habeat admirationem, nam lib. 2. de anima 138. cùm non videmus, tenebras & lumen visu discernimus, quamquam non eodem modo. Deinde cùm colores quà aspectabiles sint obiectum visus, hi vt huius modi pendent ex luce, ac lumine; verùm non propterea quòd sint colores ex luce, ac lumine consequuntur. Tertia, quæ nititur experientia, conuellitur, quòd color non est aspectabilis sine lumine, ideo videtur in lumine, sed non in tenebris, in quibus positus desinit esse aspectabilis. Argumentum, quo Auerroes castigat Auempacem, refellitur, quoniam aspectabilitas est proprietas coloris, non quà est simpliciter color, sed quà lumini coniunctus; & color vt huius modi est per se aspectabilis, neque extrinsecus, & aliunde consequitur aspectabilitatem. Vt interim mittam eclipsim esse propriam Lunæ affectionem, & Lunam in hanc non incurrere, nisi terra extrinsecus

ſecus poſita inter ipſam, & Solē interÿciatur. Quocirca proprietas proximè quidem ineſt rei, cuius eſt proprietas; eiusq́; accipienda habilitas, ſi ipſa non fuerit actu, fluit ex intima rei natura, hoc eſt proprietas tribuitur rei, quia hæc ſic naturæ eſt comparata, vt eam teneat, poſſitq́; habere, vt Lunæ tribuitur eclipſis, quia naturam aptè natam habet ad hanc excipiendam; verùm non ſemper actu ineſt ſine cauſſa, quæ quandoque eſt foris, & non intus, quòd ex Luna & eclipſi intelligitur. Argumentatio eorum, qui putant lumen eſſe medium, per quod cernuntur colores, quàm facilè poſſit refutari, liquet ex ÿs, quæ fuerunt diſputata. Neque his ſuffragatur Ariſtoteles, qui in loco adducto luminis nomine intelligit non lumen per ſe ſolum, ſed lumen perſpicuo admixtum, & perſpicuum illuminatū. Auempacis argumentum refutatur ab Auerroe, quoniam licèt veriſſimum ſit, quod eſt quippiam excepturum, illud hoc carere, attamen non verè dicitur lumen, & colores ſpecie non differre, nam alia eſt luminis diffinitio, & alia coloris, & quorum diffinitiones ſunt diuerſæ, ea nequeunt ſub vna, eademq́; ſpecie contineri. Experimentum, quod mox adiungitur, non eſt, vt multi æſtimetur, quoniam non omnia, quæ cernuntur, apta ſunt, quæ in lumine videantur, ſed ſolùm proprÿ rerum ſingularum colores, nam quæ ignea ſunt, ac ſplendent, in tenebris ſenſum efficiunt lib. 2. de anima 72. Horum autem ſplendore, ac lumine cùm aer proximus illuminetur, colores in hoc poſiti cadunt in aſpectum. Quòd ſi dubitetur, vnde exiſtat, quòd colores in lumine ſiti videantur ab eo, qui in tenebris iacet, ſi color non eſt aptus mouere niſi perſpicuum illuminatum; hanc dubitationem tollunt Auerrois ſectatores dicendo aerem, per quem colores traÿciuntur, non penitus lumine carere, ſed cùm lumen ſit tenue, ac remiſſum, reſpectu illius, in quo ſummum eſt lumen, videri obſcurum, ac ſine lumine; Reſpondent alÿ perſpicuum non poſſe à coloribus proximè moueri, niſi fuerit illuminatum, vbi autem exceperit motum à coloribus, poſſe hunc traÿcere, tametſi

fuerit tenebricoſum: qui ſi probentur liquet, cur non contra accidat, vt is, qui eſt in luce, perſpiciat colores tenebris circumfuſos, nam vt colores per corpus perſpicuum tranſpiciantur, illos primùm hoc mouere oportet, & illi non mouent, niſi hoc fuerit actu illuminatum. Qui è Platonis ſchola prodierunt, falluntur tum ſentientes colores eſſe lumina, nam color eſt terminati perſpicui extremitas, & lumen actus perſpicui interminati; tum etiam Plotino aſſentientes non neceſſariè perſuadenti ad viſionem peragendam nullum medium poſtulari, & huius argumentum conuellitur, quoniam medium non ſic patitur ab obiecto, vt verè afficiatur, vereq; commutetur ab eo, quod eſt ipſi contrarium, ſed ſimilitudine, & eo pacto, quo is dicitur pati, qui fit dexter propter præſentiam, & habitudinem illius, quod ad ſiniſtram adſtat, vt præclarè docet Alexander in lib. 2. de anima cap. 38. qua e re vt hic non verè patitur, neque verè alteratur, ita medium non verè patitur, verèq; alteratur. Sed & huius argumento eſſe poteſt, quoniam ſi aliqua in medio gigneretur à coloribus affectio, in eadem medij parte, per quam contingit contrarios colores videri, eſſent ſimul affectiones contrariæ; quinetiam colores non poſſent ſynceri ad oculos ferri, ſed mixti, quemadmodum ſonis & odoribus euenit medium verè, ac propriè afficientibus; nam ſi duo ſoni ſimul fiant, auditus mixtam ex his harmoniam percipit; & ſi odores duo ſimul inſideant in eadem medij parte, ſimulq; agant, non ſynceri, ſed mixti percipiuntur. Cùm igitur traiectio colorum ad aſpectum non gignat in medio aliquos colores, vel aliam huiuſmodi affectionem, hinc fit, vt medium, quod eſt aptè natum à coloribus pati, ſimul totum & aquè patiatur; neque ſi plus medij interijciatur, id poſſit eſſe impedimento, ne colores ad oculos traijciantur. Nec verò propterea ſpecies colorum ſpiritales ſunt amplexandæ, quæ à coloribus productæ, & ſine tempore per medium ad oculos tranſmiſſæ viſui colores, quorum ſunt ſpecies & imagines, repræſentent, nam has eſſe vanas & contemnendas quæ

ſequi-

ſequitur diſputatio patefaciet; ad quam antequam aggrediar Albertus eſt ſedandus duplex eſſe tribuens coloribus, alterum formale, & alterum materiale. Hæc eſſe ſi ita accipiantur, vt eſſe materiale ſit coloris eſſe in eo, quòd eſt color, & perſpicui terminati extremitas; & eſſe formale ſit eſſe eiuſdem quà eſt aſpectabilis, non eſt planè vt eorum author reprehendatur; ſin ſecus, velitq; Albertus lumen ſimpliciter efficere colores, is non eſt audiendus, & cur non ſit audiendus ſupra fuit abundè explicatum: Quemadmodum quoque non eſt, vt audiatur exiſtimans colorem eſſe lumen materiæ alligatum, nam aliam eſſe coloris naturam, & aliam luminis ex coloris & luminis diffinitionibus ſat ſuperq; intelligitur. Sed iam in medium veniant ſpecies ſpiritales ab omnibus ferè Peripateticis adamatæ.

Specierum ſpiritalium nomina, cauſſæ, natura, & officia explicantur. Cap. XXV.

QVoniam quæ ſenſibus ad ſentiendum ſi nt prepoſita, nequeunt ab his apprehendi, niſi cum ipſis coniungantur, proximè autem ſi coniungantur, non percipiantur, quòd ſenſibili poſito ſupra ſenſum non ſequatur actus ſentiendi, par eſt aut à ſenſu aliquid ad ſenſibilia effluere, aut contra ab his aliquid ad illa demitti, quo fiat ipſorum copulatio: Vtrum autem ſit ponendum, magna inter veteres fuit diſſenſio: Pythagoras & Pythagorici putarunt fieri aſpectum (ſenſus videndi, quæ illius eſt præſtantia, maximè idoneus eſt viſus, in quo contemplando aliquid operæ poneretur) ex oculis ad res viſibiles lumine emiſſo; idq; Perſpectiuæ ſtudioſis vehementer fuit probatum: Democritus, Leucippus, & Epicurus contra à rebus viſibilibus quædam corpuſcula, quæ harum ſimulachra & imagines eſſent, ad oculos demitti voluerunt. Plato & Platonici hos inter ſe conciliantes exiſtimarunt & ab oculis, & à rebus viſibilibus

bilibus lumina quadam emanare, quæ in media intercapedine inter ſe mixta efficiunt luminum commixtionem, quam appellarunt συνάυγείαν: *Eiuſdem opinionis videtur Galenus in lib. 7. de placitis Hippocratis & Platonis. At verò Peripatetici hæc dogmata non abeſſe à caſtigatione arbitrantes in alias ſententias conceſſerunt, & ex his omnes ferè latini ſpecies quaſdam induxerunt, quæ à rebus ſenſibilibus in ſenſus immittantur, nullum quidem corpus habentes, cæterùm ea, quorum ſunt ſpecies, tanquam imagines ſenſibus oſtendentes, quorum opinio, quoniam in multorum animis inſedit, & cum magnis coniuncta eſt difficultatibus, digna eſt, in cuius conſideratione nonnihil ſtudij & laboris collocetur. Initium autem erit ab harum ſpecierum nominibus, quibus declaratis, quæ ſit earum natura indagabitur, hacq; patefacta, cauſſæ ipſarum exquirentur, & his inuentis, quid de his ſpecibus iuxta Ariſtotelis decreta ſentiendum ſit, conſiderabitur. Hæ ſpecies à ſuis amatoribus vocantur ſenſibiles, intentionales, ſpirituales, immateriales, atque rerum ſenſibilium imagines. Appellantur ſenſibiles, tum quia à rebus ſenſibilibus fluunt, tum etiam quia in ſenſibus impreſſæ in cauſſa ſunt, vt res ſenſibiles ſentiantur. Intentionales, non quia ſint meræ animi notiones, veluti ſunt ea, quæ nominantur entia rationis; nam ſunt naturæ opera, ſed cùm intentio ſignificet id, quo quippiam tendit in id quod tanquam finem, & perfectionem afferens habet propoſitum, his ſentiendi facultates tenduntur in obiecta, hacq; comprehenduntur, quorum gratia videntur comparatæ: Spirituales, quoniam liberæ ab omni contrarietate temporis momento longè, latèq; diffunduntur: Immateriales, vel quia non ſic ſuſcipiuntur, vt afficiant, tribuantq; nomen ijs, in quibus ſuſcipiuntur, non enim oculus albeſcit, aut nigreſcit, albi nigrive ſpeciem dum ſuſcipit; vel quia ex obiecto, à quo efficiuntur, magis pendent quàm ex materia, in qua ſuſcipiuntur; vel quoniam ſenſibus apportant rerum ſenſibilium formas abſque materia: Imagines denique, ac ſimulachra, quòd repre-*

ſentant

ſentant ſenſibus ea, quorum ſunt ſpecies; non ſecus ac ſtatuæ, verèq; rerum imagines. Cæterùm illud intereſt inter imagines propriè dictas, & has ſpecies quoniam illæ non ſolùm ſunt principia, quibus ea, quæ repræſentant, cognoſcantur, ſed ipſæ etiam per ſe cognoſcuntur; at hæ ſunt quidem rationes & principia, quibus ea, quorum ſunt, à ſenſu iudicentur, verùm ſenſum, latent, nec cadunt in ſenſus comprehenſionem: Quapropter vt dicebat Scotus in lib. 2. ſent. diſt. 13. quæſt. 1. ſpecies ſpiritales ſunt quidem res, & naturæ quædam cohærentes in vniuerſo, verùm eò pacto vt ſint ſigna, & imagines rerum quarundam; atq; hoc vel maximè intereſt inter ipſas, & qualitates materiales, quæ ſic ſunt res, vt non ſint ſigna, & imagines aliarum rerum. Harum ſpecierum natura eſt difficilis cognitu, nam fugiunt noſtrorum ſenſuum comprehenſionem, & obſcura ſunt ipſarum accidentia, quæ ad rei naturam indagandam magno ſolent eſſe adiumento; verùm earum amatores minimè deterriti ſtatuunt illas, & ponunt in qualitatis categoria, tum quia ipſarum productio ad alterationem eſt referenda, & ad qualitatem motus eſt alteratio; tum etiam quoniam cùm ſint ſpecies, & imagines qualitatum ſenſibilium, & ab his producantur, par eſt in ea locari categoria, in qua continentur ea, quorum ſunt imagines & effecta: Cùm verò ſint quatuor genera qualitatum, ſolùm primum, quod habitus & diſpoſitiones continet, idoneum eſt, in quo hæ ſpecies collocentur; non enim ſecundum, cui naturalis potentia, & impotentia nomen eſt, videtur accommodatum, quoniam hæ ſpecies ſunt ijs aduentitiæ, in quibus ſuſcipiuntur; neque proximum, quod paſſionem & patibilem qualitatem nominant, quia neque ex aliqua paſſione naſcuntur, neque vllam in noſtris ſenſibus paſſionem efficiunt; nec denique poſtremum, nam ſpecies haſce non eſſe illorum, in quibus inſident, figuras notius eſt, quàm vt declaretur. Sunt igitur hæ ſpecies in primo qualitatum genere: Inter ipſas verò, & eas qualitates, quarum ſunt ſpecies, & reales, ac materiales nominantur, multæ ſunt diffe-

bilibus lumina quadam emanare, quæ in media intercapedine inter ſe mixta efficiunt luminum commixtionem, quam appellarunt συνάυγειαν: *Eiuſdem opinionis videtur Galenus in lib. 7. de placitis Hippocratis & Platonis. At verò Peripatetici hac dogmata non abeſſe à caſtigatione arbitrantes in alias ſententias conceſſerunt, & ex his omnes ferè latini ſpecies quaſdam induxerunt, quæ à rebus ſenſibilibus in ſenſus immittantur, nullum quidem corpus habentes, caterùm ea, quorum ſunt ſpecies, tanquam imagines ſenſibus oſtendentes, quorum opinio, quoniam in multorum animis inſedit, & cum magnis coniuncta eſt difficultatibus, digna eſt, in cuius conſideratione nonnihil ſtudij & laboris collocetur. Initium autem erit ab harum ſpecierum nominibus, quibus declaratis, quæ ſit earum natura indagabitur, hacq; patefacta, cauſſa ipſarum exquirentur, & his inuentis, quid de his ſpecibus iuxta Ariſtotelis decreta ſentiendum ſit, conſiderabitur. Hæ ſpecies à ſuis amatoribus vocantur ſenſibiles, intentionales, ſpirituales, immateriales, atque rerum ſenſibilium imagines. Appellantur ſenſibiles, tum quia à rebus ſenſibilibus fluunt, tum etiam quia in ſenſibus impreſſæ in cauſſa ſunt, vt res ſenſibiles ſentiantur. Intentionales, non quia ſint meræ animi notiones, veluti ſunt ea, quæ nominantur entia rationis; nam ſunt naturæ opera, ſed cùm intentio ſignificet id, quo quippiam tendit in id quod tanquam finem, & perfectionem afferens habet propoſitum, his ſentiendi facultates tendunt in obiecta, hacq; comprehenduntur, quorum gratia videntur comparatæ: Spirituales, quoniam liberæ ab omni contrarietate temporis momento longè, latèq; diffunduntur: Immateriales, vel quia non ſic ſuſcipiuntur, vt afficiant, tribuantq; nomen ijs, in quibus ſuſcipiuntur, non enim oculus albeſcit, aut nigreſcit, albi nigrive ſpeciem dum ſuſcipit; vel quia ex obiecto, à quo efficiuntur, magis pendent quàm ex materia, in qua ſuſcipiuntur; vel quoniam ſenſibus apportant rerum ſenſibilium formas abſque materia: Imagines denique, ac ſimulachra, quòd repre-*

ſentant

ſentiant ſenſibus ea, quorum ſunt ſpecies; non ſecus ac ſtatuæ, verèq; rerum imagines. Cæterùm illud intereſt inter imagines propriè dictas, & has ſpecies quoniam illæ non ſolùm ſunt principia, quibus ea, quæ repręſentant, cognoſcantur, ſed ipſæ etiam per ſe cognoſcuntur; at hæ ſunt quidem rationes & principia, quibus ea, quorum ſunt, à ſenſu iudicentur, verùm ſenſum, latent, nec cadunt in ſenſus comprehenſionem: Quapropter vt dicebat Scotus in lib. 2. ſent. diſt. 13. quæſt. 1. ſpecies ſpiritales ſunt quidem res, & naturæ quædam cohęrentes in vniuerſo, verùm eò pacto vt ſint ſigna, & imagines rerum quarundam; atq; hoc vel maximè intereſt inter ipſas, & qualitates materiales, quæ ſic ſunt res, vt non ſint ſigna, & imagines aliarum rerum. Harum ſpecierum natura eſt difficilis cognitu, nam fugiunt noſtrorum ſenſuum comprehenſionem, & obſcura ſunt ipſarum accidentia, quæ ad rei naturam indagandam magno ſolent eſſe adiumento; verùm earum amatores minimè deterriti ſtatuunt illas, & ponunt in qualitatis categoria, tum quia ipſarum productio ad alterationem eſt referenda, & ad qualitatem motus eſt alteratio; tum etiam quoniam cùm ſint ſpecies, & imagines qualitatum ſenſibilium, & ab his producantur, par eſt in ea locari categoria, in qua continentur ea, quorum ſunt imagines & effecta: Cùm verò ſint quatuor genera qualitatum, ſolùm primum, quod habitus & diſpoſitiones continet, idoneum eſt, in quo hæ ſpecies collocentur; non enim ſecundum, cui naturalis potentia, & impotentia nomen eſt, videtur accommodatum, quoniam hæ ſpecies ſunt ijs aduentitiæ, in quibus ſuſcipiuntur; neque proximum, quod paſſionem & patibilem qualitatem nominant, quia neque ex aliqua paſſione naſcuntur, neque vllam in noſtris ſenſibus paſſionem efficiunt; nec denique poſtremum, nam ſpecies haſce non eſſe illorum, in quibus inſident, figuras notius eſt, quàm vt declaretur. Sunt igitur hæ ſpecies in primo qualitatum genere: Inter ipſas verò, & eas qualitates, quarum ſunt ſpecies, & reales, ac materiales nominantur, multæ ſunt

diſſe-

differentiæ, nam illæ temporis momento fiunt, nullæ tenentur contrarietate, nomen non largiuntur, non ſentiuntur, tametſi ea, quorum ſunt ſpecies, ſenſibus renuncient, continenter fiunt, nec breui tempore poſſunt conſtare remotis ijs, ex quibus effluxerunt: è contrario hæ tempus requirunt, quod ponitur in ipſis producendis, pugnant inter ſe, nominant ea, à quibus ſuſcipiuntur, ſenſibus comprehenduntur, habent eſſentiam ſtabilem & minimè fluxam, nec delentur ijs ametis, à quibus fuerunt productæ. Cauſſæ harum differentiarum in his poſitæ ſunt: Et primùm cùm ſpecies ſpirituales ſint à materia vacuæ, ab omni quoque contrarietate ſunt liberæ; & quia carent contrario, fiunt ſine mutatione, quæ ſemper in contrarijs vertitur, nullaq; re obſiſtente; & quia nihil eſt, quod obſiſtat, nullum tempus in earum productione ponitur: at qualitates reales, quia materiæ ſunt coniunctæ, habent quippiam ſibi aduersum, mutatione oriuntur, tempusq; poſtulant, quo abſoluitur ipſam productio. Deinde quoniam species ſpirituales non afficiunt ea, à quibus ſuscipiuntur, his nequeunt tribuere nomen; contra ex qualitatibus realibus ſubiecta nominantur, quòd hæc afficiantur ab illis. Præterea cùm specierum ſpiritalium vis, & eſſentia non pendeat ex ſubiecto, fluxa eſt, & ipſæ non manent, niſi aſſiduè fiant, & quia continenter fiunt, deſiderant effectricis cauſſæ præſentiam, hacq; remota continuò euanescunt: at qualitates reales cùm in rebus ſubiectis penitus hæreant, naturam habent ſtabilem atq; conſtantem, neque vt conſeruentur, poſtulant vllius cauſſæ effectricis præſentiam. Demum quia ſpecies ſpirituales ſenſibus occurrunt veluti imagines & ſimulachra, quibus ipſi tenduntur, & ducuntur in notitiam rerum ſenſibilium, à ſenſibus non iudicantur: & verò qualitates reales, quoniam tanquam obiecta ſensibus proponuntur, ab his ita accipiuntur, vt cognoscantur. Ex his natura harum ſpecierum intelligitur quæ ita poteſt explicari: Species ſpiritalis eſt qualitas primi generis, quæ producta ab obiecto ſenſibili, atque à medio excepta, & in ſenſu impreſſa

impreſſa repreſentat ſensui id, cuius eſt ſpecies. Materia, ex qua ſpecies hæ compoſitæ ſunt, nulla eſt, quia ſunt ſimplices formæ; materia verò, in qua ſuſcipiuntur, varia eſt, quandoquidē primùm à medio excipiantur; tum ab inſtrumento, & poſtremò à ſenſu; quæ re tria hæc poſſunt videri harum ſpecierum materia. De forma non eſt laborandum, quia ipſæ ſunt forma, & præter ipſarum definitionem non eſt, vt alia forma exquiratur. Finis eſt multiplex, idq; intelligitur ex varijs earum officijs; cuius enim eſt aliquod munus, & officium, id huius gratia poſitum eſt lib. 2. de cælo 17. Harum primum officium eſt obiecta procul abiuncta cum ſenſibus coniungere ita, vt illa moueant, & excitent hos ad agendum, ſuumq; munus obeundum: Cùm enim in omni actione, ac perpeſſione ſit neceſſe id, quod agit, & id, quod patitur, ſeſe tangere lib. 1. de gen. & int. 43. atq; obiecta procul à ſenſibus poſita ſint, neceſſarium fuit ab obiectis aliquid demitti ad ſenſus, cùm nihil ab his effluat, quod ad illa poſſit peruenire. Alterum definire, arctareq; ſenſus ad notitiam certi, definitiq; ſenſibilis, nam cùm ſenſus non magis ad vnum, quàm ad alterum ſenſibile percipiendum ſint propenſi, neque ſimul omnia ſentire poſſint, neceſſe eſt illos definiri, & arctari ad illius ſenſibilis iudicium, in quo verſantur, ita vt quo tempore illud iudicant, alterum nequeant iudicare, id verò accidit eis, ſpecies dum ſuſcipiunt, quibus ad comprehenſionem eorum ſenſibilium, quorum ſunt ſpecies, definiuntur & applicantur. Tertium officium, eſt ſenſibus repreſentare atque obijcere ea, quorum ſunt imagines; cùm enim ſenſus diſtent ab obiectis, de his minimè iudicium darent, niſi eſſent ſpecies, quæ ipſis ea oſtenderent, ac denunciarent. Quartum eſt, vt ipſarum ſuſceptione ſenſus reddantur ſimiles ijs, quæ cadunt in ſenſus, quam ſimilitudinem neceſſariam eſſe ad res noſcendas ſic veteribus philoſophis fuit perſuaſum, vt Empedecles animam ex omnibus elementis compoſuerit, vt omnibus ſimilis omnia cognoſceret, & Plato eidem dederit inſitas rationes, ac ſpecies, ne ab ijs, quæ cognoſcuntur

ab ipſa, eſſet diſſimilis. Quintum & poſtremum eſt mouere vim imaginandi, memoriam conſtituere, & ſomnia parere, quippe quæ ſenſibus externis acceptæ virtutem imaginatricem excitant, in qua poſitæ vocantur phantaſmata, firmiterque impreſſæ conficiunt memoriam, & denique tempore ſomni ad primum ſenſitiuum delatæ nos illudunt varys ſomniorum generibus. Et hæc ſunt officia ſpecierum ſpiritalium, ex quibus eruuntur firmiora argumenta ad has ſpecies confirmandas excogitata. Porrò etſi harum ſpecierum amatores in his, quæ hactenus fuerunt explicata, conſenſerint, aut non magnopere diſſenſerint, attamen in cauſſa effectrice magna eſt inter eos controuerſia, nam cùm hæ ſpecies plurimis viſæ ſint dignitate ſuperare ea, quorum ſunt ſpecies, quando quidem illarum natura eſt ſpiritalis, & horum materialis, qua ratione poſſint ab his defluere vehementer dubitatur, ex qua dubitatione plerig, vt ſeſe expedirent, agentis ſuperioris operam & auxilium implorarunt, atque horum aly, vt Auicennas, & Egidius mentem à materia ſeparatam poſtularunt, quæ in obiecta effunderet vim, qua ſpecies generentur; alij, vt Sueßanus, & Buccaferreus menti cælum, quod ab ipſa mouetur, adiunxerunt; & alij, quorum meminit Albertus in lib. 2. de anima tract. 3. cap. 6. ſolo lumine fuerunt contenti, nam hi ſentientes vnicam cauſſam eſſe inducendam, quæ efficiat ſpecies omnes ſenſibiles, quemadmodum vnica eſt cauſſa, à qua efficiuntur ſpecies omnes intelligibiles, cui nomen eſt mens efficiens, atque opinantes luminis efficientia colorum ſpecies in aere gigni, idem reliquarum omnium ſpecierum cauſſam eſſe ſibi perſuaſerunt: Et verò alij ab agente exteriore opem petere vanum putantes in ipſis obiectis cauſſam hanc ſitam eſſe voluerunt, qui in tres ſectas ſunt diſtracti. Vnius author exiſtimatur Albertus in loco recitato, quem ſequitur Zabarella in quæſtione de ſenſu agente; hæc ſtatuit formam rerum ſenſibilium bifariam agere, vno modo quà eſt in materia, altero per ſe ſolam, atque priore modo agere

per

per qualitates materiæ, in qua hæret, verèq; ac materialiter id, quod patitur, commutare; posteriore nullis qualitatibus seruientibus, speciesq; spirituales producere, quippe quæ per se ipsam est essentia immaterialis, ipsaq; sibi satis est ad actionem hanc exercendam. Altera, quę authorem habet D. Thomam in quæst. de potentia Dei quæst. 5. art. 8. statuit sensibilia eatenus species spirituales ex se fundere, quatenus habent quandam naturæ communitatem cum agentibus superioribus, & substantijs à materia separatis. Tertia est quorundam, in quibus est Fracastorius in lib. de sympath. & antipath. quæ has species non facit tanti, vt dubitandum sit, quo pacto possint procreari à qualitatibus sensibilibus, nam cùm earum natura sit magnopere tenuis, fluxaq; & non stabilis, sunt minus nobiles, minusq; præclaræ qualitatibus sensum mouentibus; quapropter tantùm abest, vt eas producere sit opus cuiusdam naturæ præstantioris, vt argumentum sit formæ non valde efficacis, quæ quòd nequit se eo modo, quo existit in rerum natura propagare, producit tenuem superficialemq; sui partem, vel gradum, qui quòd ipsam repræsentet, eius imago & simulachrum nominatur. Sunt denique alij, vt Theophilus Zimara, quibus incertum, occultumq; est quo pacto hæ species fluant à qualitatibus sensibilibus: Atque hæc de his speciebus tradita sunt ab ipsarum amasijs, quæ nunquid consentiant cum Aristotelis doctrina, sintq; posita Aristotelicè, deinceps considerabimus.

Species spirituales esse ponendas ex quibus Aristotelis locis intellexerint; & quibus argumentis confirmauerint ipsarum amatores. Cap. XXVI.

INducendas esse species spirituales, quæ sensibus adiumento sint ad suum munus obeundum, putant harum specierum amatores Aristotelem multis in locis significasse. Et primùm

has produci ab obiectis intelligitur ex lib. 2. de anima 59. quo in loco ſenſibilia exteriora ſunt actus ſentiendi effectricia, nam cùm ſenſibilia, quæ viſu, auditu, & olfactu percipiuntur, plurimum diſtent à ſenſibus, quì fieri poteſt, vt ab his actus ſentiendi efficiatur, niſi ſpecies ab ipſis in ſenſus immittantur? Eaſdem excipi à medio declarant hæc in eodem lib. 63. perſcripta; color vim habet mouẽdi eius, quod eſt actu perſpicuum; & paulo poſt tex. 71. medium oportet omni colore carere, vt colores omnes poſſit ſuſcipere; & mox tex. 73. color cadit in aſpectum, quia mouet aerem illuminatum, & ab hoc mouetur viſus inſtrumentum; & paucis interiectis tex. 74. reprehenditur Democritus, quòd cenſuerit, ſi inanis eſſe, locus inter nos, & cælum interiectus, exquiſitè cerni poſſe etiam formicam, quæ eſſet in cælo, nam id fieri non poteſt, quoniam ſit actus ſentiendi patiente eo, cui data eſt facultas ſentiendi: atqui cùm nequeat fieri, vt à colore, qui cernitur, patiatur, relinquitur, vt ab eo, quod eſt interiectum; quare oportet aliquod in medio eſſe locatum; itaque medium ſi ſit inane, corporeq; vacet, nedum exquiſitè, ſed nullo modo quicquam videbitur. Porrò quoniam medium non ſuſcipit colores materiales, quippe quod non colòratur, reſtat, vt ſpecies colorum ſuſcipiat, hiſq; imbutum oculos moueat. Eaſdem præterea in ſenſu imprimi pleraq; eiuſdem libri teſtantur, nam in tex. 37. ſenſus, & actus ſentiendi eſt quædam alteratio; in tex. 51. ſenſus in eo, quòd eſt moueri aliquid & pati accidit, videtur enim quædam alteratio eſſe; in tex. 62. quod habet vim ſentiendi, id tale eſt poteſtate, quale iam actu eſt ſenſibile, patiturq; non ſimile exiſtens, & vbi fuerit perpeſſum, ſimile eſt, & tale, quale id. Verùm ſi alteratio eſt motus ad qualitatem, & ſi ſimilia, & diſſimilia in ſolis qualitatibus reperiuntur lib. categ. cap. de qualitate, planè oportet in ſenſu imprimi aliquam qualitatem, qua altereiur, ſimilisq; reddatur rei, quæ cadit in ſenſum; hanc verò qualitatem non eſſe materialem, ſed ſpiritalem admonet nos cùm illud eiuſdem lib. 121. ſenſus vim habet

acci-

accipiendi ſpecies rerum ſenſibilium citra materiam; tum illud lib.3.eiuſdem operis 38. ſenſibilia non ſunt in anima, & in ſenſu, ſed forma ipſorum; non enim lapis eſt in anima, ſed ſpecies & forma lapidis. Nec verò ſolum in ſenſibus exterioribus Ariſtoteles has ſpecies agnouit, ſed & in imaginandi facultate, nam huius functionem in lib.2. operis citati 161. finiuit motum factum à ſenſu ſecundum actum, hoc eſt motionem excitatam à ſpeciebus, quæ ſenſibus exterioribus acceptæ, ac ad vim imaginatricem delatæ hanc mouent, atque figurant; nam vt ſcriptum eſt in lib.de mem.& reminiſcentia cap.2.intelligere oportet per ſenſum fieri in anima paſſionem quandam veluti picturam, cuius habitus dicitur memoria; ſi quidem motus factus imprimit veluti figuram quandam rei ſenſibilis, ſicut ſigillantes anulis: Et in lib.de ſomnijs cap.2. multis declaratur ab obiectis imprimi in ſenſu ſpecies, quæ abeuntibus ſenſibilibus permanent, ſuntq; cauſſa ſomniandi. Sed præter hæc ſunt quoque argumenta, quibus poteſt conuinci Ariſtotelem has ſpecies approbaſſe, ſed quoniam horum magna pars habet fundamenta in ſpecierum officijs poſita, de quibus ſupra actum eſt à nobis, hoc vno erimus contenti: Niſi ſpecies ſpiritales fuerint, quibus in ſenſum agant ſenſibilia, ſequitur, vt ſenſibilium actio, & ſenſuum perpeſſio ſint materiales, & materialiter exerceantur; atqui hoc eſt abſurdum; ſpecies igitur ſpiritales ſunt ponendæ, quibus ſenſibilia agant, & ſenſus patiantur: In connexo nulla eſt dubitatio; aſſumptum vt intelligatur, exponendum eſt, quo pacto fiat actio, & perpeſſio materialis, & id quidem in qualitatibus tactilibus, quæ omnium maximè ſunt materiales: Calidũ agere materialiter idẽ eſt, quod calefacere, & calefacere nihil eſt aliud, quàm in eo, quod patitur, efficere calorẽ, huncq; educere de poteſtate in actũ; quemadmodũ quoq; pati à re calida idem eſt, quod calefieri, & calefieri nihil eſt aliud, quàm accipere calorem, qui ex illius, quod patitur, poteſtate educitur. Hoc igitur ſi ita eſt, profectò ſi ignis, aut aliud

calidum

calidum ageret in tactus ſenſum materialiter, alium numero calorem in inſtrumento tactus produceret; non enim credendum eſt ignem impertire ſuummet calorẽ eundem numero, q nefas eſt accidens materiale ex ſubiecto in ſubiectum immigrare; verùm cùm ſenſus iudicet, ac ſentiat id, quod excipit, ſequitur, vt actus nunquam apprehendat, ac ſentiat & illud calidum, à quo tanquam ab obiecto patitur, & cum caloris gradum, qui eſt in obiecto; quòd ignis, corpusq; calidum poſtulat temporis aliquid, quo ſimilem, eiuſdemq; gradus calorem poſſit producere, quippe quod præſtat id alteratione, in qua temporis aliquid ſiue multum, ſiue paucum ſemper ponitur; & ſenſus iudicium temporis momento abſoluitur. Hanc argumentandi rationem amplexus eſt Zabarella in quæſt. de ſenſu agente, vt perſuaderet omnibus in ſenſibus species ſpiritales eſſe neceſſarias, nam quod dicitur de tactu, id de cæteris ſenſibus eſt quoq; dicendum, cùm omnium ſensuum ſit par, ſimilisq; ratio.

Species ſpiritales non rectè poſitæ ſunt in categoria qualitatis, neque poſſunt ab obiectis produci, aut ab vllo ſenſu, qui ſit cauſſa earum efficiens. Cap XXVII.

SPecies ſpiritales etſi plurimorum Peripateticorum animos oppleuerint, mihi tamen admodum incertæ sunt, & magnopere suspectæ, nam quæ de illis tradita sunt, nulla niti firma ratione mihi videntur, nec cum Ariſtotelis doctrina cohærere. Equidem contra has viri graues disputarunt, verùm ita pugnarent, vt eas non penitus profligaſſe videantur; quæ re qui ab eis ſtant acie reſtituta perterritum animum reuocarunt. Ego quæ ab his me alienarunt, in medium afferam, & hæc nunquid ſint huiusmodi, vt has species expugnent, docti conſiderabunt. Primùm igitur in medium veniat speciei ſpiritalis diffinitio, nam hac conuulsa corruat tota harum ſpecierum fabrica, eſt neceſſe.

neceſſe. In hac species spiritalis tenet primum qualitatis genus, cui nomen eſt habitus & diſpoſitio, verùm cùm omnes huius generis qualitates naturam habeant conſtantem et permanentem, quamquam habitus ſit diſpoſitione conſtantior, ac permanentior, quì fieri poteſt, vt hoc genus excipiat qualitates ſpiritales, quarum natura eſt fluxa, & in eo, quod eſt continenter fieri, poſita? Et ſi habitus, ac diſpoſitio non conſtant ſine tertij generis qualitatibus, quarum ſunt modi, nam huius generis qualitates quà firmè, ſtabiliterq; hærent, vocantur habitus, & quà facilè poſſunt euelli, diſpoſitiones, atque ſpecies ſpiritales ex hoc genere eiiciantur, quippe quæ & ex nulla paſſione naſcuntur, & nullam paſſionem in ſenſibus efficiunt, quo pacto in hoc genere continebuntur? Sed & tantum abeſt, vt ſint huius generis, vt in qualitatis categoria nullum habeant locum; Non enim fieri poteſt, vt ea ſint poſita in hac categoria, quæ non excipiunt qualitatis deſcriptionem, & quod qualitatis eſt maximè proprium; id autem cadit in ſpecies ſpiritales, ex quibus nulla eſt res, quæ qualis nominetur, & ſimilis, ac diſſimilis dicatur. Reſponſio, quæ affertur à quibuſdam atentibus species tribuere nomen ſpiritaliter, & ex his effluentem ſimilitudinem, ac diſſimilitudinem eſſe ſpiritalem, optantis mihi videtur, aut veriùs ludentis, nam audio verba, ſed hæc quid ſonent, ignoro, idq; mihi eſſet moleſtum, ſi illi ipſi intelligerent, qui hæc cõminiſcuntur. Sed longiùs progrediamur. Hæ species ponuntur productæ ab obiecto, verùm cùm multę, variaq; ſint rationes harum producendarum, ſingulę ſunt expendendæ. Principio auxilium mentis à materia ſeparatæ fruſtra imploratur, quoniam de ſententia grauiſſimorum Peripateticorum hæc non poteſt quicquam noui, & caduci in corporibus caducis proximè facere. Hinc Ariſtoteles in lib. 8. phyſ. 53. cùm intelligeret primum motorem immobilem, qui nunquã ſecus ſe habet, non poſſe proximè mouere illa, quæ in ortu & interitu verſantur, ſtatuit præter ipſum eſſe aliud mouens inducendum, quod ab eo motum, & aliter, atque aliter ſe habens cauſ-

ſa ſit

ſa ſit varietatis, quæ in interitu & generatione cernitur. Amplius ſi obiecta ſenſibilia ex mente ſeparata vim aſſequerentur producendi species spiritales, quas ſua natura non poſſunt parere, eadem planè præſidijs eiuſdem mentis munita quodcunque aliud, quod ſuperet vires ipſorum naturales, poterunt efficere, qua e re quoduis à quouis poterit fieri, quod pugnat cum ijs, quæ ſenſui apparent, & naturali ratione monſtrantur. Mitto alia, quibus hæc opinio poteſt conuelli, ne longus videar in eo, quod prolixam non deſiderat confutationem. Operam cæli fruſtra poſtulari argumento eſt, quòd cælum quicquid efficit in his rebus caducis, id lumine ac motu miniſtrantibus efficit; & cæleſtis motus hæc noſtratia non attingit, atque in tenebris nullus eſt luminis vſus, in quibus, ſi colores excipiantur, nullum eſt ſenſibile, quod non ſit aptè natum ſentiri. Ex his patet vanum eſſe luminis auxilium: Quòd ſi magis conſentaneum eſt ex multis ſenſibus de vno iudicare, quàm ex vno de multis, ſanè quoniam auditus, olfactus, guſtus, & tactus abſque luminis adiumento ſua obiecta comprehendunt, cuius rei nox fidem facit, qua non ſecus, ac die hi ſenſus ſua ſentiunt ſenſibilia, aſpectus quoque haudquaquam lumine vtitur tanquam eo, cuius efficientia ſpecies viſiles fluant à caloribus. Albertũ non eſſe audiendum teſtatur id, quod ſenſibilia cùm quà ſenſibilia ſenſum moueant, & ſint materiæ coniuncta, eo pacto agere in ſenſum, vt non agant ſine materia. Et ſi vnumquodq; eo agit modo, quo exiſtit, planè forma, quæ eſt in materia, ſic aget, vt materiam non excludat: Et ſi forma in eo, quòd eſt in materia, eſt ſingularis, quis non ſentiat, ſi quid ſingulare efficitur à forma, id fieri ab ipſa, quà exiſtit in materia, & quod ſequitur non ſine materia verſari poſſe in ſpeciebus ſpiritalibus procreandis, quæ ſunt ſingulares, & non vniuerſales? Taceo interim actiones, quæ fluunt à formis, tribui compoſitis; & cùm moueat riſum dicere animam iraſci, (nam ſimile eſt, ac ſi quis animam texere, aut ædificare dicat lib. 1. de anima 64.) non futurum quoque ſine riſu dicere

for-

formam agere, cùm hoc, quod de anima dicitur, ad omnes formas possit accommodari, & D. Thomæ opinionem considero, quæ si non esset improbabilis, haud ratione dissimili statui posset quoduis in eo, quòd est particeps diuinitatis, & communionis mentium a materia separatarum, posse quodcunque efficere, quod excedat vires sibi à natura concessas, cùm quicquid in rebus caducis reperitur, id vniuersum sit in facultate positum mentium à materia segregatarum. Sequitur opinio quam Fracastorius approbauit, quam non esse magni faciendam illud ostendit, quòd qualitates tactiles, quæ viribus ad agendum magnopere valent, nullas ex se funderent species spiritales. Quòd si huius opinionis amatores dixerint has qualitates habere vim producendi qualitates tam materiales, quàm spiritales, illis causſa erit afferenda, cur hæ qualitates, quæ aguni per modum naturæ, & propterea vnico modo, non perpetuo similes, easdemq; qualitates producant, sed alias materiales, & alias spiritales. Et si voluerint ab his fieri solas qualitates materiales, necesse quoque habebunt velle ad tangendum opus non esse qualitatibus spiritalibus, neque omnium sensuum vnam, eandemq; esse rationem, quòd displicet Aristoteli. qui quod est in vno sensu, id in reliquos valere putauit. Restant illi qui quo pacto species spiritales gignantur, ignotum obscurumq; habent, verùm hi suis in tenebris iaceant, quòd nullum potest accenat lumen ad ea, quæ non sunt, illustranda. Quod nonnulli apud Albertum in lib. 2. de anima tract. 3. cap. 6. animam sensualem duplici sensu donauerint, altero agente, atque ex obiectis sensilem speciem producente altero patiente, eamq; suscipiente falsam omnino habent opinionem, nam & sensus agentis nulla ratio fuit habita ab Aristotele qui fuit accuratus mentis effectricis contemplator; & cùm sensus agens ex obiectis magnopere distantibus procreet species, in hæc aliquid immittet; hunc autem immissionis modum, & quid immittitur si exponere hi fuerint aggressi, in tot delabentur difficultates, vt ipsis facile pœnitendum sit commen-

titiæ huius de ſenſu a gente opinionis. Sed valeant hi, & nos nunquid ſpecies in medio ſuſcipiantur, conſideremus.

Nullæ ſpecies ſpiritales in medio ſuſcipiuntur, nullæque in ſenſu imprimuntur. Cap. XXVIII.

Species ſpiritales ita inducuntur, vt non antea imprimantur in ſenſu, quàm à medio fuerint exceptæ, verùm id non caret dubitatione. Et primùm ſciſcitor, nunquid partibiliter, an impartibiliter in medio ſuſcipiantur: Non eſt, vt impartibiliter, tum quia id, quod eſt impartibile, nequit eſſe imago rei partibilis; tum etiam quoniam forma omnis, quæ non per ſe conſtat, ſic excipitur à natura ſubiecta, quemadmodum hæc eſt aptè nata illam excipere, huiusq; natura fert; qua re cùm natura medij ſit diuidua, hoc non niſi diuidue excipiet ſpeciem; atque id conſentaneum eſt, quoniam cùm hæ formæ accedant medio non inductæ, ſed eductæ, par eſt illas educi ex medio veluti formæ eruuntur ex materia, quæ cùm ita educantur, vt ex quauis materiæ parte aliquid formæ eruatur, & ex tota materia tota, ſic hærent in materia, vt pars formæ ſit in parte materiæ, & tota forma in materia tota. Iam verò ſi partibiliter excipiantur, ſintq; partibiles, non ſe totis mouebunt inſtrumentum, ſed ea parte ſola, qua tangunt; quapropter cùm id ſenſu iudicetur, quod ſenſum mouet, obiectum ſi magnitudine excedat inſtrumentum, nunquam totum & integrum ſenſu comprehendetur. Atque in hanc ſententiam Plotinus in c. 3. lib. 5 enn. 4. probauit non fieri viſionem, quia medium conditione corporea patiatur, nam ſi hoc modo aer patitur, in certa aeris parte certa viſibilis rei pars figurabitur; qua de re viſus non totam rei viſibilis figurã, ſed partem, & tantã, quanta recipitur à pupilla, comprehendet: neque præterea vniuerſam obiecti quantitatẽ percipiet, neq; cælũ pupilla maius iudicabit: Reſpondent ſpecierũ aſſerto-

res

res ſpeciē eſſe homogeneā, & ſibi vndiq; ſimilem, & propterea quamlibet illius partem æquè, ac totam totum obiectum repreſentare; verùm non ſe expediunt ab omni difficultate, nam ſi obiectum nobis ante oculos poſitum ex aliqua parte contegatur, id, quod ante videbatur totum, ex parte ſolùm videlitur parte cooperta aſpectum latente; atqui totum cerni oporteret, ſi quæ ab ipſo producitur ſpecies eſt tota homogenea. Quòd inquiunt nonnulli ſpeciem eatenus obiecti partes repreſentare, quatenus hæ ad illam producendam concurrunt. & propterea ſi eueniat aliquas partes, quæ ſuam operam in ſpecie producenda antè impendebant, ne quidquam faciant prohiberi, has non poſſe à ſpecie repreſentari; id quoque coniunctum eſt cum difficultate quia cùm natura rei homogeneæ in hoc conſiſtat, vt pars & totum ſint eiuſdem rationis, atque inter partes nulla ſit rationis diuerſitas, conſentaneum eſt, ſi ſpecies in repreſentando fuerit homogenea, quod à tota repreſentatur, id a ſingulis partibus repreſentari, nec ab vna quippiam oſtendi, quod non ab altera oſtendatur: Id quinetiam ſi verè diceretur, quòd quauis pars ſpeciei totum obiectum repreſentet, non ad naturam ſpeciei homogeneam eſſet referendum, ſed ad id quia ſingulæ obiecti partes vnà iunguntur ad eam producendam. Propterea in quæſtionem venit, an ſpecies, quæ per medium funditur ſit vnica, an in plures diuiſa. Si in multas diſtribuatur, omn ſnè fluunt ab obiecto? an ſolùm prima, & quæ ſequuntur, ab ijs quæ antegrediuntur? Planè non eſt aſſeuerandum, quæ procul poſitæ ſunt, eas ab obiecto eſſe proximè factas, quoniam vbi reperiuntur, neque ibi ab obiecto genitæ ſunt, quod proximum efficiens ſimul eſt cum eo, quod efficitur, neque fieri poteſt, vt quippiam proximè in id agat, à quo plurimum diſtet: nec eo ſunt delatæ, quia eſt abſurdum ſpecies & accidentia auulſa à ſubiecto longè, latèque vagari. Nec etiam eſt ponendum poſteriores fieri à prioribus, quoniam cum ſpecies ſit imago illius, a quo efficitur, atque hoc repreſentet, ſpecies priores & minime obiecta ſpe-

ciebus posterioribus comprehenderentur. At verò si vnica fuerit species, cùm hæc à suis amatoribus describatur figura pyramidis, cuius basis est in obiecto, & cuspis in instrumento, constituitur, sentiens, si paulò longius digrediatur, vt nequeat obiectam sentire: huius ea est ratio quia cùm ante sentiret obiectum quod speciei cuspis erat in instrumento, si longius discedet, cuspis non attinget instrumentum, & quod sequitur, obiectum minimè sentiet. Nec dicendum est speciei pyramidem plus minusue produci, pro vt id, quod sentit, plus minusue abest ab obiecto, quoniam & id est figmento simile, & longè aut propè speciei pyramidem concludi in sentiente esset positum. Ex his patet nullas species spirituales in medio suscipi, quod quoque viris clarissimis fuit probatum, nam Plotinus in enn. 4. lib. 5. cap. 1. asseuerat non esse necessarium pati medium, quando quidem neque calamus medius inter piscem illum stupefacientem nomine Narcem, atque manum patitur, & manus ipsa patitur, etsi hic quoque nisi calamus in medio situs, & seta siue capillus esset, minus minimè pateretur; Et paulò post cap. 3 multis conatur ostendere non propterea cerni sensibilium formas, quia aer illorum species per continuatam traductionem patiendo susceperit. Plotinum sequutus est Porphyrius in lib. de sensu Gregorio Nysseno, siue Nemesio in lib. 4 philosophia cap 2 attestante, nec non Priscianus Lydus, qui in lib Theophrasti de sensu cap. 28. negat quicquam a coloribus effluere, quod efficiat visionem, cap. 30 accusat eos, qui figurari, formariq; perspicuũ putant & cap 32. statuit quod videndum est, id non per passionem in perspicuum agere. Nec sensit aliter Alexander qui in lib. 1 quæst. nat. cap. 2 scribit medium nullum colorem patiendo recipere, sed à coloribus moueri per præsentiam, & habitudinem quandam ad ea corpora, quæ proprium habent colorem, subministrando animalibus, vt per ipsum colores comprehendantur; idq; quo fiat pacto declarat in lib. 2. de anima cap. 38. Eiusdem opinionis est Themistius, qui in lib. 2. de anima cap. 22.

inquit

inquit perſpicuum non alterari à coloribus ; & cap. 35. affirmat colores quamquã per perſpicuũ videantur, in eo tamen non miſceri, neque confundi, neque ab his defluuium aliquod decidere, quo perſpicuum colorari dicatur. Cum his conſentit Philoponus, qui in lib 2. de anima 69. ſtatuit colores ſic agere in ſenſum viſus, vt in perſpicuum nullam affectionem immittant : illoſq; caſtigat, qui aerem implent rerum viſibilium imaginibus ; quemadmodum quoque tex. 102. accuſat illos, qui ceſent colores cerni, quòd effluxiones in viſum immittant. Sed hos præclariſſimos Peripateticos nullas species ſpirituales agnouiſſe, quæ in medio ſuſcipiantur, nemo inficias ibit, qui non ignorauerit de his verba nulla eſſe ab ipſis facta, & quæ ab eis tradita ſunt literis, legitimè voluerit interpretari. Sed expendimus, nunquid species in ſenſu imprimantur. Galenus in lib. 7. de placitis Hippocratis, & Platonis cap. 15 damnat opinionem, quæ ſtatuit fieri viſionem ſpeciebus rerum viſibilium in oculum immiſſis, quoniam tota ingentis corporis magnitudo non poſſet videri, quippe quæ multum excedat pupillæ magnitudinem, & fieri nequeat, quod eſt exiguæ magnitudinis, vt id ſit capax illius, cuius eſt ingens magnitudo. Huic Galeni argumento eunt obuiam ſpecierum defenſores, quoniam in oculis ſuſcipitur non realis viſibilium magnitudo, ſed ſpiritalis magnitudinis species, quæ licèt repræſentet magnitudinem, propriè tamen caret magnitudine, cùm ſit impartibilis, atque impartibiliter excipiatur. Cæterùm non rectè occurrunt, & cur non rectè occurrant, teſtantur ea, quibus confectum eſt species non ſuſcipi in medio impartibiliter. Sed præter hæc ſunt alia, quæ perſuadent has species non excipi à ſenſu. Primum quia ab vno, & eodem fieri non poteſt, vt vno, eodemq; indiuiduo tempore contraria ſuſcipiantur ; id autem contingeret, ſi species in ſenſu imprimerentur : Etenim cùm ſenſus contraria ſenſibilia iudicet diuerſa, neque de horum diuerſitate poſſit iudicium ferre, niſi vno eodemq; indiuiduo tempore ipſa apprehendat lib. 2. de anima 146. conſi-

citur,

citur, ſi vllæ species à sensu exciperentur, quibus vtatur ad sentiendum, vt in eo ſimul ſint species contrariorum. Respondent horum amasij species non eſſe inter ſe contrarias, quamuis ea, à quibus effluunt, pugnent inter ſe: hi repugnant Ariſtoteli, qui in lib. 2. de anima 148 ponit albi, nigriq; formas, & omnino contrariorum species, ac motiones eſſe contrarias, atque ideo fieri non poſſe, vt idem quatenus indiuiduum & indiuiduo tempore illas excipiat. Hoc enim in loco dubitabat, cùm ſenſu iudicemus album à nigro afferre, atque hæc ab eadem animi parte, & eodem indiuiduo tempore neceſſe ſit apprehendi, id quì poteſt fieri, cum absurdum ſit idem tempore eodem contrarijs motibus cieri, formasq; contrarias pati? Atqui ſi has ſenſibilium contrariorum motiones, & species putaſſet non eſſe contrarias, aut nulla fuiſſet ratio dubitandi, aut dubitationem explicaſſet respondendo ſenſibilium contrariorum formas, & motiones non eſſe contrarias, neque neceſſe habuiſſet sensum communem inducere veluti punctum, & circuli centrum, quod partim eſt vnum, ac indiuiduum, & partim diuiduum, & non vnum. Nec secus Alexander ſentit in lib. 1. de anima ca. de sensu communi, & cum Alexandro Themiſtius in huius loci paraphraſi, & alij præclari doctrinæ Ariſtotelicæ explanatores. Deinde ſi species vlla, quæ ſit veluti habitus, in sensu ab obiecto imprimeretur, sequitur, vt præter actum primum, actumq; secundum alius actus medius ſit inducendus, & præter poteſtatem primã, poteſtatemq; secundam alia poteſtas media ſit inducenda; id vero non consentit cum Ariſtotele, qui in lib 8. phyſ. 32. & in lib. 2. de anima c 5. duos actus, duasq; poteſtates solum agnoscit. Consequutio inde intelligitur, quia primus actus eſt forma tributa à generante, & secundus functio muneris, quod in locis recitatis Ariſtoteles teſtatur: verùm cùm species impreſſa ſit actus, taq; ſit interiecta inter formam à generante productam, quæ eſt anima sensualis, & actum secundum muneriq; functionem, præter actus primum & secundum erit alius actus, &

ita

is actus, qui ſecundus appellatur, non ſecundus, ſed tertiùs nominabitur. Eadem ratio eſt poteſtatum, nam prima poteſtas eſt illa, ex qua fit mutatio ad actum primum ab eo, qui generat, ſecunda, ex qua fit ad actionem & muneris functionem traductio; & verò ſpecie in ſenſu impreſſa inter has poteſtates altera erit interiecta ad ſpeciem excipiendam, atque hæc erit poteſtas ſecunda, & quæ ſequitur, tertia. Poſtremò in lib. 2 de anima 59. quod habet ſenſum ab eo, quod generat, perinde illum habet atq; ſcientiam, & ſentire actu ſimile eſt contemplari, quod quoque traditum eſt in lib. de ſenſu, & ſenſibili cap. 4. atqui vt homo, qui ſcientia præditus eſt, exeat in actum contemplandi, nulla requiritur nouæ ſpeciei impreſſio, & in hoc nulla eſt diſſenſio; ergo & id, quod ſenſum habet à generante, poterit per ſe ipſum abſque vlla ſpecierum impreſſione in actum ſentiendi exire, ſuumq; munus peragere.

Species ſpiritales nullam habent vim repræſentandi ea, quorum ſunt ſpecies. Cap. XXIX.

RElinquitur poſtrema definitionis pars, in qua tribuitur ſpeciei vis repræſentandi illius, cuius eſt ſpecies: Hanc ita oppugnamus. Species aut eſt eiuſdem naturæ cum obiecto, aut diuerſæ: Si eiuſdem, non intelligo, cur obiectum, cuius eadem eſt natura, non poſſit ſe ipſum repræſentare ſenſui; Et ſi huic nulla data eſt vis repræſentandi, qui ſpecies poterit hanc tenere, quæ in natura non eſt ab obiecto diſſentiens? Et ſi ſpecies ſunt eiuſdem naturæ cum obiectis, ecquid eſt, cur ab earum amatoribus non ea omnia tribuuntur ſpeciebus, quæ obiectorum naturã comitantur, veluti ex elementorum commiſtione naſci, ſubiectum afficere, ac nominare, & alia id genus? Sin diuerſæ oporteret illam ante cognoſci, quàm obiectum ſentiatur, quod credibile non eſt per id, quod latet, illius, quod eſt ignotum, notitiam

tiam comparari. Quòd duplex imaginum genus ſit à ſpeciè-rum defenſoribus inuentum, alterum formale, cuius imagines ſunt veluti formæ virtutis cognoſcentis, alterum inſtrumentale, cuius imagines ſunt tanquam inſtrumenta, quibus vtimur ad aliud cognoſcendum; atque affirmetur generis poſterioris imagines non poſſe abſque ſui notitia in officio verſari, non enim per Cæſaris ſtatuam Cæſaris notitia poteſt acquiri, niſi ipſa cognoſcatur; & prioris imagines abſque vlla ſui comprehenſione parere notitiam eorum, quorum ſunt imagines, quo genere continentur hæ, de quibus loquimur, ſpecies ſpiritales; id non ſatis philoſophicè cogitatum eſt, quoniam philoſophum dedecet aliquod dubium, & incertum ſine ratione ponere lib. 8. phyſ. 15. eaq; à philoſopho ſunt ponenda, quæ aut in multis, aut in omnibus ineſſe animaduertuntur lib 1. de cælo 102. & nihil poteſt afferri excepto eo, de quo diſputatur, ex quo intelligatur nos poſſe duci ad quippiam cognoſcendum per id, quod ignoratur: omnes enim imagines præter has ſpecies non antè ad alterius cognitionem nos excitant, quàm ipſæ fuerint comprehenſæ. Id cum Scaliger concederet, & ſpecies admiraret, in exercit. 208. part. 14. voluit ſpeciem ſentiri & cognosci non intelligens futurum eſſe, vt ſensus perpetuo decipiatur, qui cùm ſpeciem percipiat, iudicet ſe cognoſcere obiectum. Et ſi ſpecies, quæ accipitur oculis, & in ſenſu imprimitur, puſilla eſt, & in oculis ſita, quo pacto quod cernitur, magna moles iudicatur, proculq; diſtare videtur? At inquit, ſi ſenſio eſt receptio, nec recipitur res, ſed ſpecies; ergo non res, ſed ſpecies ſentitur. Reſponſio non eſt difficilis, quoniam ſenſu ſentiendo equidem recipit, verùm non rem, neque ſpeciem recipit, ſed actum ſentiendi, qui ſpecies poteſt appellari, atque ita recipit, vt eius receptio non ſit vera ſed quid ſimile. nam vera receptio eſt vera paſſio, & ſensus ſentiendo non vere patitur, aut alteratur, ſed impropriè, & ex ſimilitudine lib 2 de anima 58. Præterea hoc etiam modo contra idem poſſumus diſputare: Si ſpecies habe-

ret

vel vim repræsentandi illius, cuius est species, aut per modum causæ hoc fungeretur munere, aut per modum formæ, hoc est, vel esset causa alicuius, cui data est vis obiecti repræsentandi, quod existimant illi, qui ponunt à specie in sensu impressa produci alteram speciem, quam appellant expressam, repræsentatricem illius, quod in sensum cadit, vel esset id, quod propriè obijceret sensui, ac denunciaret illud, quod sentitur. Prius non est ponendum, quoniam cùm species expressa procreetur per sentiendi actum, species impressa huius actus esset causa efficiens, quod non caret absurditate; non enim fieri potest, quod est inanimum & sine vita, vt id, aut per se solum, aut alteri copulatum ex se fundat actionem vitalem. Accedit, quòd species expressa temere inducitur, si quod illi fuit concessum, id à specie impressa potest præstari; hanc verò posse repræsentare, ac denunciare sensui id, cuius est species, plerique sentiunt, nec minus aptè declarant, ac illi, qui species expressas sunt amplexati. Sin verò posterius fuerit positum, necesse est, vt inter speciem, & obiectum sit aliqua communitas, ex qua species consequatur vim obiecti repræsentatricem, hæc autem communitas à specierum amasijs neglecta si explicetur, non deerit, quod contra ipsam asseratur. Ex his satis constat nullam esse partem dissinitionis speciei spiritalis, cui non accedat aliqua difficultas; quod si ita est, præstat species spiritales contemnere, quàm in delitijs habere; Verùm & id magis erit dilucidum, si necessitates, propter quas hæ species fuerunt inuentæ, venerint in considerationem.

Officia considerantur, in quibus species spiritales fuerunt occupatæ. Cap. XXX.

PRimum officium, quo species spiritales fungi inducuntur, est obiecta procul abiuncta cum sensibus coniungere, quod

quia ſatis commodè poteſt à medio præſtari, non eſt, vt propter ipſum species ſpirituales inuehantur. Huius quicquid eſt officij, id medium poſſe ſuſtinere declarat perſpicuum, quod eſt medium, quo viſibilia mouent aſpectum; huius enim natura in hoc poſita eſt, vt per ipſum, cùm fuerit actu, quod aſſequitur, ex præſentia corporis lucidi, colores tranſpiciantur, transq; appareant, ex quo græcè dicitur διαφανὲς; *quæ re ſi colores vt coniunganiur cum oculis, & aſpectu, ſatis eſt medium, nulla eſt ratio, quæ cogat nos inducere ſpecies ſpirituales ad hoc munus exercendum. Quæ verò eſt ratio perſpicui ad colores, eadem eſt medij proprij ad aliorum ſenſuum obiecta, nam aer & aqua quemadmodum quà perſpicua ſeruiunt coloribus, ſic quà affecta qualitate alia ſuam operam locant ſonis, & odoribus, quam qualitatem Ariſtoteles tenuit ſine nomine, Theophraſtus autem appellauit eam quidem, qua ſoni ad auditum prouehuntur,* δι' χῶν, *& eam, quæ odores ad olfactum,* διοσμον, *hoc eſt vehicularem, ſiue delatricem ſonorum & odorum; quæ enim eſt harum qualitatum natura, aer & aqua ſic ſunt comparata, vt per ipſa colores ad oculos, ſoni ad aures, & odores ad nares perferantur. Id autem non eſt ita accipiendum, quaſi hæ qualitates ſenſibiles per medium ferantur, quoniam abſurdum eſt accidentia, quæ ſunt à ſubiecto inſeparabilia, per ſe loco moueri, aut à medio, in quo hærent, transferantur, nam eo nullum ſubeunte motum ipſa nihilominus ad ſenſus apportantur, ſed quoniam hæc eſt natura medij, vt ſenſiles qualitates denunciet ſenſibus, & denunciando ſiue repræſentando illas cum his cõiungat: Id autem quo fiat pacto, non eſt, vt quæratur quemadmodum quoque ignis, vt calefaciat, vanum eſt inquirere, cùm id ſitum ſit in natura ignis, & præter hanc nihil ſit, in quod conijciatur. Quapropter ſi huius modi eſt natura medij, ea ne ſit fruſtra, ſupernacaneum eſt ſpecies ſpirituales introducere, quæ illud munus, quod medio fuit à natura conceſſum, exequantur. Secundum officium eſt definire, & arctare ſenſum ad certi præcipuiq;*

ſenſi-

ſenſibilis notitiam : Atqui ad hoc munus peragendum ſatis eſt obiecti præſentia abſque vlla ſpeciei impreſſione, quod inde intelligitur, quia ſenſitiuum vt primùm generatum eſt, habet ſentire lib. 2. de anima 59. continuòq; ſentit, ſi nihil prohibeat, & omnia, quæ requiruntur ad ſentiendum præſtò fuerint, non ſecus, ac ignis vbi primùm generatus eſt, comburit, ſi nihil prohibeat, præſtoq; fuerit id, quod, vt comburatur, eſt aptè accommodatum ; actus enim ſecundus nunquam non ſequitur actum primum : Itaque quemadmodum quòd ignis hoc, & non illud comburat, cauſſa eſt, quia hoc adeſt, & illud abeſt, eodem modo vt hoc, & non illud ſentiatur, in cauſſa eſt, quia hoc præſens eſt, & illud abſens. Præterea quicunque affirmant ſpecies ſpiritales arctare, ac definire ſenſum, dicunt has in ſenſu impreſſas eſſe principium formale actus ſentiendi, quòd ſi verè diceretur, actus ſentiendi magis ex ſpecie penderet, quàm ex ſenſu, quod non eſt aſſeuerandum. Huius conſequutionis id fidem facit, quia cùm duo iunguntur ad aliquod conficiendum, quorum alterum eſt veluti materia, & alterum veluti forma, id, quod eſt forma, vel inſtar formæ, ſemper eſt cauſſa princeps, primumq; principium, quo id efficitur lib. 2. de anima 24. Species præterea eſſet anima, quæ finitur primum ſentiendi principium ; & ſenſus non ex ſe, ſuaq; natura eſſet principium ſentiendi, ſed hoc illi extrinſecus accederet tributum à ſpecie impreſſa ab obiecto. Tertium officium repræſentandi ſenſibus obiecta inane prorſus eſt tribuere ſpeciebus, idq; intelligitur ex ijs, quæ de primo fuerunt officio diſputata ; cum quibus conſentit Alexander in lib. 2. de anima cap. 38. vbi ſcribit perſpicuum quodam modo alteratum à re viſibili huius formam repræſentare viſui ; & paucis interiectis ſubiungit hanc eſſe naturam ſenſus, vt per ſenſoria repræſentatas iudicet affectiones : Sunt enim media, & ſenſoria eiuſdem ferè naturæ, & vtriſque data eſt vis repræſentandi obiecta ſenſui. Porrò perſpicuum à re viſibili alterari cautè eſt interpretãdum, nam vt idẽ ait in cap.

recitato, & in lib. 1. quæſt. nat. cap. 2. perſpicuum non verè alteratur, patiturq; à viſibilibus, nullumq; colorem paſſiuè recipit, ſed mouetur à coloribus per præſentiam, & habitudinem ad ea corpora, quæ proprium habent colorem, atque ita hoc modo alteratum, & commutatum ſeruit animalibus vim cernendi habentibus, vt per ipſum colores comprehendant. Et ſanè hanc motionem non eſſe verum motum, veramq; alterationem ipſe teſtis eſt locupletiſſimus, qui in cap. recitato lib. 2. de anima id perſuadet, quoniam alteratio eſt motus, & in tempore fit, & per tranſmutationem, perſpicuum autem non ſic colores excipit, vt ipſum quoque cum tempore mutetur, ac alteretur, ſed ita patitur, veluti ſi quis diceret eum pati, qui fit dexter ex habitudine eius, qui adſtat ad ſiniſtram, cùm ipſe nec moueatur, nec vllam in ſe affectionem excipiat. Quinetiam Philoponus in digreſſione lib. 2. de anima ad tex. 69. ſcribit actus viſibilium citra affectionem vllam in aere ineſſe ipſum non colorantes; non enim vt coloretur ſua natura aptum eſſe; atque hinc fieri, vt per eandem aeris partem diuerſi videntes diuerſos, contrariosq; colores videant; quod minimè contingeret, ſi aer coloraretur. Et ne mirum alicui videretur, qua ratione colores viſui denunciarentur per medium perſpicuum, & aliquis affectus in perſpicuum non immitteretur, id declarauit exemplo figuræ, quæ fabri effectione imprimitur in lignum ipſa effectione per ſecurim procedente, & in hanc nihil tale agente, quale eſt id, quod ligno tribuitur. Quartum officium reddendi ſenſus ſimiles ijs, quæ ſenſibus percipiuntur, non eſt, quoque vt à ſpeciebus peragatur, nam illud à ſentiendi actu præſtatur, atque huius nos admonuit Alexander in lib. 1. de anima cap. de anima ſenſuali inquiens ſenſile, & ſenſum ante functionem actionemue res proculdubio diſſimiles eſſe, in actione autem ſimiles reddi, nam ſentire eſſe per ſimilitudinem aliquam, quę fit per alterationem, ſi quidem ſpecies rei ſenſibilis, quę citra materiam in virtute ſentientis gignitur, eſt ſenſus actu, hoc eſt ipſius ſenſus functio. Hęc verè

alte-

alteratio, per quam ſcribit Alexander fieri ſentire, & ſimilitudinem, non eſt vera alteratio, nec fit per ſuſceptionem alicuius formæ, quoniam ſentire non eſt ſicut addiſcere, in quo is, qui diſcit, doctrinæ ſuſceptione quodam modo alteratur, ſæpeq; ex contrario mutatur habitu lib. 2. de anima 56. ſed ſicut contemplari lib. de ſenſu, & ſenſili cap. 4. & lib. eodem de anima 69. in quo is, qui contemplatur, nihil ſuſcipiendo fungitur officio. Eadem eſt Philoponi ſententia, cuius hæc ſunt in explanatione tex. 121. lib. 2. de anima: Quo modo ſenſus à ſenſibilibus patitur, & eis aſſimilatur, nunc dicit: hic enim, inquit, fit id, quod ſenſile, non albus factus vel dulcis, ſed ſenſilis formam ſine materia ſuſcipiens, id eſt puras eorum rationes cognitiuè impreſſas, & inſculptas habens. *His poſtremis verbis nihil aliud ſignificatur, quàm ipſe cognitionis actus, qui eſt veluti pura ratio, & forma rei in cognitionem cadentis impreſſa, & inſculpta in facultate ſentiente. Reſtat poſtremum officium, de quo reiectis ſpeciebus ſpiritalibus, dicendum eſt à ſenſuum functionibus circa res ſenſiles gigni in anima veluti figuras, & effigies quaſdam, atque has ea omnia præſtare, quæ in hoc officio fuerunt ſpeciebus ſpiritalibus tributa. Neque id videatur nouum, nam Alexander, & Themiſtius id non ignorarunt; Ille namque in lib. 1. de anima cap. de phantaſia non obſcurè ſtatuit à ſenſuum functionibus circa res ſenſibiles gigni figuras, & effigies quaſdam in primo ſenſitiuo, hoc eſt in ea corporis parte, in qua vis anima ſentiens ineſt, quæ figuræ non vlterius præſente re ſenſibili illæſæ ſeruantur, ac permanent veluti rerum ſenſibilium imagines quædam, quæ inius ſeruatæ, ac depoſitæ in nobis cauſſa ſunt memoriæ. Has figuras, & relicta ſimulachra aſſeuerat actu ſenſum appellari, propterea quòd functionis ſenſuum opera ſunt, atque ab his facultatem imaginatricem moueri, cuius quoque motione, & functione ſimulachra quædam in anima excitantur. Themiſtius verò in lib. 3. de anima cap. 14. ſcribit has figuras, & ſimulachra ſentiendo*

concipi:

concipi: & in lib. de mem. & reminiſcentia cap. 11. habet hęc: Scire oportet ex actibus, quos circa ſua quique genera ſenſus abſoluunt, formari quædam ſimulachra, quæ tanquam ſigilla, & pictutæ eorum, quæ inciderint, inuri in nobis, atque in ſenſu principe, hoc eſt in corde ipſo conſtitui, collocariq́ue videantur. *Et paucis interiectis ne errore ducamur, nos admonet cùm impreſſiones, aut effigies, aut figuras dicimus, eſſe nominum abuſionem, nam propriè impreſſionem, eſt figuram receſſu, & eminentia partium conſtare, qualis forma ea eſt, quam quę ſignantur anulis, prętendunt: ſenſus verò apprehenſis ſenſibilibus non effigiari, aut configurari, nam qualis obſecrò figura omnino albedini, aut colori eſt? qualis ſapori, odoriq́? ſed inopiam vocabuli aptioris cogere nos hoc genus modò impreſſionem, modò figuram, modò veſtigium dicere. Eiuſdem quoque fuimus admoniti ab Alexandro in loco citato, cuius verba, & verborum ſententiam Themiſtius eſt imitatus, & prętter Themiſtium Michael Ephęſius initio com. in lib. de mem. & remiſcentia.* Nec verò phantaſmata, vt plerique autumant, *ſunt ſenſibilium ſpecies, quę ſenſibus hauſtæ, & ad imaginatricem transmiſſæ in hac imprimuntur, & impreſſę diuturno tempore conſeruantur, ſed ſunt opera ipſius imaginatricis, idq́; ſignificauit Ariſtoteles, cùm ſcripſit in lib. 2. de anima 155. phantaſiam eſſe, qua phantasma aliquod fieri nobis dicimus, hoc eſt Alexandro interpretante in lib. 1. de anima cap. de phantaſia, motionem, qua phantaſma quodpiam dicimus nobis in anima gigni. Nec ſecus sentit Themiſtius inquiens in huius loci paraphraſi phantaſiam eſſe, qua phantasma veluti typum, & formam ſenſilis in anima produci dicimus: Et in eandem sententiam inquit Simplicius in lib. 3. de anima 160. phantaſiam, vbi fuerit excitata, ex se ipsa promere phantasmata, & effingere figuras, quę vel ęquè ſimiles sunt ſenſilium formis, vel aliquid amplius habent adiunctum. Cum his consentit Priscianus Lydus, qui in lib.*

Theo-

Theophrasti de phantasia, & intellectu cap. 1. statuit phantasiam non accipere formas, & phantasmata ab externis, sed ex se ipsa promere, esseq; potentiam assimilandi cætera ad seipsam: idq; affirmat Iamblico probatum fuisse. Et sanè cùm imaginari nihil aliud sit quàm imagines fingere, quis non sentiat phantasmata esse opera imaginatricis? Atque id planè significauit Plato, cùm scripsit in Sophista phantasiam esse simulachrorum, & phantasmatum effectricem. Hæc igitur cùm ita sint, perspicuum est à speciebus spiritalibus nullas necessarias præberi vtilitates, easq; propterea esse negligendas, & qui has non contemnunt, parum mente valere non intelligentes, vnde existant ea, quæ, vt species amplexarentur, ipsos induxerunt.

Aristotelis loci expenduntur speciebus spiritalibus suffragantes, diluiturque argumentum, quo hæ species fuerunt confirmatę.

Cap XXXI.

VT tota dubitationum caligo discutiatur, supereſt, vt expendantur Aristotelis testimonia, quæ speciebus spiritalibus videntur suffragari. Cùm scribit Aristoteles in lib. 2. de anima ſ 9. sensibilia exteriora efficere sensionem, id non ita accipiendum est, vt illa verè sint huius actus causæ effectrices, nam quod est causſa efficiens sensus, id quoque sensionem efficit, quòd actus secundus perpetuò comitatur primum, hinc eodem in loco dicebat Aristoteles cùm id, quod habet vim sentiendi generatum est, habet iam ipsam sensionem; sed quoniam sine his non fit actus sentiendi; id significauit Alexander, cuius hęc sunt in lib. 1. de anima cap. de anima sensuali: Quemadmodum altrici potestati ad hoc, vt agat, alimento opus est, circa quod eius actio versatur, ita quoque virtus sensualis, quia circa sensibilia functionem exercet, sensibilibus rebus indiget, quas excipere, & iudicare nata est: Quo fit, vt

nisi

adsint sensibilia, nihil agat sensus. *De sententia igitur Alexandri, quæ alimenti est ratio ad alterem potestatem, eadē est sensibilium ad virtutem sentientem; quapropter vt illud non verè dicitur caussa efficiens actuum alterius potestatis; ita sensibilia non verè sunt caussæ effectrices actus sentiendi. Neq; alicui faciat admirationem sensibilia dici ab Aristotele efficientia actus sentiendi, si solùm sunt ea, circa quæ versatur hic actus, nam Alexander & Simplicius admirationem dissipant, quorum ille apud Philoponum in lib. 1. de gen. & int. com. 92. dubitans quì dicat Aristoteles principium mouens esse in eo, quod alteratur, respondet principium mouens vocari apparatum, & dispositionem patientis, quippe quæ necessaria sit ad mouendum: hic autem in lib. 2. phys. com. 12. scriptum reliquit naturam, quæ solùm est principium patiens, & aptitudo subiecti, dici efficere, vt quæ ad opus perficiendum conferat: Si igitur natura patiens, & patientis dispositio non est habita indigna, quæ mouentis, & efficientis nomine significetur, quando quidem ad opus conficiendum conferat, cur sensibilia non erunt idonea, quæ actus sentiendi dicantur efficientia, cùm sine ipsis hic actus non absoluatur, ipsaq; ad hunc absoluendum necessario postulentur veluti materia, circa quam is versatur? Color autem mouet perspicuum, quà per ipsum transpicitur, vltraq; apparet; ex quo fit, vt perspicuum debeat omni colore carere, nam in eo, quòd per illud color traijcitur, & repræsentatur, aliquo pacto videtur colorari, quod autem colorem est excepturum, id omni colore debet carere. Cæterùm vt suprà adnotauimus, perspicuum non sic colores recipit, vt alteretur, verèq; patiatur, excipiendo vllā formam, vllamq; speciem, sed alio modo, qui suo loco fuit explicatus: Id cùm intelligeret Philoponus in lib 2. de anima 69. dicebat non ipsos colores, sed colorum actus deferri per perspicuū, his visum moueri; cum quo sensit Priscianus Lydus in lib. Theophrasti de sensu cap. 30. vbi ait perspicuum efficere visionem, quia excipit actum à visibilibus emananiem, hunc q; copulat instrumento.*

ſtrumento. Quòd ſi, vt fiat viſio, neceſſe eſt medium moueri à coloribus ſic vt per ipſum colorum actus ad viſum traijciantur, malè ſenſit Democritus putans, ſi inanis eſſet locus, qui inter nos & cælum interijcitur, exquiſitius cerni poſſe, ea quæ ſunt in cælis; nam nedum acutiùs, ſed nullo modo videri poſſent, quia perſpicuum non eſſet medium, quod traijciens colores ſenſum oculorum afficit, & ex otio ad agendum traducit. Senſus verò actu factus, resq; ſenſibiles iudicans his ſimilis eſt, non quidem quia in eo rerum ſenſibilium formæ, & ſpecies imprimantur, ſed ſola muneris functione, & iudicatione, in qua is poſitus quodam modo effigiatur, & figuratur; ex quo fit, vt ſenſio videatur alteratio, non quidem vera, ac propria, ſed alterius generis lib. 2. de anima 57. ac præterea appellatur ſpecies, & ſpecies quidem ſine materia, quoniam ſola rei ſenſibilis forma cognoſcitur non apprehenſa materia, in qua hæret: atque id ſibi voluit Ariſtoteles, cùm ſcripſit ſenſum habere vim ſuſcipiendi ſpecies rerum ſenſibilium citra materiam; nam ſententia eſt ſenſum habere vim iudicandi, & diſcernendi formas rerum ſenſibilium non diſcernendo, & iudicando materiam, quippe qui non eſt illius authoritatis, vt valeat ſubſtantiam, & materiam comprehendere. Nec ſecus Alexander hunc Ariſtotelis locum fuit interpretatus in lib. 1. de anima cap. de ſenſu communi, & cum Alexandro Themiſtius, à quo in lib. 2. de anima cap. 42. hunc locum explanante hæc in ſcriptis fuerunt relicta: Senſus non poſſunt materiæ ſenſilium effici: Non enim albet, aut nigrat, aut opacatur viſus, neque exacuitur, aut graueſcit auditus, ſed quòd diximus ſæpe, & ſæpe dicemus, ſpecies rerum & ratio concipitur; quo fit, vt paſſio hæc non in conuerſionem, mutationemue, ſed in cognitionem & iudicium deſinat. *Quinetiam Philoponus poteſt videri eãdem interpretationem approbaſſe, qui in huius loci enarratione ſtatuit ſenſum ſenſilis formam ſine materia ſuſcipere nihil aliud eſſe, quàm puram ſenſilis rationem cognitiuè impreſſam, & inſculptam*

habere, hoc eſt, quàm puram & ſimplicem rei ſenſilis formam cognoſcere: & paucis interiectis ſubiunxit differre quæ ſentiunt, ab ijs, quæ ſimpliciter patiuntur, & non ſentiunt, quòd illa cognitiuè patiuntur, hoc eſt patiendo cognoſcunt, & iudicant, ipſorumq; paſſio eſt cognitio, hæc autem patiuntur, ſed non cognoſcunt. Porrò quoniam ſenſus cognoſcendo, & iudicando patitur, & ſolam rei ſenſilis formam iudicat & cognoſcit, hinc fit, vt idem paulò poſt ſcripſerit ſenſum à re ſenſili pati ſecundum ſolam formam agente; atque hoc intereſſe inter ſenſum, & alia, quæ patiuntur ab ijs, quæ ſecundum formam & materiam agunt; ignem enim non ſecundum formam tantùm agere in aerē, & aerē calefacere, ſed ſecundū formā, & materiam ſimul, quippe qui veluti corpus conſtans ex forma, & materia in aerem agat. Non eſt igitur, vt hæc interpretatio vituperetur à grauiſſimis Ariſtotelicis approbata, quam præterea poſſumus confirmare, quòd ſenſum ſuſcipere ſpecies idem eſt, quod ſenſum pati à ſenſibilibus; & pati, quod ſenſui tribuitur, idem eſt, quod iudicare, etenim lib. 2. de anima 150. intelligere eſt veluti ſentire, quoniam in vtroque anima iudicat, ac diſcernit ea, quæ ſunt, & ex hoc, quòd intelligere eſt veluti ſentire in lib. 3. eiuſdem operis 2. conficitur intelligere eſſe aut pati quoddam ab intelligibili, aut aliud quidpiam huiuſmodi: Accedit, quòd ſenſus non aliter dicitur ſuſcipere ſpecies citra materiam, ac mens dicatur ſuſcipere formas ſine materia, & materiæ conditionibus; & hoc idem eſt, quod iudicare, & contemplari nudas, ſimpliceſq; rerum formas. Id Alexander ſignificauit in lib. 1. de anima cap. 25. cùm ait: Qui ſpeciem quampiam abſque materia ſuſcipit, is proculdubio habere videtur id, quod commune, & vniuerſale eſt; Enimuero vbi ſpeciem hominis abdicatis materiæ appendicibus excipimus, nihil aliud, quàm communem hominem intuemur. *Non ſum neſcius pleroſq; Ariſtotelicæ doctrinæ explicatores cenſere in ſenſu aliud eſſe pati, & aliud iudicare inductos, quòd apud*

Ari-

Aristotelem in lib. 2. de anima 127. olfacere non est pati, sed sentire: & apud Alexandrum in lib. 1 de anima cap. 24. sentire non est pati, sed iudicare. Sed hi leuiter, vt ita censerent, inducti fuerunt, quoniam cùm pati non vno, ac simplici modo dicatur lib. 2. de anima 57. & aliud sit ad interitum alicuius formæ, quod est verè, ac propriè pati, & aliud ad salutem, ac perfectionem, in quo id, quod patitur, nihil sui deperdendo absoluitur, ac perficitur; sentire non est pati modo priore, sed posteriore, nam in eo nullius formæ fit tactura, sed priori perfectioni fit additio, & nihil præter otium excutitur. Pati prioris modi fuisse Aristoteli propositum inde intelligitur, quia hoc in loco dubitatur, nunquid quemadmodum tactiles qualitates, & sapores agunt in ea, quæ carent sensu, ita odores & reliqua sensibilia agant in ea, quibus non est sensus, respondetur, non omne corpus esse idoneum, vt ab odore, sonoq; patiatur, sed illud duntaxat, quod est interminatum, & non manet, veluti aerem, quem ab odoribus affici illud ostendit, quia olet; & non oleret, nisi quidpiam passus esset. His constitutis altera subiungitur dubitatio, quæ est: Si odorari est ab odoribus pati, aer planè si patitur ab odoribus, non erit absque sensu olfactus: Soluitur, quia odorari non est pati ab odoribus, verèq; ab odoribus affici, sed sentire & iudicare, quod est pati alterius modi salutem afferens, ac perfectionem; aer verò sic ab odoribus patitur, vt verè afficiatur, fiatq; odorabilis. Atque hæc est huius loci sententia, quæ adeo est dilucida, vt mirum sit quosdam esse inuentos, qui eo vterentur ad persuadendum sentire non esse pati. Nec secus Alexander est audiendus, nam licèt sensuum functio fiat partibus corporis tanquam instrumentis ministrantibus, sentire tamen non est verè pati, quod est ad interitum, sed iudicare atque discernere, quod est pati ad salutem, ac perfectionem. Quòd igitur sensus habeat vim suscipiendi species, non est, vt cuipiam persuadeat species spiritales esse inducendas, quæ in sensu imprimantur. Ex hoc facile est illud interpretari: Spe-

cies rerum sensibilium sunt in anima, nam species rei sensibilis nihil aliud est, quàm eius sensio, ac notitia. Sed & propter imaginandi facultatem, memoriam & somnia non esse, vt quis putet hasce species fuisse ab Aristoteles positas, liquet ex his, quæ à nobis harum specierum officia expendentibus fuerunt disputata; nam vt hæc fiant, satis sunt illæ impressiones & figuræ, quæ fiunt in nobis sensibus circa sensibilia agentibus, suntq; opera functionis sensuum; quamquam & hæ possunt quoque videri opera ipsorum sensibilium, quòd idem est actus, quo sensibile mouet sensum, & quo sensus mouetur à sensibili lib. 2. de anima 138. Quapropter non ab re in lib. de insomnijs cap. 2. scriptum est sensibilia in nobis per singula sensuum instrumenta sensionem efficere, & affectionem, quæ fit ab eis, non modo in sensorijs inesse, cùm sensus agunt, sed etiam cùm cessant ab actione, & sensibilia abierunt. Demum vt hæc disputatio aliquando concludatur, argumentum, quod extremo loco fuit allatum, ita conuellitur. Caro non est instrumentum tactus, sed medium, per quod qualitates tactiles transportantur ad instrumentum lib. 2. de anima 111. hæc in plures partes est distincta, quarum aliæ sunt foris, & aliæ intus, priores sic patiuntur, vt verè, materialiterq; afficiantur; atque id sic patet, vt qui neget, in eo sensus agrotet; posteriores non secus, ac reliquorum sensuum media traijciunt absque vlla sui affectione qualitates tactiles; vt enim aeri & aquæ datæ sunt à natura quædam qualitates, quibus seruiunt visui, auditui, & olfactui traijciendo colores, sonos, & odores, ita par est carni vim quãdam, cuius nomen ignoratur, fuisse à natura impertitam trayciendi ad tactus instrumentum tactiles qualitates: Non enim fieri potest, vt hæ qualitates, proximè immutent sensum, quòd sensibile positum supra sensum non habet vim huius immutandi lib. 2. de anima 98. Porrò cùm partes carnis extrinsecus positæ patiantur materialiter, hæc passio non fit sine tempore; & qualitas, quæ denunciatur sensui, non est qualitas hærens in eo, à qua patiuntur, sed quæ in ipsis

est

eſt facta educta alteratione, & effectione illius, quod agit; huius argumento eſt, quòd manus valde frigens non continuò ignis caliditatem sentit, & hanc dum sentit, non ſimul vniuersam, sed senſim, ac succeſſione quadam percipit. Sed hæc ita clara sunt, vt inanis ſit quælibet confirmatio. Quòd specierum amatores existimant ad has species confirmandas magnum habere momentum nonnulla problemata, quorum explicatio poſitis speciebus in promptu habetur, & non poſitis ardua eſt, & obscura, veluti cur baculus integer appareat fractus, ſi partim in aere ſit, partim in aqua: Cur calculus, qui in vase non videtur, superinfusa aqua videatur oculo in eodem loco manente; & alia id genus; hi ignorant hæc omnia problemata explicari à Perspectiuis ſine vllo specierum adiumento; illudq; rerum naturæ non eſſe neceſſariò tribuendum, quo poſito expedita eſt alicuius quæſtionis explicatio, alioquin orbes eccentrici, & epicicli non pugnarent cum rerum natura, quibus poſitis facilè, ac expeditum eſt Aſtronomis rationem afferre illorum, quæ in cœlis apparent; vt interim mittam receptis ſpeciebus hæc problemata non ita explicari, vt omnis tollatur dubitatio; atque idcirco non eſſe consentaneum vti ijs, quę non vsquequaque animum explent, ad ea inducenda, quę ſint necne, cadit in controuerſiam. Sed iam huic finem faciamus disputationi, & alteram, quę eſt de Mente effectrice aggrediamur.

GA-

GALEATIO GVALENGVIO MARCHIONI ILLVSTRISS. ET GYMNASII FERRARIENSIS MODERATORI.

THOMAS GIANNINIVS F.

QVAE de Mente effectrice fuerunt à me disputata non est, vt cuiquam videatur mirum, si Tibi Marchio Illustrissime dicata in lucem prodeant, nam cum huius Mentis natura sit altissima, Tu omnium bonarum litterarum cognitione ita excellis, & egregijs animi virtutibus ita præstas, vt in celsissimam dignitatis, atque honoris sedem ascenderis, & cum eiusdem sit hominum mentes illustrare, atque complere, Tu intelligentia sic viges, vt illius maximè particeps videaris? Hanc igitur disputationem, qualis qualis sit, accipe Vir Doctissime, non quòd ex me aliquid Tibi ignotum, & occultum possit proficisci, sed vt omnibus constet me Tua præstanti in me voluntate sic deuinctum esse, vt Tibi tantum debeam, quantum hominem homini debere fas est. Vale dulce præsidium meum, &, quod vehementer cupio me Tui studiosissimum ama.

THO-

THOMÆ GIANNINII FERRARIENSIS,

De Mente Effectrice, & Speciebus Intellegibilibus.

DISPVTATIO ARISTOTELICA.

Mens effectrix quo argumento fuerit à Durando refutata, & qua ratione ab Aristotele posita. Cap. I.

CVM duæ sint mentes, sine quibus fieri nequit, vt quicquam intelligamus; quarum alteri Aristoteles tribuit, vt fiat omnia, quæ mens materialis, & patibilis appellatur, alteri, vt omnia efficiat, quæ mentis effectricis nomine obsignatur, huius mentis posterioris contemplatio nobis hoc tempore est proposita, quæ adeo est obscura, vt in Aristotelis doctrina nullus sit locus, qui caligine crassiore circunfundatur. Cæterùm quoniam rei alicuius consideratio, quò plus habet obscuritatis, eò dignior est, cui aliquod lumen adhibeatur, non est, vt ab officio huius caligine deterramur. Mentem effectricem, quam ab Aristotele positam omnes Peripatetici sunt

ci ſunt amplexati, cum quibus conſentiunt præclariſſimæ Theologorum familiæ, vnus Durandus inuentus eſt, qui in lib. 1. ſent. diſt. 3. quæſt. vltima refutaret, ac pro nihilo haberet hac argumentatione inductus. Cùm facultatum, formarumq; latentium notitia ex earum actibus, muneriſq; functionibus comparetur, non eſt, vt mens efficiens abſq; vſu, muneriſq; functione inducatur, quoniam verò propter actum intelligendi poſita eſt ab omnibus, qui actus, vt exerceatur, phantaſmata, mentemq; patibilem requirit, planè ſi illius eſſet vlla muneris functio, hæc aut in phantaſmatis, aut in mente patibili occuparetur; ſed neutrum eſt neceſſarium; ergo vanum eſt, ac commentitium mentem effectricem introducere. Aſſumpti huius argumentationis duæ ſunt partes, quarum altera eſt mentem effectricem non eſſe neceſſariam, quæ agat in phantaſmata; altera mentem effectricem non eſſe introducendam, quæ in mentem patibilem agat; pars prior his confirmatur; Si mens effectrix ageret in phantaſmata, aut aliquid in hæc imprimeret, aut aliquid ab his amoueret, ſed mens efficiens nec aliquid tribuit phantaſmatis, nec aliquid à phantaſmatis remouet; nullo igitur modo agit in phantaſmata. Mentem effectricem nihil imprimere in phantaſmatis duo confirmant, quorum alterum eſt: Omnis virtus, quæ accipitur à corpore, nec poteſt eſſe niſi in corpore, neceſſariò eſt corporea; ſed quæcunque virtus imprimitur in phantaſmatis, ea perſpicuè accipitur à corpore, nec niſi corpori poteſt impertiri, quoniam corpori, & rei incorporeæ nulla poteſt eſſe communis ratio ſuſcipiendi aliquod vnum vniuocum; ergo ſi vlla virtus à mente effectrice in phantaſmata infunderetur, ea neceſſariò erit corporea: Quod ſi ita eſt, ex ea haud quaquam aſſequentur phantaſmata, vt mentem patibilem moueant, ſi quidem per ſe ipſa nequeunt fungi hoc munere mouendi mentem patibilem, quia ſunt corporea. Maior propoſitio probatur, quoniam de re, quæ ſuſcipitur, qualis ipſa ſit corporeane, an incorporea potiùs ex ſubiecto ſuſcipiente eſt iudicandum, quàm ex

effi-

efficiente externo, à quo fieri poteſt, vt quandoque corporeum, quandoque incorporeum tribuatur. Alterum, quo idem confirmatur, eſt: Si Angelus ex communi omnium Theologorum ſententia nullam habet vim, qua proximè imprimat formam in corporea materia; ergo eadem vis non eſt, vt menti effectrici impertiatur, quam par eſt vi minus valida fuiſſe à ſummo rerum opifice donatam. At verò mentem effectricem ſua effectione nihil à phantaſmatis amouere hæc poſſunt perſuadere: Si mens efficiens quippiam e phantaſmatis tolleret, id aut re, aut ratione amoueret: Sed fieri non poteſt, vt hæc ſeparatio ſit realis, nam cùm hæc trifariam poſſit miniſtrari, vno modo ſi quippiam exiſtens amoueatur, veluti cùm lapis à lapide diſiungitur; altero, ſi quippiam, quod corrumpatur, ſeparetur, quemadmodum accidens, quod corrumpitur, à ſubiecto diſiungitur; tertio, ſi quippiam in actu conſtituatur, quo pacto forma, quæ fit actu, dicitur à ſubiecti poteſtate ſeparari; omnes hi ſeparationis modi ſunt improbabiles, primus, quoniam nihil à phantaſmatis ablatum transfertur in mentem patibilem, quòd nulla forma migret ex ſubiecto in ſubiectum; alter, quoniam mentis effectricis præſentia non eſt huiuſmodi, vt vllam formam deſtruat in phantaſmatis hærentem; tertius, & poſtremus, quoniam cùm forma, quæ educitur, maneat in ſubiecto, ex cuius poteſtate educitur, mens efficiens aliquam formam tribueret phantaſmatis, quod fuit confutatum. Sed nec etiam fieri poteſt, vt hæc ſeparatio ſola ratione miniſtretur, quoniam cùm hæc ſeparatio ſit cognitio, nam hoc modo ſeparare nihil eſt aliud, quàm vnum cognoſcere altero, cui eſt copulatum, non comprehenſo, mens efficiens hoc munere fungeretur intelligendo, quod non eſt aſſeuerandũ, quia eius effectio inducitur ſine cognitione, omnemq; noſtram intelligentiam prægreditur. Præterea quorſum pertineret hæc ſeparatio? Non enim dicendum eſt eam eſſe poſitam, vt ipſa ſimplices rerum naturæ ſine materia, & materia conditionibus apprehendantur, non ſecus ac à Platone poſitæ ſunt ideæ, quare

ipſa à rebus ſingularibus ſeparata mente acciperentur, quoniã quemadmodũ id ſine ratione affirmatur, ita reſpuitur, & præſertim, quòd hæc ſeparatio ſit illius, quod ſeparatur, cognitio, & mens efficiens inducitur carens omni cognitione. Accedit, quòd præſente illo, cui data eſt vis actionis impediendæ, nequit fieri, vt actio exerceatur, idq; intelligitur ex tenebris viſum impedientibus, & ex ligno lapidis deſcenſum prohibente; non enim poteſt fieri, vt tenebris non depulſis colores cernantur, & ligno non amoto lapis deſcendat; verùm cùm materia conditiones iuxta ſententiam eorum, qui mentem efficientem amant, impedimento ſint, ne ſimplices rerũ naturæ menti patibili vniuersè obijciantur, atque hæ nulla effectione, nullaq; rationis ſeparatione, quam efficiat mens efficiens, amoueantur à phantaſmatis, profectò huiuſmodi ſeparatio non erit ſatis, & idonea, qua ſimplices rerum naturæ menti patibili vniuersè intelligendæ proponantur. Nec præterea ſequitur, ſi realis ſeparatio à Platone poſita ſatis erat ad ideas mente comprehendendas, vt etiam rationis ſeparatio idonea ſit, qua ſimplices rerum naturæ mente vniuersè capiantur, quoniam rationis ſeparatio non eſt huiuſmodi, vt præbeat id, quod realis ſeparatio tribuere eſt apta nata; non enim ſi ligno re ipſa amoto lapis deorſum ruit, hic propterea deorſum labetur, ſi cogitatione lignum ipſi ſubtrahatur. Quòd ſi mens efficiens neque re, neque ratione quicquam amouet à phantaſmatis, conſtat eius effectione nihil prorſus à phantaſmatis dimoueri, neque eam eſſe inducendam, quæ agat in phantaſmata. Nec verò reſpondendum eſt mentem effectricem ſuo munere fungi abſque vlla impreſſione, prohibentiſue remotione, ſed ſua ſola præſentia, quo pacto lumen nihil imprimendo, nihilue remouendo, ſed ſolùm aſſidendo vim tribuit coloribus aſpectum mouendi, quoniam intellectu eſt difficile, nec ſine repugnantia quippiam tribuere alicui virtutem nihil tribuendo; neque id ex lumine intelligitur, quod ad videndum poſtulatur non propter colores, ſed propter medium & inſtrumen-

strumentum, quæ nisi illuminata seruiunt actui videndi. Et hactenus de confirmatione partis prioris assumpti, sequitur posterior, quæ his confirmatur. Cùm duo sint modi, quibus mens efficiens potest agere in mentem materialem, alter, si ipsa per se sola fungatur hoc officio phantasmate præsente, ac nihil agente; alter, si phantasma, mensq; effectrix in hoc munere exequendo iungantur veluti duæ causæ dimidiatæ: nam integram causam conficientes non secus, ac duo equi vnà copulantur ad trahendum currum, quem neuter ipsorum per se solus potens est trahere, quisquis fuerit positus, non erit sine reprehensione: Ac prior sanè multis nominibus reprehenditur; Et primùm si sensus potest id, quod est sibi propositum ad sentiendum, absque alio mouente apprehendere, cur etiam mens patibilis non poterit ab obiecto præsente moueri sine vlla mentis effectricis commotione? Deinde quod agit per naturæ modum, eodem se habens modo idem facere natum est; sed mens efficiens nunquã secus se habet, agitq; necessitate naturæ compulsa; ergo eadem, & nunquam interrupta ab initio vsque ad extremum erit in nobis intelligentia, quod tam falsum est, quàm quod maximè. Nec facit quicquam, quòd phantasmata sint in varietate posita, quoniam hæc otiosa, sinequ vlla in mentem patibilem effectione inducuntur. Postremò quod nunquam non postulatur ad aliquod efficiendum, id necessariò est causa huius aut propinqua, aut remota; sed sine phantasmatis mens nostra quicquam non intelligit: illa igitur erunt causa nostræ intelligentiæ aut proximæ, aut longinqua; & quod sequens est, fieri non potest, vt phantasmatis nihil agentibus mens efficiens agat in mentem patibilẽ. At verò modus posterior accusatur, tum quia in eo ponitur id, quod in quæstionem cadit; etenim sumitur mentem effectricem vi esse præditam, qua mentem patibilem moueat; & quæstio existit, nunquid sit vlla muneris functio, ex qua possit confici mentem effectricem esse inducendam; tum etiam quoniam cùm causa, cur phantasmata per se sola, & sine mente effectrice ne-

queant mouere mentem patibilem, ad tria possit referri, aut quia intelligendi actus longè superat phantasmata naturæ dignitate, & quod est minus nobile, id non potest esse principium efficiens illius, quod est præstabilius; aut quia phantasmata cùm sint corporea, non habent vim agendi in mentem patibilem, quæ est virtus incorporea; aut denique quoniam phantasmata vi sua non possunt menti obijcere naturas vniuersas, quæ primùm mente apprehenduntur; in quodcunque fuerit coniecta, facilè damnabitur: Primum enim si accipiatur, haud dissimiliter locus erit sensui agenti, cuius ab Aristotele nulla vnquam est habita ratio: Huius consequutionis ea est ratio, quia actus sentiendi non secus antestat dignitate qualitatibus sensibilibus, ac intelligendi actus phantasmatis. Alterum non est, vt ponatur, quoniam hic modus sumit phantasmata coniuncta cum mente effectrice virtute non mentis effectricis aduentitia, sed propria, ac insita agere in mentem patibilem. Tertium verò, ac postremum refellitur, quia iuxta hunc modum mens efficiens non infundit quicquam in phantasmata, cuius susceptione queant naturas rerum vniuersas menti patibili obijcere, etenim cùm duæ agentes causæ possint trifariam vnà iungi ad aliquid efficiendum, vel ita vt ea, quæ est præstabilior, influat in alterã agendi virtutem, quo pacto Sol illuminat Lunam, quæ illustrata lumine perfundit aerem; vel ita vt ab altera paretur materia, atque instruatur, & ab altera materiæ forma tribuatur, veluti si a quopiam cera mollis, ac tenera redderetur, & ab altero sigillum in cera imprimeretur; vel denique ita, vt ambæ quidem solitariæ vim habeant agendi, sed infirmam, parumq; validam, & vnà iunctæ constituat vnam integram causam atque perfectam, solus hic modus ponitur mentem effectrici, ac phantasmatis tribuitur ad actum intelligendi efficiendum. Et hæc est Durandi argumentatio, qua mens effectrix tanquam desidiosa, nullamq; tenens muneris functionem eijcitur e naturæ finibus, sed frustra planè, nam hæc mens sic est necessaria, vt ea

explosa

exploſa mens noſtra patibilis iners ſit futura, atque ſuum in-etio perpetuo actura, quod cùm Ariſtoteles in lib. 3. de anima 17. oſtenderit, huius loci ſatis obſcuri afferenda eſt interpretatio: Verba Ariſtotelis ſunt hæc : Quoniam quemadmodum in omni natura eſt aliquid, alterum materia cuique generi, hoc autem eſt, quod eſt omnia illa poteſtate; alterum cauſſa & effectiuum, eò quòd efficiat omnia, veluti ars ad materiam ſe habet, neceſſe eſt etiam in anima ineſſe has differentias : Atque eſt quædam mens talis, vt omnia fiat, & quædam talis, vt omnia efficiat, veluti habitus quidam, perinde ac lumen, nam lumen quoque quodam modo facit colores, qui ſunt poteſtate, actu colores. *Horum verborum ſententiam eſſe hanc arbitror : Quemadmodum in vniuerſa natura ſenſibili vbi eſt quippiam, quod eſt poteſtate, ibi alterum eße oportet, quod actu exiſtens efficiat id, quod eſt poteſtate, actu, atque ad hoc non ſecus ſe habeat, ac ars ad materiam, quæ eius opera excolitur, & fit actu quippiam arte conſtans, ita & in anima intelligente, in qua eſt quippiam, quod eſt poteſtate, ponendum eſt alterum, quod ſit actu, cuius acceſſione id, quod eſt poteſtate, efficiatur actu, atque abſoluatur. Quapropter in anima intelligente neceſſe eſt ineſſe has differentias illius, quod eſt poteſtate, & illius, quod eſt actu, ſiue illius, quod eſt inſtar materiæ, & patientis, & illius, quod eſt inſtar formæ, & complẽtis. Huius conſequutionis ea eſt ratio, quoniam cauſſa, cur in vniuerſa natura ſenſibili vbi eſt quippiam, quod eſt poteſtate, ibi oporteat alterum eße, quod ſit actu, ea eſt, quoniam quod eſt poteſtate, fruſtra eßet poſitum, & poteſtate contineretur, niſi actus, & perfectio accederet; & cùm à ſeipſo nihil abſoluatur, aliquod ponendum eſt, cuius ſit facere actu id, quod eſt poteſtate : Quocirca cùm in anima intelligente eadem ſit ratio, planè quoniam ex ijs, quæ hactenus ſunt explicata, ſatis conſtat in ea eſſe quippiam, cuius nulla alia eſt natura, niſi hæc, vt ſit poteſtate, neceſſe eſt præter hoc ponere alterum, quod ſit actu. Itaque*

in anima noſtra eſt quædam mens, quæ continetur poteſtate, & eſt inſtar materiæ, cuius eſt fieri omnia, & quædam, quæ actu exiſtit, cuius eſt facere omnia, quæq; alterius eſt veluti habitus, cuius modi eſt lumen, nam vt hoc acceſſu ſuo facit aliquo pacto colores, qui ſunt poteſtate colores, actu colores, ita hæc mens, quæ vicem gerit principij complentis, ac perficientis, præſtat, vt altera, quæ eſt poteſtate mens & intelligibilis, efficiatur actu mens & intelligibilis. Id, quod in nobis, & in anima intelligente eſt poteſtate, obtineq; ſimilitudinem materiæ, eſſe mentem intelligitur ex ijs, quæ de animi parte, qua cognoſcimus & intelligimus, fuerunt ab Ariſtotele diſputata: & verò illud, quod eſt principium complens, mentem eſſe teſtatur cùm id, quòd in omnibus id, quod efficit, eſt præſtabilius eo, quod patitur; qua re ſi in anima intelligente id, quod patitur, eſt mens, in mentium numero quoque id, quod efficit, erit habendum: tum etiam id, quoniam quicquid in quocunque genere eſt cauſſa reliquis, vt cuiuſdam modi ſint, id ipſum magis eſt huius modi lib. 2. poſt nat. 4. ergo cùm in anima intelligente id, quod efficit, cauſſa ſit, vt id, quod eſt poteſtate mens, & intelligibile, efficiatur actu mens & intelligibile, concludendum eſt, & illud eſſe maximè mentem, ac intelligibile. Hoc modo arbitror hunc locum Ariſtotelicum eſſe explicandum, in cuius explanatione ducem habui Themiſtium, qui in huius loci paraphraſi habet hæc: Cùm quæcunque natura gignuntur, tum antegreſſam & anticipatam poteſtatem, tum conſequentem habeant perfectionem; neque enim contenta ſunt habilitate ſola & poteſtate, alioquin natura poteſtatem illam rebus temere, ac fortuitò adiunxiſſet, niſi aliquis actus ex ea eſſet conſequuturus, ſatis perſpicuum eſt animam humanam non vſque adeo proceſſiſſe, vt mentem poteſtatis tantùm obtineret, atque ad intelligendum apta, propenſaque eſſet, ſed eò vſque etiam, quò huius propenſionis finem neceſſariò conſequeretur, cuius gratia hæc mens poteſtatis à natura eſt facta & com-

comparata : Neceſſarium itaque eſt mentem poteſtatis perfici,& abſolui: atqui nihil à ſeipſo abſoluitur & perficitur, ſed ab alio ; ergo in humana anima has differentias contineri neceſſe eſt, quarum altera poteſtate mens, altera effectrix nuncupatur. *Ex his poteſt intelligi, quàm vtilis, & quàm neceſſaria ſit mens effectrix, & Durandus quàm leuiter ſapiat, dum laborat hanc mentem e rerum vniuerſitate eijcere, e noſtraq; anima depellere, cuius argumentatio ſatis prolixa quàm facilè poſſit refutari, perſpicuum erit, vbi huius mentis officium fuerit patefactum, ad quod nunc aggredior, quòd tenebris ab eo depulſis aditus erit expeditior ad naturam mentis effectricis aperiendam.*

Confutantur illi, qui tradiderunt mentis effectricis munus eſſe noſtram intelligentiam. Cap. II.

DE mentis effectricis munere,& neceſſitate, propter quam ab Ariſtotele eſt introducta, à varijs variè diſputatum eſt, ſed quoniam in omnes ſententias inquirere ſuperuacaneum eſt, nos ijs duntaxat contenti erimus, qua valde eminent, & authores habent non contemnendos. Hanc mentem eſſe inducendam, propter noſtram intelligentiam, & intelligendi actum ſentiunt, & conſentiunt omnes, qui locum ei in rerum natura conceſſerunt; quapropter neceſſe eſt, vt eius munus ſit, aut intelligentia, ſiue actus intelligendi, aut quippiam adiuuans ad actum intelligendi obeundum. Philoponus in com. lib. 3. de anima ſtatuit munus huius mentis proprium eſſe intelligentiam, quod quoque fuit à Plutarcho poſitum, & probatum Mercenario, qui in dilucidationibus hac de re ita ſentit, & ſcribit: Cùm vis imaginatrix menti obtulerit phantaſma, quòd eſt res materiata, & ſingularis, mens in illud intuens quiditatem, & formam in eo materiæ conditionibus inuolutam intelligit non percipiendo

cipiendo indiuiduales, ac ſingulares materiæ conditiones, atque hoc pacto dicitur formam à materiæ conditionibus ſegregare, ſi quidem ſegregare ſiue abſtrahere nihil eſt aliud, niſi vnum quippiam intelligere altero, quod eſt ei coniunctum, non comprehenſo; atque hac functione mens efficiens dicitur facere id, quod eſt poteſtate intelligibile, actu intelligibile, illuminare phantaſma, & transferre formam ex materialium ordine ad ordinem immaterialium : Etenim forma, vt eſt materiæ conditionibus coniuncta, dicitur poteſtate intelligibilis, & in tenebris conſtituta, quoniam materiæ conditiones perinde ac tenebræ impediunt mentem, ne videat ac intelligat; vt verò intelligitur his non comprehenſis, dicitur actu intellecta, illuminata, atque in lucem ex tenebris euocata: Quapropter ſpecies illuminata, aut phantaſma illuſtratum nihil aliud eſt, niſi forma ſine tenebris, id eſt ſine materiæ conditionibus apprehenſa. Omnes hi in errore poſiti ſunt, quoniam ſi intelligere eſſet munus mentis effectricis, hæc mens potiùs patiens, quàm efficiens eſſet nominanda, quòd intelligere, quòd ponitur opus ipſius proprium, eſt pati lib. 3. de anima 2. Reſpondet Mercenarius intelligere propriè eſſe agere ac iudicare, vocari autem pati ex cõſequutione, quoniam mens intelligendo patitur ab intelligibili, ab hocq; perficitur. Hic non eſt audiendus, quoniam Ariſtoteles ex hoc quod intelligere eſt pati, aditum ſibi facit ad naturam noſtræ mentis inueſtigandam, cuius opus proprium eſt intelligere: verùm ſi hoc non eſſet propriè pati, ſed conſequenter, vel vt alij inquiunt antecedenter, Ariſtoteles eo, in quo propriè poſitum eſt intelligere, neglecto aſſumeret id, quod huic ex conſequentia tribuitur, aut hoc antecedit, id quod non eſt abſque crimine, quando quidem cuiuſque rei vis, & natura multo commodiùs, multoq; certius intelligitur ex eo, quod eſt propriè ſuum opus, quàm ex eo, quod hoc conſequitur, aut antegreditur. Adhæc intelligere eſt pati, quoniam eſt ſicut ſentire at verò, intelligere in eo, quod eſt diſcernere ac iudicare, eſt veluti ſen-

tire

tire lib.2.de anima 150. & intelligere non ex conſequutione, aut ex anticipatione, ſed propriè eſt iudicare; ergo idem eſt pati propriè, & non ex conſequutione, aut ex anticipatione. Cùm itaq; mens efficiens ex propria muneris functione ſuum nomen inuenerit, concludendum eſt intelligere, quod eſt quoddam pati, non eſſe propriam illius functionem. Sed & contra hos illud facit, quòd mens materialis re diuerſa eſt à mente effectrice, id quod ſuo loco à nobis demonſtrabitur; & Ariſtoteles in lib.3. de anima 1. & 5. mentem capacem & materialem vocat eam animæ partem, qua intelligit anima & ſapit, & quod ſequitur, perſpicuè ſtatuit intelligere eſſe proprium munus mentis materialis, & non mentis effectricis. Et cùm in eodem lib. 18. omnia fieri tribuatur menti materiali & omnia facere menti effectrici, atque intelligere ſit omnia fieri, (mens etenim noſtra intelligendo ſit id, quod cadit in intelligentiam) quis non ſentiat noſtrum intelligere ſic eſſe mentis materialis, vt non ſit mentis effectricis? Atqui id in Ariſtotelis doctrina eſt adeo perſpicuum, vt ſuperuacaneum ſit plura argumenta conquirere, quibus hi refellantur.

Illorum confutatio, qui mentem effectricem propter phantaſmata introduxerunt. Cap. III.

CVM mentis effectricis munus non ſit noſtra intelligentia, nunc conſideremus, an illud in hoc ſit poſitum, vt iuuet noſtram intelligentiam. Ea, ſine quibus non abſoluitur actus intelligendi, duo in primis ſunt, phantaſmata, in quibus anima intelligit formas, & naturas rerum vniuerſas lib. 3. de anima 32, & mens materialis, quæ eſt illa pars animæ, qua intelligimus initio lib. eiuſdem; itaque ſi mens efficiens ſuam operam confert ad actum intelligendi obeundum, par eſt, vt vel propter phantaſmata, vel propter mentem materialem, vel denique propter

hanc ſimulq; propter illa eius opera poſtuletur. Pleriq; arbitrantur mentem effectricem propter phantaſmata eſſe inducendam, qui inter ſe ſunt diuiſi, nam alij ſentiunt phantaſmata deſiderare operam mentis effectricis, vt huius lumine colluſtrata in mente imprimant ſpecies intelligibiles: & alij inquiunt, cùm phantaſmata ſint materiæ tegumentis inuoluta, atque hæc ſint impedimento, ne illa poſſint mentem materialem mouere, neceſſariam eſſe mentis effectricis functionem, qua hæc integumenta, vt locus, tempus, & alia huius generis amoueantur, quibus detractis vniuerſa rei notio in phantaſmate delitescens emicat, quæ mentem mouet, menteq; comprehenditur. At verò de modo, quo mens effectrix phantaſmata illuſtret, tribuatq; phantaſmatis facultatem ſpecies in materiali mente imprimendi, duæ ſunt opiniones, vna Alberti, Simonis Portij, & aliorum quorundam ſentientium mentem effectricem exequi ſuum munus vim quandam ſpiritalem in phantaſmatis imprimendo; altera Caetani in com. lib. 3. de anima, & aliorum e D. Thomæ familia, qui aſſeuerant mentem effectricem ſua ſola præſentia, & nihil imprimendo phantaſmata illuſtrare, nam quemadmodum lumen colores illuminando nihil in his imprimit noui, ſed ſua ſola præſentia hos huiusmodi reddit, vt queant videri, & oculos mouere, eodem modo mentem effectricem ſua præſentia illuſtrare phantaſmata, & nihil imprimendo hæc idonea reddere, quæ mentem materialem moueant. Hos omnes arbitror alienos eſſe ab Ariſtotelis doctrina. Principiò nullus eſt vſus ſpecierum intelligibilium à phantaſmatis colluſtratis in mente impreſſarum; & phantaſmata mentis effectricis actione non amittunt ſuam naturam materiatam, neque iacturam faciunt tegumentorum materiæ; ergo inane eſt propter phantaſmata mentem effectricem introducere. Species intelligibiles in mente impreſſas nullam ex ſe fundere vtilitatem paulò poſt oſtendetur. Phantaſmata propter mentis effectricis actionem non exuere naturam materiatam, neq; iacturam facere integumen-

tarum

eorum materia duo poßunt perſuadere; Alterum, quia ſi phantaſmata exuerent naturam ſingularem, facultas imaginandi, quæ eſt virtus corporis, erit ſubiectum formæ vniuerſalis; locuſq; erit opinioni de vniuerſalibus re ipſa in rerum natura exiſtentibus ab Ariſtotele multis in locis euerſæ: Alterum, quoniam phantaſmata non mouerent vim imaginatricem. Nec verò exiſtimandum eſt phantaſmata alio tempore eſſe illuſtrata, & alio in tenebris poſita, atque hoc tempore accipi imaginatione, & illo mentem noſtram materialem mouere, quoniam cùm mens efficiens per modum naturæ ſuo munere fungatur, atque phantaſmatis ſemper adſit, neceſſe eſt phantaſmata, ſi hæc mentis effectricis lumine colluſtrantur, perpetuò eſſe illuſtrata. Deinde ſi mens efficiens propter phantaſmata induceretur, mente materiali eſſet minus nobilis, quod pugnat cum Ariſtotele in lib. 3. de anima 19. Hoc ſequi illud monſtrat, quia vniuſcuiuſque præſtantia ex muneris functione ſpectatur, & phantaſmata illuſtrare dignitate cedit ipſi intelligere, quòd eſt proprium munus mentis materialis, quando quidem illud ad hoc veluti ad finem refertur, huiuſq; gratia eſt comparatum. Atque iſtud argumentum eſt memoria tenendum, quippe quod in multas alias valet opiniones de munere mentis effectricis, quas ſuo loco proſequemur. Neque audiendi ſunt Conimbricenſes in lib. 3. de anima cap 5. quæſt. 1. art. 3. ſcribentes mentem effectricem abſolutè, ac ſimpliciter eſſe minus nobilem mente materiali, quamquam ſi in eo, quòd agit, inſpiciatur, ſit præſtantior mente materiali, ſi hæc ea ratione, qua patitur, venial in conſiderationem: Enim verò cùm Ariſtoteles in lib. 3. de anima 19. ex hoc, quòd mens efficiens dignitate ſuperet mentem materialem, concludat eam eſſe ſua ſubſtantia actionem, ex quo ſit eam eſſe ſeparabilem, immixtam & impatibilem, quæ attributa ſimpliciter, ac abſolutè ei accommodantur, neceſſe eſt vt ſentiat mentem effectricem abſolutè, ac ſimpliciter eſſe mente materiali nobiliorem. Accedit, quod cùm efficere mentis effectricis

ctricis ponatur esse phantasmata illustrare, quod est minus nobile eo, quod est intelligere, necessariò sequitur mentem effectricem in eo, quòd est efficiens, dignitate superari à mente materiali, cuius est intelligere. Rursus inuehere mentem effectricem, quæ illustret phantasmata, proximè accedit ad translationes, & fabulas poetarum, & perinde est, vt scitè inquit Fracastorius in lib. 1. de Intellectione, ac si poeta quispiam caneret.

Ollis diuina super mens
Astat magna micans, cuius radiata nitore,
Quæ fuerant obscura priùs, simulachra repente
Fiunt coram anima, claraque in luce refulgent,
Non aliter quam quæ cæca sub nocte tenentur,
Si feriat rutilum Solis iubar, omnia latè
Splendescunt, pulchraque petunt in luce videri.

Hæc si canat quispiam poeta, hic laude dignus existimabitur; sin philosophus fingat, hic indignus erit, qui audiatur, quia nullum lumen ex mente separata effunditur, nihilq; ex hac potest ad phantasmata peruenire. Laborant quidem huius decreti amatores, vt id aliquo pacto declarent, sed nihil proficiunt, & illæ duæ opiniones de modo, quo mens efficiens creditur illustrare phantasmata, hisq; tribuere vim mouendi mentem materialem, sunt improbabiles. Harum priori non est assentiendum, quoniam vt Auerroes in lib. 7. post nat. com. 31. scripsit, & alibi sæpè docuit, nulla substantia materiæ expers, cuiusmodi est mens efficiens, potest proximè agere in rem materiatam, veluti est phantasma: Huius ea est ratio, quoniam quicquid à re æterna distincta à materia proximè fluit, id simpliciter æternum est: atque in hoc omnis veterum philosophorum consensus conspirauit: & virtus, quæ rei materiatæ, ac caducæ tribuitur, necessariò est natiua, & caduca, peritq; re, in quam confertur, extincta. Præterea virtus, quæ tribuitur phantasmatis, vel est materiata, vel immateriata: si materiata ac singularis, quò causa erit, vt phantasma vim habeat mouendi mentem materialem,

rialem, ſi phantaſmata, quia ſunt materiata & ſingularia, nequeunt hanc per ſe ipſa mouere? & quò fieri poteſt, vt vis materiata à mente effectrice materia experte proximè fluat? Sin immateriata, hæc à phantaſmatis non poterit ſuſcipi, niſi materiatè, & niſi degeneret in virtutem materiatam iuxta illud axioma; quicquid ſuſcipitur, illud pro modo, & ratione rei ſuſcipientis ſuſcipitur; quapropter præſtò erit difficultas, qua ratione hæc virtus poſſit efficere vt phantaſma moueat mentem materialem. Amplius in quæſtionem cadit, quo modo virtus hæc producatur, & nunquid mens efficiens eam ex ſe exprimat, an educat ex phantaſmate: equidem non eſt, vt quis putet eam ex mente effectrice exprimi, quoniam mens efficiens ageret in ſe ipſam; hęcq; virtus e mente effectrice expreſſa migraret in phantaſmata; & quod ſequitur, forma & accidens ex alio in aliud ſubiectum migraret; quorum neutrum caret abſurditate: ſed nec etiam eſt, vt aliquis ſentiat eam educi ex phantaſmate, quia cùm phantaſma ſit materiatum, & ſingulare, fieri non poteſt, vt ex eo immateriatum, & ſpiritale educatur, cuius modi ſit hæc virtus oportet, ſi effectura eſt phantaſmata ex poteſtate intelligibilibus actu intelligibilia, & apta ac idonea, quæ moueant mentem materialem. At vero poſterior opinio non multam habet probabilitatem, quòd arduum ſit intellectu, quo pacto phantaſma poſſit aliter ſe habere, ac antè ſe habebat, ſine vlla ſui mutatione; quaue ratione, aliquid poſſit ex poteſtate in actum conſtitui abſque vlla cauſſa efficientis actione, qua in ipſo recipiatur. Dicere præterea quidpiam eſſe agens, quod non agat, nihilq; tribuat, quod accipiatur à patiente, perinde eſt, ac ſi diceretur agens non eſſe agens. Luminis exemplum, quo vtuntur huius opinionis amaſij, nullius eſt momenti ad fidem faciendā, quoniam lumen vel dat coloribus actum quendam, quo efficiuntur actu colores, ac perſpicuum & oculorum ſenſum mouere poſſunt, id quod traditum eſt à Lucretio in lib. 2. de rerum natura, & ab Auempace, ac Auicenna creditum; vel in medium agit

actione

actione vera ipſum colluſtrando, tenebrasq́ depellendo, quibus depulſis colores mouent perſpicuum, & aſpectum immutant. Quòd recentes quidam, & Conimbricenſes ex hac difficultate ſeſe expediant ſtatuentes mentem effectricem illuminare phantaſmata, non quia his aliquid luminis impertiat, ſed quoniam tanquam lux externa ſui rady coniunctione hæc eleuat ad intelligibilem ſpeciem producendam, hoc nihil eſt, & ad eaſdem relabimur difficultates, nã, vt mittam ex mente effectrice nullos radios immitti in phantaſmata, neque quid ſint radÿ, mente concipi poſſe, hos interrogo, nunquid coniunctione radÿ imprimatur aliquid in phantaſmatis; ſi affirment, neceſſe habebunt explicare id ſitne materiatum, an immateriatum: ſin negent, phantaſmata eodem ſe habebunt modo: at ſi hæc non aliter ſe habent, quì fit, vt huius radÿ coniunctione vim acquirant ſpecies intelligibiles producendi? Quòd ſi hi aut alÿ poſthabita phantaſmatum colluſtratione abeant in illorum opinionem, qui ſtatuunt mentem effectricem nihil imprimere, ſed duntaxat diſpellere, & amouere materiæ conditiones, quæ ſunt impedimento, ne phantaſmata moueant mẽtem materialem, nihil quoque proficient, quia quod amouet prohibens, id actione aliqua antecedente amouet; quapropter mens efficiens non ſolùm remouebit, quod prohibet, verùm etiam aliquid imprimet, quod ipſi non admittunt, & nos non eſſe abſque difficultate declarauimus. Accedit, quòd cauſſa remouens id, quod affert impedimentum, & obſtat, non eſt cauſſa princeps, & per ſe, qualis inducitur mens efficiens ab Ariſtotele. Sed & id improbabile eſſe intelligitur ex argumento, quo id à Durando fuit caſtigatum, quodq́ eſt: Si mens efficiens quippiam e phantaſmatis remoueret, hac remotione vel reapſe tolleret aliquam formam, & naturam in phantaſmatis poſitam, vel ſola ratione conficeretur: ſed actione mentis effectricis nulla natura re ipſa tollitur e phantaſmatis, quia in his nulla forma, aut corrumpitur, aut alio transfertur, quòd paſſio, qua phantaſmata afficiuntur actione mentis effectricis,

afferat

afferat perfectionem, & paſſione perficiente quod patitur, id nullius naturæ faciat amiſſionem; nec præterea ratio facit hanc remotionem, quòd rationis remotio non eſt ſine cognitione illius, quod ſeparatur; & mens efficiens de ſententia horum ſic ſeparat & amouet, vt nullam habeat cognitionem illius, quod remouetur: non igitur munus mentis effectricis in hoc conſumitur, quod eſt quippiam tollere e phantaſmatis.

Reprehenduntur illi, à quibus mens effectrix poſita eſt propter mentem materialem. Cap. IIII.

SVnt alij, qui à mente effectrice ſuam operam poſtulant propter mentem materialem; atque hi ſunt inter ſe diuiſi: Enimuerò cùm in mente materiali tria reperiantur actus, ſpecies intelligibilis, & ſubſtantia ipſius mentis, alij propter actum intelligendi; quidam propter ſpecies; & nonnulli propter ſubſtantiam mentis materialis deſiderant operam mentis effectricis. Iandunus in quæſt. 23. lib. 3. de anima exiſtimat mentem effectricem in mente materiali efficere actum intelligendi, qui perſpicuè fallitur, nam cùm ſentiat mentem efficientem eſſe quaſi formam mentis materialis, neque poſſe ab ea diuelli, profectò ſi illa in hac efficeret actum intelligendi, forma in ſuam materiam ageret; & quod eſt vnum concretione, id à ſe ipſo pateretur: quod fieri non poſſe aſſeueratum eſt in lib. 1. de gen. & int. 87. & in lib. 9. poſtnat. 2. Præterea quod agit per modum naturæ, id agit perpetuò; ſed mens efficiens ſic ab omnibus eſt introducta, vt in ſuo opere per naturæ modum verſetur: ergo sè hęc efficit in mente materiali actum intelligendi, perpetuò hunc efficiat, eſt neceſſe; quare mens materialis perpetuò intelliget, nullaq; erit in nobis intermiſſio actus intelligendi: quod tam falſum eſt, quàm quod maximè. Quinetiam cùm actus intelligendi ab Ariſtotele fuerit menti materiali tributus, ſequitur

illum

illum huic extrinsecus accedere, neque ex intima huius natura fluere: Et denique cùm intelligere sit pati lib. 3. de anima 2. sequitur, si id mentis effectricis actione in mente materiali producatur, passionis esse actionem, & motus motum contra ea, quæ in lib. 5. phys. sunt constituta. Verùm Iandunum in hoc dogmate falsum esse planè quoque intelligetur, natura mentis effectricis patefacta; nam cùm simus ostensuri hanc mentem non esse aliquid nostri, vel mentis humanæ, atque actus intelligendi sit propria hominis functio, in ipsiusq; facultate positus, necesse est huius principium in nobis esse, neque hunc nobis extrinsecus accedere. Priscianus Lydus, Iamblicus, & Simplicius sentiunt rationes, ac species rerũ omniũ insitas esse in substãtia nostræ mẽtis, cæterùm ob corporis crassitiem ita obscuratas, vt eas mens nequeat perspicere; quocirca necessarium esse mentis effectricis munus, quo hæ species illustrentur, & corporis caligo discutiatur sic, vt mens nostra in has intueri, & has dispicere queat. Quòd si obijcias Aristotelem affirmantem mentem nostram esse omnia potestate, respondet Priscianus Lydus in lib. de phantasia, & intellectu ex Theophrasto mentem esse omnia potestate, atque omnia fieri non ita accipiendum esse, quasi mens sit pura simplexq; potestas, & nihil actu existat, (non enim vllum esset discrimen inter ipsam, & materiam primam) sed proportione, ac similitudine, nam quemadmodum in naturalibus, quod potestate est, id ab alio perficitur, ita mens materialis à mente effectrice absoluitur, ac perficitur, huiusq; opera indiget, vt intelligibilia in eius substantia insita, & corporis caligine obscurata illustrentur sic, vt in hæc possit intueri, & intuendo rerum cognitionem sibi comparare. Hi absunt ab Aristotelis doctrina, quæ nullas species admittit insitas in substantia nostræ mentis: Hoc est Platonis dogma, cui Aristoteles non accedit, quippe qui in lib. 3. de anima 14. statuit mentem nostrã, antequam intelligat, similem esse tabulæ scriptoriæ, in qua nihil actu est conscriptum; hancq; ijs donat attributis, quæ cum his speciebus nullæ

ratione

ratione cohærent, quæq; ſunt ſpecierum eſſe capacem; immixtam eſſe, hoc eſt non habere in ſe admixtum quidquam eorum, quæ primùm ac per ſe cadunt in ipſius intelligentiam; eſſe poteſtate, & nihil actu eorum, quæ ſunt, antequam intelligat; eſſe locum ſpecierum non actu, ſed poteſtate; & deniq; omnia fieri. Hæc attributa ſi quis legitimè voluerit interpretari, procul dubio fatebitur Ariſtotelem non approbare haſce ſpecies in noſtræ mentis ſubſtantia ingeneratas. Horum opinioni proxima eſt opinio Nobilij, qui in lib. 3. de hominis fælicitate inducit mentem effectricem, quæ in mente materiali efficiat formas rerum vniverſas. Putat enim à mente materiali primùm accipi rerum ſingularum formas ſingulares, atq; intelligi; deinde mentis effectricis lumine colluſtrari, vniverſasq; reddi, & vniversè intelligi. Eiuſdem opinionis eſt Mazonius in lib. 1. de comparatione Platonis & Ariſtotelis ſect. 3. cap. 3. & ſunt, qui putent eandem fluxiſſe à Themiſtio, qui in lib. 3. de anima cap. 24. ſcribit mentem noſtram, quæ poteſtate eſt, formas diſcernere non poſſe, neq; ex alijs tranſire in alias, neq; componere, neq; diuidere, ſed quaſi theſaurum notionum, aut quaſi materiam & ſyluam potius à ſenſu & imaginatione ſuſcepta ſimulachra condere ac reponere in memoria; ad ſe autem mente effectrice accedente, & materiam iſtam notionum inuadente ac illuſtrante, hocq; modo efficiente actu intelligibilia effici, vt mens noſtra euadat actu, atq; libero diſcurſu poſſit diuidere, & circunſpicere ſingula. Hi non carent reprehenſione, nam rogo, nunquid hæ formæ ſingulares à mente materiali ſuſceptæ ſint phantaſmata: ſi negent, ab Ariſtotele diſcordabunt, de cuius ſententia in lib. 3. de anima 32. & 39. mens noſtra intelligit formas rerum vniverſas in phantaſmatis: etènim horum opinione conceſſa mens noſtra non in phantaſmatis, quæ tanquam in theſauro recondita ſunt in facultatis imaginatricis inſtrumento, ſed in ſe ipſa, atque in ſpecibus ſingularibus in ipſa impreſſis quiditates, & naturas rerum vniverſas intelligeret. Sin affirment,

velintq; phantaſmata à mente ſuſcipi, & in mente hærere, videant, ne tanquam ſuperuacaneam eiçiant vim imaginatricem, quandoquidem phantaſmatis in mente materiali poſitis hæc non ſecus ac vis imaginandi poterit in phantaſmatis verſari; aut ne incurrant in Auempacis & Abubacheri opinionem ab Auerroe in lib. 3. de anima com 5. expugnatam, quæ ſtatuit mentem, quæ in nobis eſt principium intelligendi, eſſe vim imaginatricem: enim vero cùm imaginatio fuerit ab Ariſtotele finita motus, qui fit à ſenſu, qui eſt actu, hoc eſt functio circa ſimulachra in anima actione ſenſuum relicta, quæ, vt inquit Alexander in lib. 1. de anima cap. de vi phantaſtica, ſenſus actu appellantur, quoniam functionis ſenſuum opera ſunt, ab actuq; ſenſibus efficiuntur, planè cùm hæc ſimulachra ſint phantaſmata, ſi in his dignoſcendis mens verſaretur, huius functio erit imaginatio, ipſaq; videbitur vis imaginatrix. Præterea hac opinione poſita tollitur diſcrimen inter mentem, ſenſum, & materiam, quod efficit ſuſceptio formarum vniuerſarum, & ab omni materiæ labe ſeiunctarum. De hac ſuſceptione, differentiaq; verba faciens Alexander in lib. 1. de anima inquit ſpecies ſuſcipi aut quemadmodum à materia, quod eſt eius rei, quæ ſuſcipitur, materiam & ſubiectum fieri; aut non quemadmodum à materia, ſiue ſine materia; hocq; modo vel cum materiæ conditionibus coherentes, vel ipſas per ſe ſolas ſeparatas ab omnibus materiæ proprietatibus; primumq; modum eſſe earum rerum, quæ propriè ac ſimpliciter pati dicuntur, ſecundum ſenſus, & tertium mentis. Si igitur mens ſuſcipiat formas rerum ſingularium, & materiæ proprietatibus coniunctas, quì poterimus tueri diſcrimen inter ſenſum & mentem? Quin immo mens erit ſenſus, qui finitur in lib. 2. de anima 121. id, quod eſt capax ſpecierum citra materiam: Hinc ſcripſit Auerroes in lib. 3. de anima com. 6. virtutem, quæ recipit formas indiuiduas & ſingulares, hasq; cognoſcit ſenſum eſſe neceſſariò aut exteriorem, aut interiorem. Non ſum neſcius arduam eſſe inter Peripate-

ticos

tiços controuerſiam, an mente res ſingulares comprehendantur; verùm in hac controuerſia Alexandri & Plutarchi opinio, quæ eripit menti rerum ſingularium cognitionem, mihi ſemper viſa eſt magnopere probabilis; etenim ſi mente vlla haberetur cognitio rerum ſingularium ac ſenſibilium, non ſatis ſyncerè conficeretur ab Ariſtotele in lib. 3. de anima 37. animam noſtram eſſe quodam modo omnia, quoniam cùm hæc ſint aut ſenſibilia & ſingularia, aut intelligibilia & vniuerſalia, anima ſenſu vtendo fit ſenſibilia & ſingularia, mentemq; adhibendo intelligibilia & vniuerſalia: nec præterea ab eodem in lib. 2. eiuſdem operis 145. neceſſariè concluderetur nos ſenſu diſcernere ſenſibilium diſcrimina, propterea quòd ſunt ſenſibilia: Quinetiam ſequeretur ſingulare eſſe actu intelligibile, quod falſum eſſe id perſuadet, quòd formæ ſingulares quandiu ſunt huiuſmodi, & cum materiæ proprietatibus implicitæ, tandiu ſunt poteſtate intelligibiles, nec priùs fiunt actu intelligibiles, quàm à materia & à materiæ conditionibus ſeparentur lib. 3. de anima 16. Id conſequi ex eo intelligitur, quoniam quemadmodum ſenſui nihil obijcitur ſic, vt moueat ipſum, niſi fuerit actu ſenſibile, nam quod mouet, actu eſt lib. 3. phyſ. 17. eodem modo nihil poteſt obyci noſtræ menti ad intelligendum, niſi id fuerit actu intelligibile; quare ſi ſingulares individuæq; formæ mente dijudicarentur, hæc profectò eſſent actu intelligibiles. Sed de hac quæſtione plura dicere ſupersedeamus, quæ ſatis fuſam poſtulat diſputationem. Ex his conſtat Nobilium & Mazonium non carere difficultate ſtatuentes formas rerum ſingulares in noſtra mente imprimi, ab hacq; intelligi; qui præterea non carent accuſatione in mentis effectricis officio: cùm enim anima noſtra (quod paulò poſt declarabimus) illius ſit authoritatis, vt mente valeat colligere notiones rerum vniuerſas, non eſt, vt mentis effectricis officium flagitetur, quo in mente notiones rerum vniuerſæ efficiantur. Sunt denique alij, qui arbitrantur mentem effectricem in mente materiali efficere apparatum

quemdam, &, vt vocant, ſpiritale quoddam lumen adiuuans & diſponẽs vel ad ſpecierum intelligibilium ſuſceptionem, quod Albertus, Gaietanus Tienenſis, & Sueſſanus exiſtimant, vel ad intelligendi & iudicandi functionem, quod nonnulli ex Auerrois ſectatoribus ſenſerunt, quorum meminit Bacconus in lib. 1. ſent. quaſt. 2. prologi. His non poſſum aſſentiri tum propter multa, quæ contra alios explicata in hos quoq; valent; tum etiam quoniam ſi mens efficiens mentem noſtram diſponeret ad ſpecies intelligibiles ſuſcipiendas, quæ à phantaſmatis in ea imprimuntur, hoc in munere primas partes phantaſmatis concederet, quòd tribuens formam ſit amplioris authoritatis, ac ſit id, quod materiam adiuuat ad formæ ſuſceptionem. Quinetiam hic apparatus eſt ſuperuacaneus, quando quidem mens noſtra ſuâ vi, ſuâque naturâ eſt capax ſpecierum intelligibilium, omnesq; has poteſt ſuſcipere abſq; vllo apparatu, & aptè idonea videtur ex ſe promere actum intelligendi. Et ſi mens noſtra iuxta horum ſententiam abſq; vllo apparatu excipit hunc apparatum à mente effectrice productum, cur ſine apparatu non poterit excipere aut ſpecies intelligibiles à phantaſmatis productas, aut actum intelligendi, quæ ipſius eſt propria muneris functio? Et ſanè ſi cernere eſt ſenſus abſq; vlla inſtructione & apparatione, quæ exterioris efficientis opera accedat, ſenſibiles ſpecies ſuſcipere, ſuaq; munia obire, planè conſentaneum eſt mentem noſtram, ne his ſit deterior, per ſe ſolam ſatis eſſe ad ſpecies intelligibiles excipiendas, ad ſuumq; munus peragendum.

Reprehenſio illorum, qui mentem effectricem & propter phantaſmata, & propter mentem materialem ſunt amplexati. Cap. V.

PRater hos ſunt alij, qui mentem effectricem inducunt & propter phantaſmata, & propter mentem noſtram materialem. In his eſt Egidius in quolib. 2. quæſt. 22. & videtur Auer-

roes,

roës, qui in lib. 3. de anima com. 5. ſentit mentem effectricem eſſe cauſſam principem menti materiali, vt hæc queat ſpecies intelligibiles ſuſcipere; & phantaſmatis vim tribuere, qua poſſint mentem materialem mouere, atq; in hac excitare ſpecies intelligibiles. Hoc Auerrois dogma ijs incommodis obnoxium eſt, quibus placita ſuperiora premuntur. Zabarella his ſeſe adiunxit, cæterùm alio modo poſtulat mentis effectricis operam propter phantaſmata, & alio modo propter mentem materialem: Scribit enim mentem effectricem phantaſmatis ſuam operam commodare, quia hæc ſunt poteſtate intelligibilia, nec poſſunt actu mouere mentem materialem, niſi mens efficiens cum ipſis coniungatur vti forma quædam aduentitia, non ſecus atq; lumen, quod coloribus coniunctum hos efficit actu ſic, vt aſpectum queant mouere; menti materiali ſuam operam præſtare veluti cauſſam efficientem, quæ ipſam ducat de poteſtate in actum: Agere verò in mentem materialem non per ſe ſolam, & à phantaſmatis diſiunctam, ſed his coniunctam, ita vt ex mente effectrice atq; phantaſmatis conſtituatur obiectum perfectum & integrum mouens mentem noſtram materialem: Verùm vt huius viri opinio commodiùs intelligatur, ſciendum eſt phantaſma in facultate imaginatrice poſitum ex multis varijsq; naturis eſſe concretum, quæ in ipſo ſunt confuſæ, ſimulq; commixtæ, vt in pomi phantaſmate reperitur natura magnitudinis, natura coloris, natura ſaporis, natura odoris, natura figuræ, quæ naturæ ſunt inter ſe confuſæ, ac permixtæ, vt per ſe ſolæ, & ſine alijs, quibus ſunt coniunctæ, nequeant mouere mentem materialem: Itaq; mens efficiens eſt inducenda, quæ huic phantaſmati tanquam forma coniuncta ſuâ operâ præſtet, vt omnes hæ naturæ per ſe ſingulæ, ſolitariæ, & ab alijs ſeparatæ in mentis conſpectum adducantur, quæ in eas intuens ſingulas per ſe ſolas contempletur. De ſententia igitur huius viri mens efficiens eſt inducenda, vt eius opera naturæ, quæ confuſæ, vnàq; permixtæ reperiuntur in phantaſmate, à ſe inuicem ſeparentur ſic, vt

ſingu-

ſingulas ſeparatim mens noſtra poſſit diſcernere ac contemplari; & præterea vi phantaſmatis coniuncta veluti eorum forma & perfectio agat in mentem materialem ducendo eam de poteſtate in actum: quæ re duo ſunt illius vſus, alter reſpectu phantaſmatum, quem præbet habens rationem formæ phantaſmata perficientis; alter reſpectu mentis materialis, in quo phantaſmatis copulata conſtituit integrum perfectumq; obiectum noſtræ mentis, ubiq; rationem efficientis, & mouentis mentem noſtram de poteſtate in actum. Hanc opinionem accuſamus, quòd nulla cauſſa, quæ ſit neceſſaria, poſſit afferri, propter quam noſtræ menti ſit adimenda facultas diſtinguendi ac ſeparandi eas naturas, quæ inter ſe confuſæ ac commixtæ in phantaſmatis conſiſtunt, abſq; vllo mentis effectricis adiumento. Et ſanè cùm in rerum mathematicarum contemplatione mens noſtra ſeparet magnitudinem à materia ſenſibili, eamq; per ſe ac ſeparatam conſideret mente effectrice ſuam operam non conferente, non ſatis intelligo, cur eadem noſtra mens nequeat proprijs viribus diſtinguere, ſeparare, ordineq; diſponere illas naturas, quæ ſimul complicatæ ſunt in phantaſmatis, atq; eas per ſe ſingulas & ſolitarias contemplari: Deinde hic vir cùm ſentiat mentem noſtram in phantaſmatis apprehendere non ſolum naturam vniuerſam, verùm etiam ipſum ſingulare, arduum eſt intelligere, quo nam modo phantaſma poſſit idem vniuersè ac ſingulariter menti obijcere, & præſertim cùm phantaſma nunquam non ſit coniunctum cum mente effectrice, ex qua nanciſcitur, quod moueat vniuersè. Quod ſi quoq; conceſſum fuerit poſſe ſingulariter mouere, cauſſa erit aperienda, cur non ſimul hoc & illo modo mentem moueat, ſed aliàs vniuersè, & aliàs ſingulariter. Scire præterea vellẽ, cùm ex mentis effectricis copulatione cum phantaſmate omnes naturæ, quæ in hoc ſunt incluſæ, vim acquirant mouendi mentem noſtram, ecquid cauſſa ſit, cur hæc, & non illa primùm moueat? Nec verò reſpondendum eſt illam primùm mouere, quæ vim habet firmiorem, quoniam hæc ſemper

per moueret, nec mens ab alia, dum hæc maneret integra, vnquam moueretur. Rursus si mens efficiens phantasmatis adiuncta constituit integrum ac perfectum obiectum mouens mentem materialem, hæc non secus, ac naturæ in phantasmatis positæ, mentem nostram moueret, à nobisq; intelligeretur, quod falsum est perspicuè: Non enim dum naturæ in phantasmatis residentes intelliguntur à nobis, vnà quoq; mens efficiens intelligitur. Postremò si ex mentis effectricis copulatione cum phantasmatis separantur à se inuicem naturæ in phantasmatis inclusæ, hæc separatio est ne realis, an in sola ratione consistens? planè quicquid fuerit positum, id non esse absq; crimine satis abundè supra fuit patefactum.

Variæ opiniones de modo, quò rei vniuersæ notio gignitur in nobis, confutantur. Cap. VI.

CAussa, quæ hos & alios induxit, vt errarent, ea fuit, quia modum, quo forma vniuersa gignitur in nobis, & mente comprehenditur, ignorarunt, quem si tenuissent, nunquam in tot tantasq; difficultates incidissent. Nos igitur antequam longiùs progrediamur, hac de re nonnulla dicemus, modumq; aperiemus, quo formas rerum vniuersas in nostra mente gigni existimamus. Pleriq; Peripateticorum vna voce, vnoq; animo consentiunt rerum vniuersarum fabricationem esse opus mentis effectricis, at in modo explicando quo mens efficiens in hoc opere versatur, inter se grauissimè dissentiunt: Multorum est opinio phantasmata in imaginatione posita ex mentis effectricis præsentia vim acquirere, per quam in mente materiali excitant formas vniuersas earum rerum, quarum sunt phantasmata: Hos improbabilem habere opinionem intelligitur ex ijs, quę contra illos fuerunt disputata, qui propter phantasmata inducunt mentem effectricem; & præterea ex hoc, quod nulla causa possit

afferri,

afferri, cur non omnes hæ ſpecies ac formæ rerum vniuerſæ ſimul moueant mentem, ſimulq; intelligantur. Reſpondent nonnulli quæſtionem eſſe vel de diuerſorum phantaſmatum ſpeciebus, vel de vnius & eiuſdem phantaſmatis ſpeciebus: ſi ſit quæſtio de ſpeciebus diuerſorum phantaſmatum, cauſſam afferri poſſe, quod hoc phantaſma imaginatione verſetur, actuq; ſit, illud non verſetur, & ſit poteſtate: ſin verò de ſpeciebus vnius & eiuſdem phantaſmatis, cauſſam eſſe conijciendam in noſtram voluntatem, nam actiones efficiendi actu intelligibilia, & eadem ſuſcipiendi in noſtra voluntate poſitas eſſe. Hi nihil proficiunt, cauſſaq; prior ruit, quia intelligendi actus non habet neceſſariam connexionem poſita horum opinione cum actu imaginandi, ſed ab hoc diuulſus poteſt exerceri, quocirca cur hoc, & non illud intelligatur, non eſt in cauſſa, quòd huius, & non illius phantaſma imaginatione verſetur. Adiungendum eſt tantùm abeſſe, vt actus imaginandi eodem indiuiduo tempore expleatur, quo actus intelligendi, vt id fieri non poſſit, quod quiuis facilè comprehendet, qui hac in re voluerit cogitationem defigere. Cauſſa poſterior labefactatur, quoniam actio efficiendi actu intelligibilia, vt hi exiſtimant, eſt actio mentis effectricis, quæ non eſt in noſtra voluntate poſita, quòd mens efficiens more naturæ ſuum munus obeat. Quòd ſi actu intelligibilia diſtinxerint in ea, quæ actu primo ſunt intelligibilia, & in ea, quæ actu ſecundo, atq; illa tribuerint menti effectrici, & hac voluntati noſtræ, admonendi erunt voluntatis actum eſſe poſteriorem actu intelligendi, in idq; ſolum ferri voluntatem, quod antè fuit mente comprehenſum: Itaq; non eſſe ad voluntatem confugiendum in afferenda cauſſa, cur non omnes ſpecies ſimul moueant mentem, ſimulq; intelligantur. Sentiunt alij ad præſentiam phantaſmatis in imaginatione poſiti mentem effectricem excitari, atq; perficere mentem materialem illuſtrando, ac veluti e tenebris euocando ſpecies rerum vniuerſas in ea ſitas ſic vt ipſa valeat has diſcernere atq; contemplari. Id autem nobis

ante

ante oculos ponere poſſumus huiſmodi exemplo: Sant, qui literas in charta deſcribunt ſuccocapæ, quæ tandiu iacent occultæ, quandiu abſunt ab ignis calore, cuius operà vt primùm charta incaluit, hæ continuò emicant, ac ſe patefaciunt, haud ratione diſſimili in mente noſtra deſcriptæ ſunt formæ rerum vniuerſæ, quæ lumine mentis effectricis abſente non poſſunt ab ea comprehendi; cùm primùm verò mens noſtra mentis effectricis lumine colluſtratur, tum hæ formæ, quę ante non apparebant, ſe produnt, & à mente apprehenduntur. Hi quoq; non carent accuſatione, quia ſi ad phantaſmatum præſentiam mens efficiens excitaretur ad mentem noſtram perficiendam, phantaſmata mentem effectricem mouerent, quod pugnat cum communi Peripateticorum conſenſu. Quòd ſi dixerint phantaſmatum præſentiâ nihil effici in mente effectrice, cauſſa erit afferenda, cur hæc mens per ſe ſola abſq; phantaſmatis præſentibus nequeat mentem materialem abſoluere & illuſtrare. Deinde hi ſi eſſent veri, Ariſtoteles non eſſet verus, qui ſtatuit oportere animam intelligentem phantaſmata intueri, nam ex horum ſententia phantaſmata ſolùm excitant mentem effectricem ad illuſtrandam mentem materialem, nec vllum vſum præbent, ex quo ſequatur neceſſarium eſſe animam intelligentem ipſa habere propoſita, in quæ intueatur. Præterea conſentaneum non eſt noſtram mentem non poſſe abſq; mentis effectricis officio formas rerum vniuerſas in ſe poſitas comprehendere, cùm ſenſus, qui eſt minoris dignitatis, eam habeat vim, qua iudicat ac diſcernit omnia in ſe poſita ſine vllo exterioris efficientis adiumento. Neq; hi abeant in illorum opinionem, qui voluerunt has formas eſſe in mentis ſubſtantia ingeneratas, atq; ob corporis craſſitiem adeo obſcuratas, vt non antea cadant in noſtræ mentis comprehenſionem, quàm vniuerſa caligo fuerit diſcuſſa à mentis effectricis lumine; nam & non placere Ariſtoteli ſpecies in noſtra mente inſitas idoneo loco fuit declaratum; & abſurdum eſt mentem, dum corpori coniungitur, in aliquod detrimentum incurrere, ſi quidem cùm

naturalis ſit connexio mentis & corporis, conſentaneum eſt ex hac mentem abſolui & compleri, nihilq; detrimenti ad ipſam peruenire. Philoponus in com. lib. 3. de anima 18. exponens illud Ariſtotelis, mens efficiens omnia efficit, ſcribit id dictum eſſe ab Ariſtotele, quoniam mens efficiens rerum omnium typos in mente poteſtatis, ſiue materiali deſcribit, qua de cauſſa à Platone dici ſimilem ſcriptorio ſtylo, ab Ariſtotele autem ſcriptorem ſtatui. Hac Theophilum Zimaram in huius loci commentarijs induxerunt, vt ſentiret mentem effectricem à phantaſmatis excitatam ſpecies rerum vniuerſas in mente materiali deſcribere. Atqui mirum eſt hunc virum fidem hac in re adhibuiſſe Philopono, qui cùm probet Plutarchi opinionem ſentientis mentem effectricem eſſe eam mentem, quæ mens actu vocatur, & ratione tantùm ac tempore, non re ac ſubſtantiâ eſt à mente poteſtatis diuerſa, velit mentem effectricem veluti ſcriptorem typos ac ſimulachra rerum in mente poteſtatis perſcribere non intelligens hæc decreta non poſſe inter ſe cohærere, quòd in omnibus id, quod efficit, ab eo, quod patitur, ſit re ac ſubſtantiâ diſiunctum ac ſeparatum. Hic quinetiam rogandus eſt, vt aperiat rationem cauſſæ, quam ſubeunt phantaſmata mentem effectricem excitantia ad nouas ſpecies in mente materiali deſcribendas; nam ſi ſingulos cauſſarum modos ab Ariſtotele expoſitos nobis ante oculos propoſuerimus, nullum, qui quadret in phantaſmata, perſpiciemus. Modus enim cauſſæ efficientis, qui vnus poteſt phantaſmatis congruere, eſt eijciendus, quòd nefas ſit mentem effectricem, cui magnus eſt nobilitatis gradus, à phantaſmatis moueri coniunctis cum materiæ proprietatibus. Probabit forſitan Platonis doctrinam ſtatuens phantaſmata eſſe tanquam exemplaria, quę mens effectrix intuendo depingit in mente materiali ſimiles formas; verùm audiat Ariſtotelem, qui in lib. 1. poſt nat. 32. accuſãs Platonem, quòd induxerit ideas, ad quarum ſimilitudinem cuncta, quæ naturà generantur, procreentur, ſtatuit id eſſe ſupernacaneũ, poeticiſq; tranſlationibus

non

non diſſimile. Quid præterea mens efficiens poteſt efficere inſpiciens phantaſmata, quæ ab eius comprehenſione ſunt remota? Alij alios tradiderunt modos, quibus notiones rerum vniuerſæ in nobis gignuntur mente effectrice ſuam operam conferente, ſed omnes in errore poſitos eſſe, & ex ijs, quæ dicta ſunt, poteſt intelligi; atq; ex eo, quoniam ſi modi ab his excogitati facerent cum veritate, omnes homines tam pueri, quàm adulti, & tam docti, quàm indocti notiones vniuerſas comprehenderent, quod tam falſum eſt, quàm quod maximè. Etenim ſi puerum, aut illiteratum rudemq; hominem interrogemus, nunquid coloris naturam habeat perceptam à corpore, loco, tempore, figura, ac cæteris, quæ materiæ additamenta vocantur, ſeparatam, is putabit nos vana quærere, ſibiq; penitus ignota, quippe qui cùm in his naturis ſeparandis nondum aliquid operę & cogitationis poſuerit, nequit has materiæ proprietates ſeparare ac abijcere, & puram ſimplicemq; rei naturam contemplari.

Explicatio modi, quo fit in nobis notio rei vniuerſæ. Cap. VII.

CVm viris clariſſimis opinor notiones vniuerſas in anima noſtra excitari à multis ſingularibus priùs cognitis, cùm anima noſtra vtens vi imaginandi hæc interſe confert, atq; in quibus conueniunt, & in quibus differunt, animaduertit, operàq; mentis colligit id, quod in multis ſimile eſt, & ab alijs ſeiunctum contemplatur: Tanta eſt enim animi noſtri authoritas, vt quæ coniuncta ſunt, diſiungat, & ſingula per ſe ſola perſpiciat, ac præterea quæ diſiuncta ſunt, coniungat, atq; copulata intueatur. Verùm id vt facilius in notitiam veniat, exemplo declarandum eſt: Animis noſtris fingamus niuē in aſpectum cadere, huiuſq; ſimulachrum oculis hauſtum in imaginationem diuturno tempore ſeruari: Hoc anima noſtra diu multumq; tractando perſpicit naturas omnes, quæ ipſi ſunt coniunctæ, quæq; materia pro-

prietates ſolent nominari, veluti ſunt color, magnitudo, figura, tempus, numerus, locus, & huius generis reliqua. Porrò ex hoc ſingulari cognito nequit fieri, vt exiſtat notio vniuerſa quæ ſit prima in anima futura; itaq; animis noſtris iterum fingamus aliud ſimile ſingulare, vt exempli gratia lac ſenſibus accipi, huiuſq; ſimulachrum in imaginatione reponi, in cuius inſpectione animus non ſecus verſetur, atq; in alterius, quod erat niuis, meditatione. His duobus ſingularibus in anima exiſtentibus principium quoddam habemus ad confingendam vniuerſam albedinis notionem, ſiquidem anima noſtra facultate imaginatrice in hæc ſingularia intuens, eaq; variè volutans cognoſcit ea, in quibus ſunt diſſimilia, & id, in quo ſimilia ſunt, videlicet albedinem; in huius verò cognitione defixa ipſam perſpicit ſine lacte, dum eam in niue comprehendit, & ſine niue, dum eandem in lacte cognoſcit; longiùſq; progreatens, eandem cernit ſine ijs naturis, quæ lac comitantur, cum niui coniunctam animaduertit, atq; ſine ijs, quæ niuis propria ſunt, cùm ad lac intuitum conuerit. Quapropter anima noſtra intuens hæc omnia interdum albedini coniuncta, & interdum ab albedine ſeiuncta hac mente ſeparat à natura albedinis (poteſt enim anima noſtra & coniuncta diuidere, & diuiſa coniungere) hancq; per ſe ſolam intuetur non conſiderans, neq; animaduertens, quæ ſunt ipſi copulata. At qui ſpeciem aliquam abſq; materia & materiæ proprietatibus cognitam habet, is id quod eſt commune ac vniuerſum, comprehendit: Ergo vbi anima noſtra albedinis ſpeciem ſegregatis coniunctis, & ſine materiæ inuolucris mente accipit, nihil aliud intelligit, quàm communem albedinis naturam in multis rebus exiſtentem. Non itaq; notio vniuerſa à nobis ſtatim in lucem editis conficitur, ſed ætate progrediente, nobiſq; adultioribus factis, atq; in naturarum, quæ in phantaſmatis includuntur, & materiæ appendices appellantur, ſeparatione, coniunctioneq; exercitatis. Prima autem notio vniuerſa, quæ fit à nobis, non ſine quadam difficultate, & animi in-

quiſi-

quiſitione efficitur ; cùm verò multę fuerint factę, tum ſic promptè ac expeditè fiunt reliquę, vt etiam ex vnius phantaſmatis inſpectione notio vniuerſa oriatur abſq; vlla prorſus contentione. Porrò quemadmodum e lacte & niue fit albedinis notio vniuerſa, ita & coniunctorum eodem modo fiunt notiones vniuerſę, vt loci, figurę, magnitudinis numeri, & aliorum, quę coniuncta & materię additamenta nuncupamus. Has autem notiones nos animaduertentes eſſe naturarum perpetuarum, & ſingularia, à quibus fuerunt ſeparata, oriri & interire, hęc reſpuimus, & illas aſſumimus, quas contemplemur. Hoc modo in nobis exiſtere notionem vniuerſam, ac mente comprehendi tum is intelliget, qui in hoc totam mentem defixerit, animaduerteritq; nos multorum ſingularium in vnoquoq; genere tractatione & vſu meliùs ac facilìùs notiones vniuerſas mente concipere ; tum is exiſtimabit, qui fidem habuerit ijs, quę ab Alexandro ſcribuntur in lib. 1. de anima cap. de mente actiua & ſpeculatiua in hunc modum : Homo paſſim videns & audiens & cæterorum pariter ſenſuum officio fungens ſentit, deformatur, figuraturq; à ſenſibus, & prius ex eo formarum figurarumq; veſtigio, quod ſeruat in ſeſe, recordari aſſueſcit; mox tum ex, memoria, tum ex pertinaci atq; aſſidua ſenſuum circa res ſenſibiles functione tranſitu quodam fertur ab eo, quod hoc aliquid dicitur, & ſingulare eſt, ad id, quod vniuerſale, & tale quid nuncupatur, idq; experimento intercedente conſequitur: Vbi enim ſenſus hoc & illud album ſingulatim excipit, confeſtim intellectus ex his ſenſilium formarum ſuſceptionibus colorem album vniuerſum percipit ; idemq; in reliquis ſenſibus efficit. Et proculdubio eiuſmodi ſuſceptio, atq; ex ſingularium ſenſibilium ſimilitudine vniuerſæ naturę perceptio eſt intellectio: collectio enim ſimilium eſt intellectus functio. *His Alexander ſignificat modum à nobis expoſitum efficiendi notionem vniuerſam. Nonnulli vniuerſalia partientes in ſimplicia, quę ſunt ſimplices, purę*q;

puraq; rerum quiditates, & in compoſita, quæ ſunt propoſitiones: vniuerſales artium & ſcientiarum principia, dixerunt Alexandrum hoc in loco habere propoſita non priora vniuerſalia, quæ ſunt opera mentis effectricis, in noſtraq; mente excitantur ſine vlla collatione, & collectione ſimilitudinis ſingularium, ſed poſteriora, quæ ex multorum ſingularium collatione, ſumptionequ eius, quæ in illis eſt, ſimilitudinis generantur, de quibus Ariſtoteles quoq; loquitur in proem. lib. 1. poſtnat. & ſub exitum lib. 2. poſt. analyt. cùm docet ex memoria naſci experientiam, & ex hac vniuerſale, quod eſt artium & ſcientiarum principium: Hi animo non ſatis attento videntur Alexandri verba conſideraſſe, nam cùm in rebus materiatis aliud ſit id, quod eſt hoc aliquid, ac ſingulare, & aliud id, quod eſt eſſe rei, (illud eſt compoſitum ex forma & materia, hoc eſt pura ſimplexq; forma) ſentit Alexander ex cognitione illius, quod eſt hoc aliquid & ſingulare, comparari cognitionem illius, quod eſt eſſe rei: quocirca putat ſimplicia vniuerſalia, in quibus numeratur id, quod eſt eſſe rei, & quiditas nuncupatur, exiſtere in nobis eo modo, quo fuit expoſitus: quod quoq; voluit Themiſtius ſummus Alexandri ſectator, qui ſcripſit in lib. 3. de anima cap. 18. notiones communes ex ſenſibilibus ſingularibus colligi, noſq; via ſenſuum, & viſionum ope, multaq; adeo huius generis exercitatione vniuerſales notiones agnoſcere, & ſimilitudinem in diſſimilibus colligere, & idem in differentibus diſcretiſq; contemplari. Idem probauit Plutarchus, qui apud Philoponum in com. lib. 3. de anima 61. ſtatuit nos ſenſu apprehẽdere ſingularia, atq; ex his erigi ad vniuerſalium cognitionem: & amplexatus fuit Boethius, à quo traditum eſt in lib. de duabus naturis in Chriſto intellectum rerum vniuerſalium ex particularibus ſumptum eſſe: ſub exitum lib. 1. in Porphyrium à ſe traſlatum vniuerſalia eſſe cogitationes ex individuorum diſſimilium ſimilitudine collectas: & ad initium com. in cap. de ſubſtantia vniuerſales ſubſtantias ex individuorum cognitione colligi. In eandem opinionem Auer-

roes

roes declinauit in lib.12. poſtnat.com.4.vbi hæc habet: Vniuerſalia apud Ariſtotelem ſunt collecta ex particularibus in intellectu, qui accipit inter ea ſimilitudinem, & facit ea vnam intentionem. *Zimara in quæſt. de primo cognito hunc Auerrois locum interpretatur de ijs vniuerſalibus, quæ in ſecundis intentionibus ponuntur, & dicuntur de multis, quæq; fiunt à noſtra mente inter ſe comparante obiecta cognita, atq; ex his colligente ſimilitudines; & non de ijs, quæ ſunt primæ intentiones, & in multis ſunt, quæq; gignuntur à phantaſmatis lumine mentis effectricis colluſtratis. Hic multum errat, neq; Auerrois hoc in loco ſententiam probè tenet, nam hic de ijs vniuerſalibus loquitur, quæ Plato poſuit à rebus ſenſibilibus ſeiuncta, & quorum ſunt ſcientiæ ac diffinitiones: Hæc verò eſſe in primis intentionibus, & non in ſecundis nemo vnquam non putauit. Itaq; firmiter tenendum eſt Auerroem hoc in loco in noſtram opinionem deſcendiſſe, cuius quoq; fuit Fracaſtorius, qui in lib.1. de intellectione hanc rem luculentiſſimè fuit perſequutus. Hic cùm ſit modus quo fit in nobis notio rei vniuerſę, ratio poteſt hinc afferri illius ſimilitudinis, qua vtitur Ariſtoteles in lib.3. de anima 10. quæq; eſt: Anima cùm ſuppoſitum & quiditatem iudicat, ſimilis eſt lineæ extenſæ & inflexæ, ſiue fractæ: quæ ratio eſt obſcuriſſima, & à nemine (vt opinor) rectè explicata: Etenim anima iudicans ſuppoſitum & ſingulare ſimilis eſt lineę extenſæ ac ſimplici, quoniam hoc apprehendit recta ſimpliciq; actione, iudicans verò quiditatem ac naturam vniuerſam eſt inſtar lineæ inflexæ, ac fractæ, quoniam primùm actione directa apprehendit vnum phantaſma, quo apprehenſo ad alterum rei ſimilis conuertitur, ex quo fit, vt eius actio quodammodo frangatur ex vno phantaſmate ad aliud delata: Illud etiam dici poteſt; cùm anima fiat quodammodo id, quod iudicat, quia ſingulare cognoſcendo ſolùm percipit vnum, & quiditatem ac naturam vniuerſam contemplando multa percepta habet, in illius cognitione poſita eſt ſimplex, & in huius contemplatione verſans*

ſans duplex poteſt videri; quapropter ſingulare apprehendens ſimilis eſt lineæ ſimplici ac extenſæ, & quiditatem contemplans lineæ duplici & inflexæ. Sed & ex his intelligi poteſt, cur noſtra intelligentia non ſit abſq; imaginatione, neq; ſine phantaſmatis adminiſtretur: enimverò intelligere nihil aliud eſt, quàm mente accipere puram ſimplicemq; rei naturam, & quiditatem ſine ijs, quæ illi ſunt coniuncta; cùm autem hoc munus non perficiatur, niſi phantaſmata antea venerint in conſiderationem, atq; horum ſimilitudines & diſſimilitudines fuerint imaginatione comprehenſæ, conficitur intelligentiam non poſſe à nobis obiri, niſi actus facultatis imaginatricis prægrediatur, ſemperq; phãtaſmata poſtulare in imaginatione poſita: Verùm illud eſt attendendum quòd quamuis noſtra intelligentia nunquã ſit abſq; phantaſmatis, non tamen eſt neceſſe, vt ſemper facultatis imaginatricis actus circa multa variaq; ſenſibilia proximè antecedat, quoniam vbi diu ac multùm exercuerimus nos in vniverſis rerum notionibus colligendis, anima noſtra eam adipiſcitur perfectionem, vt ſine hoc actu facultatis imaginatricis, & ſine vlla collatione rerum ſingularium valeat in vno ſingulari phantaſmate apprehendere id, quod eſt commune ac vniverſum. Atq; id arbitror Ariſtotelem ſignificaſſe, cùm ſcripſit in lib. 3. de anima 8. mentem habitu per ſe ipſam agere poſſe, hoc eſt poſſe intelligere, atq; comprehendere notiones rerum vniverſas ſine facultatis imaginatricis officio in ſenſibilibus ſingularibus inter ſe conferendis. Ex his deniq; poteſt patere in cuius mentis partibus ſit officium abſtrahendi: Non enim hac in re illi verè ſentiunt, qui munus hoc tribuunt menti effectrici, nam cùm abſtractio nihil aliud ſit, quàm vnius rei comprehenſio illis, quæ ſunt ei coniuncta, non comprehenſis, (ex quo in lib. 11. poſtnat. cap. 3. ſcriptum eſt mathematicum cæteris poſthabitis ſolum quantum contemplari) atq; hæc ſit intelligentia, actuſq; ſecundus noſtræ mentis materialis, concluditur hanc mentem hoc munus ſuſtinere, aliudq; officium eſſe menti effectrici tribuendum.

Idem

Idem rursus vel ex eo potest confirmari, quòd abstractio, quæ in nobis gignitur notio rei vniuersæ, magnam habeat similitudinem illius abstractionis, quæ rerum est mathematicarum; si quidem hæ cùm sint in corpore naturali, neq; ab hoc re diuelli possint, Mathematicorum cogitatione disiunguntur ac liberantur à corpore naturali, atq; hoc modo solutæ ac liberæ ab omni materia & qualitate naturali considerantur: Quapropter quoniam hæc abstractio est opus mentis materialis, idq; intelligitur ex lib. 3. de anima 35. quo in loco docemur modum quo mens materialis versatur in perspiciendis rebus mathematicis; & illa sanè erit in operibus eiusdem nostræ mentis materialis. Et id quidem perspicuè sensit Themistius in cap. 22. lib. 3. de anima, vbi mens nostra formas materiales quasi detracta & exuta materia intelligibiles facit, quæ antè non actu, sed potestate intelligibiles habebantur. Nec secus senserunt Alexander, & Boethius statuentes vniuersam rei notionem colligi ex rerum singularium comparatione harum similitudine & dissimilitudine animaduersis. Atq; hæc dicta sint de modo, & ratione, quæ in nobis oriuntur notiones rerum vniuersæ, nunc redeamus ad mentis effectricis officium.

De munere & necessitate mentis effectricis quid sentiendum sit. Cap. VIII.

MVltas opiniones expugnauimus, nunc quid nos sentiamus de munere ac necessitate mentis effectricis, aperiemus. Hanc mentem esse inducendam propter mentem materialem Aristoteles significauit in lib. 3. de anima 18. vbi ex eo, quòd in anima sint patientis & agentis differentiæ, concluſit ponendas esse duas menies, quarum altera fiat omnia, & altera faciat omnia. Idem confirmat exemplum artis in tex. antecedente vsurpatum, quod est: Vt ars se habet ad materiam, ita efficiens ad id, quod patitur: ergo cùm artis effectio excipiatur

à materia ſubiecta, mens efficiens in mente materiali, ac patiente ſuam actionem explicabit. Accedit, quòd paucis interpoſitis Ariſtoteles affirmat mentem effectricem dignitate præſtare menti materiali, quia efficiens ſemper eſt præſtabilius eo, quod patitur: atqui quoniam hoc enunciatum abeſt a vero, niſi efficiẽs & patiens ad ſe mutuò referantur, concludendum eſt mentem effectricem ſubire rationem efficientis habita ratione mẽtis materialis. Verum quamquam id apud pleroſq; Peripateticos careat dubitatione, quid tamen mens effectrix efficiat in mente materiali, & in quo conſiſtat eius efficientia, tam dubium eſt, quàm quod maximè. Mea eſt ſententia mentem effectricem eſſe inducendam, vt ducat mentem materialem de poteſtate in actum, hoc eſt mentem effectricem ad hoc ſuam operam conferre, vt ſuâ efficientiâ mens materialis, quæ eſt poteſtate mens ac intelligibilis, efficiatur actu mens ac intelligibilis. Cùm verò mens effectrix duobus modis poſſit hoc munus ſuſtinere, modo ſcilicet efficientis, quo pacto ignis aerem calefacit, & modo formæ ac habitus, quo pacto caliditas ab aere ſuſcepta facit hunc ex poteſtate calidum actu calidum, arbitror mentis effectricis efficientiam vtroq; modo exerceri: & quòd quidem adminiſtretur per modum formæ & habitus perſpicuè voluit Ariſtoteles in lib. 3. de anima 18. Quapropter non poſſum non vehementer admirari tum de illis, qui mentem effectricem induxerunt propter phantaſmata, quorum nulla ratio eſt habita ab Ariſtotele in ea inducenda; tum etiam de ijs, qui eandem ſenſerunt non agere in mentem materialem per modum habitus & formæ Ariſtotele aſſeueranter dicente mentem effectricem ſuo fungi munere vt habitum quendam & lumen, quod colores, qui ſunt poteſtate, actu colores quodam modo facit. Verùm vt hæc fiant explicatiora, paulò altius initium eſt faciendum. In omni genere, in quo eſt quippiam poteſtate, vt fiat cuiuſdam modi, ponendum eſt alterum, quod ſuâ naturâ & propriè ſit actu huius modi, ſuiq; coniunctione ſiue participatione efficiat actu id, quod eſt

pote-

poteſtate: Exempli gratia in rerum aſpectabilium genere cùm colores ſint poteſtate aſpectabiles, ponendum eſt lumen, quod cùm ſuà naturà & propriè ſit actu aſpectabile, ſui participatione præſtat, vt colores efficiantur actu aſpectabiles. Cùm igitur noſtra mens materialis ſit poteſtate mens & intelligibilis, nã nulla eſt ipſius natura, niſi ea ſolùm, qua eſt poteſtate; & nihil eſt actu prorſus eorum, quæ ſunt, antequam intelligamus lib. 3. de anima 5. ſtatuendum eſt quodpiam, quod cùm ſuà naturà & propriè ſit actu mens & intelligibile, efficiat, vt ſui acceſſione noſtra mens ex poteſtate in actum progrediatur. Id autem eſt mens efficiens. Non enim ipſa mens materialis eam habet vim vt ſe transferat de poteſtate in actum, tum quia poteſtate continetur, tum etiam quia nihil à ſe ipſo abſoluitur: Nec præterea formæ rerum materiatarum, quæ à noſtra mente intelliguntur, has vices poſſunt ſuſtinere, quia non ſunt actu mentes & intelligibiles, ſed poteſtate, atq; tunc efficiuntur actu mentes ac intelligibiles, cùm intelliguntur: quocirca quoniam noſtræ menti acceptum ferunt, quòd fiant actu mentes, actuq; intelligibiles, nequeunt eſſe id, quod ſuà naturà cùm ſit huius modi, mentem noſtram ſui participatione ex poteſtate in actum traducit. Reſtat igitur, vt quicquid huius eſt officij, id tribuatur menti præſantiori, quæ ſuà naturà mens, & intelligibilis actu exiſtens in cauſſa ſit, vt cætera fiant actu mentes, actuq; intelligibilia. Hæc verò, quibus ea eſt cauſſa, vt efficiantur actu mentes & intelligibilia, ſunt mens noſtra materialis, & formæ rerum omnium corporearum & materiatarum. Noſtra mens efficitur mentis effectricis opera & participatione actu mens, actuq; intelligibilis in eo, quòd hæc ipſi extrinſecus accedens facit, vt ſui copulatione efficiatur actu mens ſic, vt queat deinceps fungi intelligendi munere, in quo non huic copulata non poteſt verſari: etenim quemadmodum colores in tenebris poſiti licèt ſint aliquid actu, non ſunt tamen actu aſpectabiles, neq; ex ſe poſſunt aſpectum mouere; & quemadmodum perſpicuitas aeris non illu-

minati, cùm sit aliquid aeris, attamen est potestate, neq; potest fungi suo munere, coloresq; traÿcere, eodem modo mens nostra tametsi aliquid sit animæ humanæ, non est tamen actu mens, neq; ex se potest fungi munere intelligendi, sed ipsi mens efficiēs coniungatur oportet, cuius coniunctione efficitur mens actu. Atqui hoc in loco dubitabit aliquis; Si sensus sic naturà est comparatus, vt per se fungatur suo munere absq; opera alicuius efficientis, à quo in actum ducatur, cur mens nostra materialis, quę sensu est multò præclarior, non poterit per se intelligere, ac in suo munere versari absq; vlla opera mentis effectricis extrinsecus accedentis? Huic ita respondendum est: Cùm actus intelligendi & contemplandi sit multo præstantior, quàm conueniat homini, nam hic non quatenus homo intelligit, & contemplatur, sed quatenus diuinum quid in ipso inest lib. 10. ethic. ad Nicom. cap. 7. hinc fit, vt homo per se nequeat in hunc actum exire, sed præstantioris cuiusdam numinis auxilium expostulet, cuius accessione mens illius aucta fiat apta, & idonea ad hoc eximium munus obeundum. His accedit, quòd homo in genere naturarum intelligentium nouissimus est, nec totà suà naturà, sed participatione est intelligens; qua re non est, vt cuiquam videatur mirum, si huic ea mens fuerit impertita, quæ per se, & absq; auxilio numinis præstabilioris nequeat proprium generis munus exercere: Quæcunq; enim participatione sunt cuiusdam modi, nec integrè sunt id, quod esse dicuntur, hac vt fungantur munere, quod eis tribuitur, vt illius sunt modi, præsidium postulant causſa superioris, id quod cernere est in partibus nostri corporis, quæ cùm non teneant eam vitæ perfectionem, quę fuit cordi concessa, eatenus viuunt, quatenus cordi sunt copulatæ, vitaq; priuantur, vt primùm à corde disiunguntur lib. de comm. animal. motu cap. 7. Non est igitur, vt cuipiam molestiam exhibeat, si mens nostra nequeat intelligere quippiam, nisi mens effectrix ei sit præsto, à qua in actum de potestate ducatur. Non possū hoc in loco prætereire, quæ habētur à D. Thoma in p. p. quæst. 79. art. 4.

& sunt

& sunt hæc: Supra animam intellectiuam humanam necesse est ponere aliquem superiorem intellectum, à quo anima virtutem intelligendi obtineat. Semper enim quod participat aliquid, & quod est mobile, & quod est imperfectum, præexigit ante se aliquid, quod est per essentiam suam tale, & quod est immobile, & perfectum. Anima autem humana intellectiua dicitur per participationem intellectualis virtutis: cuius signum est, quòd non tota est intellectiua, sed secundum aliquam sui partem. Pertingit etiam ad intelligentiam veritatis cum quodam discursu & motu arguendo. Habet etiam imperfectam intelligentiam, tum quia non omnia intelligit; tum quia in his, quę intelligit, de potentia procedit ad actum. Oportet ergo esse aliquem altiorem intellectum, quo anima iuuetur ad intelligendum. *Atq; hæc D. Thomas, quæ non mediocriter confirmant ea, quæ sunt à nobis explicata. Nec præterea est, vt propter mentem effectricem quispiam amplexetur sensum agentem, nam alia est ratio mentis, & alia sensus: hic enim cùm sit actu, suâq; naturâ & perfectè sensus, nullum sensum agentem requirit, cuius participatione sensus actu efficiatur; illa verò quoniam non simpliciter, suâq; naturâ est mens ac intelligibilis, necessariò postulat mentem effectricem, cuius coniunctione ac participatione efficiatur actu mens & intelligibilis. Atq; id perspicuè fuit Auerroi probatum in lib. de anima beatitudine cap. 4. vbi statuit virtutem rationalem, quæ est in homine, non esse ex se mentem actu, nec per naturam suæ essentiæ, sed mentem efficientem efficere hanc mentem actu: qui præterea in com. 5. lib. 3. de anima in solutione tertiæ quæstionis scribit respectum mentis effectricis ad mentem materialem esse respectum luminis ad perspicuum, nam quemadmodum lumen est actus perspicui, sic mentem effectricem esse actum mentis materialis. Sed in hanc quoq; sententiam clarè tradit Alexander in lib. 2. de anima cap. 18. mentem effectricem fuisse ab Aristotele introductã,*

vt ab

vt ab ea mens materialis de potestate in actum ducatur: & in cap.21. asseuerat nostram mentem esse compositam ex mente potestatis, hoc est ex mente materiali, atq; ex mente effectrice, quæ per omnia permeat, quarum mentium si altera desit, nequit fieri, vt nos quicquam intelligamus. Nec verò ab his videtur Themistius dissentire, qui in paraphrasi lib.3.de anima cap.23. scribit mentem potestatis perfici oportere, & quoniam nihil à se ipso perficitur, sed ab alio, necessarium esse duas differentias esse in anima humana, atq; esse quidem aliquam potestate mentem, & rursus aliquam actu & agentem, quarum hæc illam complexa quasi in lucem educit e tenebris, & in actu constituit: & paulò post in cap.24. adiungit quemadmodum lumen visui potestate, & potestate coloribus adueniens, illum quidem actu visum efficit, hoc autem actu colores, sic etiam mentem efficientem, cùm mentem potestatis aggreditur, ipsam efficere actu mentem. Quinetiam præter hos grauissimos Peripateticos Theophrastus idem sensisse potest videri, qui cùm in lib.5.naturalium Themistio in digressione lib. 3. de anima referente mentem nostram composuerit ex mente effectrice & mente potestatis, par est existimare ipsum voluisse mentem effectricem esse veluti formam mentis potestatis, atq; hanc suo accessu & copulatione efficere actu mentem, & in actu constituere. At verò reliquæ formæ rerum corporearum et materiatarum eatenus mentis effectricis opera efficiuntur actu intelligibiles, actuq; mentes, quatenus opera & functione nostræ mentis actu factę participatione mentis effectricis à materiæ appendicibus separantur, quæ ita separatæ aliquo modo fiunt participes naturæ mentis effectricis, hancq; dum participant, sunt actu mentes, actuq; intelligibiles: quapropter hæ, quòd actu mentes, actuq; intelligibiles efficiãtur, & nostræ menti, & effectrici menti ferunt acceptum, nostræ menti, quoniam hæc intelligendo eas separat ac disiungit à materiæ proprietatibus; menti effectrici, tum quia mens nostra, quòd illas separet, per mentem effectricem consequitur; tum

etiam

etiam quoniam hæ formæ dum noſtræ mentis intelligentiâ ſegregantur ab omni materiæ labe, fiunt mentis effectricis participes, quantum ipſarũ natura conſequi poteſt. Mens igitur efficiens appellatur mens, quia re vera eſt mens à materia ſeparata, cùm ſit ſuâ naturâ actu mens, actuq; intelligibilis; efficiens autem, quia eius operâ ac participatione mens noſtra materialis de poteſtate in actum transfertur, & formæ materiatæ, quæ ſecundo loco ſunt poteſtate mentes ac intelligibiles, efficiuntur actu mẽtes, actuq; intelligibiles. Cæterùm tametſi mens efficiens in hoc munere ducendæ mentis noſtræ de poteſtate in actum verſetur per modum formæ & habitus, atq; hic modus Ariſtoteli vel maximè fuerit propoſitus, eodem tamen munere aliquo pacto poteſt defungi per modum efficientis & mouentis, idq; his declaratur. Obiectum aliquo pacto mouere facultatem, & mouendo facere, vt hæc de poteſtate in actum progrediatur, nemini obſcurum eſt: cùm igitur mens efficiens ſit noſtræ mentis obiectum tum, cùm hæc in illius contemplatione poſita eſt, conficitur mentem effectricem per modum efficientis & mouentis agere in mẽtem materialem, ſuâq; efficientiâ præſtare, vt hæc euadat actu mens, actuq; intelligibilis. Atqui dubitabit aliquis, ſi mens efficiens eſt ponenda, vt ducat mentem noſtram per modum efficientis ac mouentis de poteſtate in actum, atq; in hoc munere verſetur, cùm à noſtra mente intelligitur, oporteret mentem effectricem ſemper intelligi à noſtra mente, cùm hæc ſit actu, quod eſt perſpicuè falſum, nam mens noſtra materialis non minus eſt actu, dum intelligit formas materiatas, quàm quando apprehendit mentem ipſam effectricem. Hæc dubitatio ſic poteſt profligari: Quemadmodum mens efficiens non intelligitur à nobis, niſi vnà quoq; intelligantur formæ rerum ſenſibilium, quoniam nos ita ſumus comparati, vt ſine phantaſmatis non intelligamus quippiam, & phantaſmata ſunt eorum, quæ ſenſibus accipiuntur; eodem modo formæ materiatæ non intelliguntur à nobis, niſi vnà quoq; mens efficiens aliquo pacto intelligatur,

quo-

quoniam, hæ eatenus intelliguntur, efficiuntq; nostram mentem actu, quatenus opera nostræ mentis factæ sunt participes naturę mentis effectricis. Neq; id, cuipiam moueat admirationem, nam uti dicimus omnia, quæcunq; naturà constant, duci appetitu summi boni, non quia cuncta proximè petant summum bonum, sed quoniam nihil est, quod non teneatur desiderio cuiusdam boni, quod vel est ipsum summum bonum, vel quædam primi summiq; boni communicatio, nam huius immensa liberalitate omnia sunt bona, quæcunq; in bonis numerantur, ratione haud dissimili non video, cur dicere non possimus nostram mentem opera mentis effectricis semper in actum duci, quòd quæcunq; præstant, vt hæc sit actu, illa omnia eatenus hoc præstent, quatenus ad mentis effectricis naturam aliquo modo accedunt, huiusq; habent aliquam communicationem. Quamobrem mens nostra siue intelligat formas materiatas, siue versetur in mente effectrice contemplanda, semper menti effectrici acceptum fert, quod sit actu mens, actuq; intelligibilis; neq; iniuria sanè, quòd in vnoquoq; genere quod primùm ac per se in genere ponitur, id cæteris omnibus, quę participatione sunt illius generis causa est, vt eo in genere collocentur: quocirca quoniam mens efficiens primùm ac per se est actu mens, actuq; intelligibilis, hęc nostrę menti materiali, & reliquis omnibus causa existit, vt sint in ijs, quæ actu sunt mentes & intelligibilia. Cæterùm tametsi mẽs efficiens per modum formæ ac habitus, & per modum caussę efficientis ducat mentem nostram de potestate in actum, non tamẽ eadem potestas, idemq; actus est, ex qua, & in quem fit promotio à mente effectrice per modum formę, ac per modum caussę mouentis: etenim quemadmodum colorum in eo, quòd sunt visibiles, duplex est actus, alter primus, quem per luminis participationem consequuntur, alter secundus, in quo tum sunt, cùm cernuntur, actuq; mouent sensum oculorum; & quemadmodum quoq; perspicui duplex est actus, primus, qui est lumen, & secundus, qui est colorum traiectio, eodem modo duplex est actus nostrę

ſtræ mentis, vnus primus, & vt ita dicam, otioſus, alter ſecundus & actuoſus, poſteriorem mens effectrix tribuit per modum cauſæ efficientis ac mouentis, & priorem per modum habitus, nam licèt mens noſtra diſiuncta à mente effectrice ex ſe ſit aliquid animæ noſtræ, & in rerum natura cohærens, attamen cùm nequeat fungi mentis munere, quod eſt intelligere, non actu, ſed poteſtate mens eſt exiſtimanda, quo pacto colores & perſpicuum in tenebris poteſtate continentur; & vt luminis acceſſione hæc fiunt actu, non quidem ſecundo, ſed primo, haud diſſimiliter mens noſtra acceſſu mentis effectricis ſit mens actu primo, & huiuſmodi, vt deinceps poſſit in actum ſecundum exire, ſuoq; munere fungi. Atque hæc de neceſſitate, & efficientia mentis effectricis, quæ ſi Durando cognita fuiſſent, hic nunquam auſus eſſet mentem effectricem e naturæ finibus eijcere, ſuæq; prolixæ argumentationis inanitatem intellexiſſet.

Opinio illorum, qui poſuerunt ſpecies intelligibiles in noſtra mente imprimi. Cap. IX.

Hic locus nos admonet, vt antequam inueſtigemus naturam & eſſentiam mentis effectricis de ſpeciebus intelligibilibus diſſeramus, quando quidem de his ſæpè à nobis facta eſt mentio, & multi arbitrantur harum procreationem eſſe in mentis effectricis partibus, atque propter has mentem effectricem eſſe inducendam. De ſpeciebus intelligibilibus magna, & ardua eſt apud Ariſtotelis interpretes diſceptatio, ego multis omiſſis pauca capita conſiderabo. Qui ſpecies intelligibiles amplexantur, hi ſunt inter ſe diſcordes, nam alij ſentiunt has in mente imprimi, & alij ſtatuunt has exprimi, vel ex phantaſmatis, vel ex mente actu intelligente. Priores primùm aggrediemur, hisq; de ſuo ſtatu deiectis poſteriores in huius diſceptationis cāpum vocabimus. Quicunque ſpecies in mente imprimunt,

vna voce affirmant has eſſe qualitates ſpiritales, ſingulares quidem, verùm ea natura praditas, vt ea, quorum ſunt ſpecies repraſentent, atque obyciant noſtræ menti vniuersè ac ſine materia conditionibus. Conſentiunt praterea has non ſine mente effectrice, atque phantaſmatis in mente noſtra imprimi; quam vero rationem ſubeant mens efficiens, & phantaſmata in harum ſpecierum productione ſiue impreſſione diſſentiunt, & quatuor ad ſummum extant opiniones: Vna eſt eorum, qui opinantur ex præſentia luminis mentis effectricis phantaſmata vim ſibi aſſiſere, qua per ſe ſola producant ſpecies intelligibiles, non ſecus atque colores lumine præſente ſuas ſpecies in medio efficiant; atque ideo mentem effectricem poſtulari in harum ſpecierum productione, non quidem vt hæ ab ea aliquo modo imprimantur, ſed vti cauſſam ſine cuius præſentia hæ non poſſint gigni & imprimi. Secunda opinio affirmat mentem effectricem, & phantaſmata eſſe duas cauſas dimidiatas, quæ iunctæ vnam integram perfectamque cauſſam conſtituunt, & in ſua quidem dimidiata effectione vtranque perfectam, nec ex altera pendentem, ſimpliciter tamen mentem effectricem præſtantiorem. Huius opinionis ſunt quidam Scoti ſectatores, & e D. Thomæ familia Heruæus. Tertia, quam ſequuntur Capreolus, Caietanus, & alij eiuſdem ſectæ, ſtatuit mentem effectricem eſſe cauſſam principem, & phantaſmata cauſſa ſeruientis, ſiue inſtrumenti vices ſuſtinere. Quarta & poſtrema, qua Zimara & alijs nonnullis probatur, aſſeuerat, quemadmodum Sol & homo generat hominem, ille vti cauſſa cõmunis, hic vti cauſſa ſingularis, haud diſſimiliter mentem effectricẽ & phãtaſmata producere ſpecies intelligibiles, illam veluti cauſſam communem, & hac tanquã proprias ſingularesque cauſſas. Porro mentem effectricem per ſe ſolam non habere vim ſpecies intelligibiles procreandi ex eo conficitur à quibuſdam, quoniam ad intelligibilia comprehendenda nullas nobis ſuppetias ferrent ſenſus exteriores, & vis imaginandi, ſine quibus certum eſt mentem noſtram nihil intel-

ligere;

ligere : Atque id quoque proditum fuit a b Auerroe in lib. 3. de anima com. 18. Inquiunt alij, ſi ſola mens efficiens ſine phantaſmatis ſpecies intelligibiles efficeret, aut ſimul omnes efficeret, aut per ſe ſingulas ; ſed neque omnes ſimul efficit, quia nequaquam omnia ſimul intelligimus ; neque per ſe ſingulas, quia nulla ratio poteſt afferri, cur hanc potiùs, quàm illam efficiat ; non igitur mens efficiens per ſe ſola ſpecies intelligibiles producit. Cauſſam verò, cur prater phantaſmata mentis effectricis opera poſtuletur, eam plerique ſtatuunt, quia ſi phantaſmata per ſe ſola ſpecies intelligibiles efficerent, in hoc opere verſarentur, vel tanquam cauſſa vniuoca, vel tanquam cauſſa aquiuoca ; atqui phantaſmata non ſuſtinent rationem cauſſæ vniuocæ, quoniam alia eſt natura phantaſmatum, & alia ſpecierum ; nec praterea ſunt cauſſa aquiuoca, hoc eſt cauſſa, quæ non eſt eiuſdem ſpeciei cùm re, quæ efficitur, quoniam hæc cauſſa eſt re, quę gignitur, præſtabilior, & phantaſmata habent minus perfectionis, quàm ſpecies intelligibiles, quoniam hę ſunt magis ſpirituales, & à corporis materięque fœcibus longè remotiores ; non igitur phantaſmata per ſe ſola ſine mentis effectricis auxilio ſatis ſunt ad ſpecies intelligibiles efficiendas. Huic rationi alteram alij adiungunt ſumptam ex Auerroe in loco proximè memorato, eaq; eſt : Si phantaſmata per ſe ſola ſpecies intelligibiles procrearent, ſequitur vniuerſale eſſe idem, quod ſingulare ; & mentem materialem eſſe aliquem ſenſum ; quę non minima ſunt abſurda : Hoc & illud ſequi inde conſtat, quia cùm res effecta ſemper imitetur naturam ſuę cauſſę, neque hanc vnquam excedat, profectò ſi ſola per ſe phantaſmata efficiant ſpecies intelligibiles, hę non ſecus, quàm illa, erunt ſingulares ; qua propter idem erit vniuerſale, quod ſingulare, cùm ſpecies intelligibiles ſint quoque vniuerſales ; & mens erit aliquis ſenſus, quòd virtus omnis, quę cognoſcit ſingularia, & hęc accipit ſingulariter, contineatur genere facultatum ſentientium. Cęterùm in hac argumentatione impreſſę, expreſſęque ſpecies confunduntur, ne-

que ipſa videtur ad ſolas ſpecies impreſſas pertinere, de quibus nunc inſtituta eſt diſputatio. At verò quonam pacto hæ ſpecies in mente diuturno tempore ſeruentur, non eſt quoque ſine controuerſia. Latini tribuunt menti vim quandam harum ſpecierum retentricem, quam vocant memoriam, nam quemadmodum materia corporea formas, quas induit, propria vi retinet, ſic etiam ſtatuunt mentem, immo verò multò magis, quanto eius natura magis eſt ſtabilis atque immutabilis, quàm natura materia, vi propria ſpecies intelligibiles conſeruare. Alij pro certo habentes nullam memoriam fuiſſe noſtræ menti ab Ariſtotele concessam putant ſpecies à mente ſuſceptas conſeruari non vi ipſius mentis, ſed præſentia phantaſmatum, quæ illas excitauerunt, & tandiu ſeruari, quandiu phantaſmata, à quibus fuerunt excitata, manent in facultate imaginatrice. Propter quid autem ponendæ ſint à varijs varia cauſſa afferuntur. Iandunus in quæſt. 17. lib. 3. de anima ſtatuit ſpeciem intelligibilem eſſe apparatum quendam in ipſa mente ad actum intelligendi excipiendum; atque ideo eſſe principium patibile, quo mens ſit apta & idonea ad intelligentiam ſuſcipiendam. Alij affirmant à ſpecie intelligibili mentem definiri, & coarctari ad hoc vel illud intelligendum, nam quemadmodum materia ex ſe eſt accommodata, & probè affecta ad formas naturales excipiendas, cæterùm ad aliquam formam ſingularem induendam requirit definitas diſpoſitiones ipſam arctantes, ac definientes ad hanc potiùs, quàm ad illam accipiendam, eodem modo mentem noſtram ex ſe paratam eſſe ad actum intelligendi recipiendum, & ad id omne intelligendum, quod in eius intelligentiam cadere poteſt, verùm ſpecie intelligibili definiri, & arctari ad hoc potiùs, quàm ad illud intelligendum. Scotus & alij inquiunt propter duas cauſſas ſpecies intelligibiles eſſe inducendas, alteramq; eſſe, vt obiectum ſit in conſpectu mentis intelligentis, atque huic coniungatur, cuius rationem ſubeant ſpecies intelligibiles, ſi hæ ad noſtram mentem referantur: alteram, vt obiectum vniuersè,

uersè, atque ſine materiæ inuolueris obïciatur menti, quæ eſt vis & natura immateriata. Demum D. Thomas, & Zimara has ſpecies inducunt, vt ſint actus primi, & rationes, vt inquiunt, formales, hoc eſt propriæ, quibus mens ſuo munere fungatur. Hæ ſunt grauiores diſſenſiones, quæ inter illos vertuntur, qui ſpecies intelligibiles amplexantur in mente noſtra impreſſas.

Rationes, quibus ſpecies intelligibiles in mente impreſſæ confirmantur. Cap. X.

ARgumentationes, quæ has ſpecies in horum animis excitarunt, multæ ſunt, nos paucas, maiuſque pondus habentes aſſeremus. Prima eſt: Obiectum noſtræ mentis neceſſariò antecedit actum intelligendi: vniuerſale eſt obiectum noſtrę mentis; ergo ſtatuendum eſt aliquod vniuerſale, quod intelligendi actum antecedat, moueatq; mentem: verùm hoc vniuerſale non poteſt eſſe phantaſma, vel eſſe in phantaſmate; ergo præter phantaſma ponenda eſt ſpecies intelligibilis, quæ obïciat menti vniuerſale. Phantaſma non poſſe vniuersè atque ſine materiæ inuolucris mouere mentem noſtram ex his poteſt ſciri. Vnum obiectum non mouet niſi vno, ac ſimplici modo: ergo phantaſma, quod eſt vnum & ſingulare, non mouet niſi ſingulariter, & quod ſequitur, non poteſt vniuersè mouere. Prętereà cùm omne agens naturale mouendo vim ſuam adhibeat vniuerſam, atque phantaſma ſit agens naturale, planè hoc dum mouet, vim ſuam omnem adhibebit; quapropter quoniam mouet ſingulariter, nequit fieri, vt moueat vniuersè; alioquin ſi ad hunc quoque modum moueret, vel ex tota vi ſua non moueret ſingulariter, vel vnum & idem ex tota vi ſua moueret contrarïs modis, vniuersè nimirum ac ſingulariter. At verò vniuerſale, quod eſt obiectum mentis, in phantaſmate non ineſſe illud oſtendit, quoniam ſequeretur mentem non poſſe intelligere vniuerſale ſimpliciter

pliciter ſecundum vniuerſam ſuam amplitudinem. Conſequutio confirmatur, quia in phantaſmate, quod eſt ſingulare, mens apprehenderet vniuerſale; & vniuerſale, quod in re ſingulari intelligitur, non ſecundum ſuum totum ambitum apprehenditur, quippe quod non in ijs omnibus intelligatur, de quibus dicitur, quæ ipſi ſubijciuntur. Secunda argumentatio: Quicquid perfectionis tributum eſt ſenſui, id modo præſtabiliore conceſſum eſt menti: Senſus ſuſcipit ſpecies ſenſibiles, has ſeruat, & recondit in memoria tanquam in theſauro: ergo ponendæ ſunt ſpecies intelligibiles, quæ in mente imprimantur, in hacque diuturno tempore ſeruentur. Minor enunciatio eſt perſpicua, maiorem id declarat, quòd perfectio, quæ in natura minus præſtabili cernitur, non eſt, vt natura præſtantiori eripiatur. Tertia: Si quis ſpecies in mente impreſſas auferat, e mente tollat eſt neceſſe artium, & ſcientiarum habitus, quos non eſſe tollendos perſuadent ea, quæ de his fuerunt ab Ariſtotele in lib. 6. Ethic. ad Nicom. & alijs in locis diſputata. Conſequutionem illud confirmat, quoniam hæ ſpecies in mente firmiter, ac ſtabiliter impreſſæ conſtituunt habitus noſtræ mentis. Quarta: Si hæ ſpecies locum non inuenerint in naturæ theatro, nullus erit vſus, nullaque neceſſitas mentis effectricis ab Ariſtotele inductæ, & omnibus Ariſtotelicis probatæ. Id ſequi ex eo poteſt intelligi, quòd huius mentis munus in hoc conſumatur, vt ſpecies intelligibiles in mente imprimantur; qua de re his electis mens efficiens manebit otioſa, nec eius vllum erit officium. Poſtremò has ſpecies confirmant multi Ariſtotelis loci in lib. 3. de anima deſcripti: Et primùm in tex. 2. intelligere eſt ſicut ſentire; at cùm ſentire ſit ſpecies ſenſibiles excipere, intelligere quoque erit ſpecies intelligibiles ſuſcipere. Deinde in tex. 3. mens eſt capax ſpecierum; Amplius in tex. 4. mens, vt omnia poſſit recipere, immixta ſit, oportet, hoc eſt nuda & vacua ab omni forma; Præterea in tex. 5. mens antequam intelligat, eſt omnia poteſtate; Adhæc in tex. 6. mens eſt locus ſpecierum; Rurſus in tex. 18. mens omnia fit,

&

& in tex. 37. eſt quodam modo omnia. Atqui loci hi quì legitimè, ac ſyncerè interpretabuntur ſpeciebus intelligibilibus eiectis, quæ imprimantur in mente, ac conſeruentur? Poſtremò cùm in tex. 8. mens habitu per ſe ipſa fungatur ſuo munere, atq; ſit quodam modo poteſtate, non tamen ſimiliter antequam addiſceret, quì fieri poteſt, vt hæc verè tradita ſint, niſi mens fuerit donata ſpeciebus intelligibilibus? Etenim niſi hæ in mente fixæ, ſtabilesq; iacentes efficiant, vt ea, cùm voluerit poſſit contemplari abſque vllo rei externæ adiumento, atque poteſtatem habeat actui intelligendi propinquiorem, ac antea habebat, quàm addiſceret, nulla poterit cauſſa afferri, cur mens habitu ſit aptior, magiſque idonea ad intelligendi munus obeundum, ſitq; minus poteſtate, quàm antea, cùm habitu carebat; quando quidem ſi nulla ſpecies in mente imprimitur, mens ſemper in eodem ſtatu continebitur, eodemq; modo ſemper ſe habebit: Et hæc ſunt ea, quæ ad ſpecies intelligibiles in mente impreſſas confirmandas maioris videntur momenti.

Aduerſus ſpecies intelligibiles in mente impreſſas diſputatio. Cap. XI.

SPecies intelligibilis in mente impreſſæ quamuis fuerint à multis, clariſſimiſque viris adamatæ, improbabiles tamen mihi videntur, nam cùm ſine his ea omnia poſſimus tueri, quæ ſine ipſis non poſſe fieri exiſtimant earum amatores, non eſt, vt hæ abſque vllo neceſſario vſu inuehantur in rerum vniuerſitatem, in qua nihil eſſe ponendum, cuius non ſit euidens, neceſſariaq; vtilitas, decretum eſt Ariſtotelicum. Et cùm certum ſit fieri non poſſe, vt formis diuerſis vnum & idem corpus figuretur, qua ratione mens noſtra formabitur multis, diuerſisq; ſpeciebus in ea impreſſis? Quod aliqui dicant ſpecies intelligibiles poſſe biffariam in mente poni, vno modo habitu, & altero actu, atque nihil prohibere plures formas habitu in mente contineri, id

pliciter ſecundum vniuerſam ſuam amplitudinem. Conſequutio confirmatur, quia in phantaſmate, quod eſt ſingulare, mens apprehenderet vniuerſale; & vniuerſale, quod in re ſingulari intelligitur, non ſecundum ſuum totum ambitum apprehenditur, quippe quod non in ijs omnibus intelligatur, de quibus dicitur, quaq; ipſi ſubijciuntur. Secunda argumentatio: Quicquid perfectionis tributum eſt ſenſui, id modo praſtabiliore conceſſum eſt menti: Senſus ſuſcipit ſpecies ſenſibiles, hasq; ſeruat, & recondit in memoria tanquam in theſauro: ergo ponendæ ſunt ſpecies intelligibiles, quæ in mente imprimantur, in hacq; diuturno tempore ſeruentur. Minor enunciatio eſt perſpicua, maiorem id declarat, quòd perfectio, quæ in natura minus praſtabili cernitur, non eſt, vt naturæ praſtantiori eripiatur. Tertia: Si quis ſpecies in mente impreſſas auferat, e mente tollat eſt neceſſe artium, & ſcientiarum habitus, quos non eſſe tollendos perſuadent ea, quæ de his fuerunt ab Ariſtotele in lib. 6. Ethic. ad Nicom. & alys in locis diſputata. Conſequutionem illud confirmat, quoniam hæ ſpecies in mente firmiter, ac ſtabiliter impreſſæ conſtituunt habitus noſtræ mentis. Quarta: Si hæ ſpecies locum non inuenerint in naturæ theatro, nullus erit vſus, nullaq; neceſſitas mentis effectricis ab Ariſtotele inductæ, & omnibus Ariſtotelicis probatæ. Id ſequi ex eo poteſt intelligi, quòd huius mentis munus in hoc conſumatur, vt ſpecies intelligibiles in mente imprimantur; qua de re his eiectis mens efficiens manebit otioſa, nec eius vllum erit officium. Poſtremò has ſpecies confirmant multi Ariſtotelis loci in lib. 3. de anima deſcripti: Et primùm in tex. 2. intelligere eſt ſicut ſentire; at cùm ſentire ſit ſpecies ſenſibiles excipere, intelligere quoque erit ſpecies intelligibiles ſuſcipere. Deinde in tex. 3. mens eſt capax ſpecierum; Amplius in tex. 4. mens, vt omnia poſſit recipere, immixta ſit, oportet, hoc eſt nuda & vacua ab omni forma; Præterea in tex. 5. mens antequam intelligat, eſt omnia poteſtate; Adhæc in tex. 6. mens eſt locus ſpecierum; Rurſus in tex. 18. mens omnia fit,

&

& in tex. 37. eſt quodam modo omnia. Atqui loci hi quì legitimè, ac ſyncerè interpretabuntur ſpeciebus intelligibilibus eiectis, quæ imprimantur in mente, ac conſeruentur? Poſtremò cùm in tex. 8. mens habitu per ſe ipſa fungatur ſuo munere, atq; ſit quodam modo poteſtate, non tamen ſimiliter antequam addiſceret, quì fieri poteſt, vt hæc verè tradita ſint, niſi mens fueris donata ſpeciebus intelligibilibus? Etenim niſi hæ in mente fixæ, ſtabilesq; tacentes efficiant, vt ea, cùm voluerit poſſit contemplari abſque vllo rei externæ adiumento, atque poteſtatem habeat actui intelligendi propinquiorem, ac antea habebat, quàm addiſceret, nulla poterit cauſſa afferri, cur mens habitu ſit aptior, magiſque idonea ad intelligendi munus obeundum, ſitq; minus poteſtate, quàm antea, cùm habitu carebat; quando quidem ſi nulla ſpecies in mente imprimitur, mens ſemper in eodem ſtatu continebitur, eodemq; modo ſemper ſe habebit: Et hæc ſunt ea, quæ ad ſpecies intelligibiles in mente impreſſas confirmandas maioris videntur momenti.

Aduerſus ſpecies intelligibiles in mente impreſſas diſputatio. Cap. XI.

SPecies intelligibilis in mente impreſſæ quamuis fuerint à multis, clariſſimiſque viris adamatæ, improbabiles tamen mihi videntur, nam cùm ſine his ea omnia poſſimus tueri, quæ ſine ipſis non poſſe fieri exiſtimant earum amatores, non eſt, vt hæ abſque vllo neceſſario vſu inuehantur in rerum vniuerſitatem, in qua nihil eſſe ponendum, cuius non ſit euidens, neceſſariaq; vtilitas, decretum eſt Ariſtotelicum. Et cùm certum ſit fieri non poſſe, vt formis diuerſis vnum & idem corpus figuretur, qua ratione mens noſtra formabitur multis, diuerſisq; ſpeciebus in ea impreſſis? Quod aliqui dicant ſpecies intelligibiles poſſe biffariam in mente poni, vno modo habitu, & altero actu, atque nihil prohibere plures formas habitu in mente contineri, id

ri, id prorſus eſt inane, quoniam formæ, quæ ponuntur habitu, formant & figurant actu, & nequit fieri, vt idem ſimul multis diuerſis q; formis figuretur. Deinde qui has ſpecies amplexantur, ſunt rogandi, nunquid hæ ſpecies ſint partibiles: Si affirment, quo pacto mens noſtra materia expers, ac impartibilis eis ſubijcietur? Sin negent, qua ratione quod eſt impartibile, repreſentabit id, cuius multæ partes habentur? Quinetiam ſunt interrogandi, an hæ ſpecies, & illa, quorum ſunt ſpecies, ſint eiuſdem naturæ & ſpeciei: Si partem aientem approbent, ſpecies rerum contrariarum erunt contrariæ; verùm quoniam contraria ſeſe deſtruunt, qua ratione ſpecies contrariæ in mente impartibili impreſſæ vna conſtabunt? Sin inficiantem, arduum eſt intellectu, quo pacto quippiam poſſit ſua vi repreſentare id, cum quo nullam habet naturæ ſimilitudinem. Reſpondent nonnulli dicentes ſpecies poſſe duobus modis ſpectari, vno modo vt ſunt naturæ quædam huius vniuerſitatis: altero, vt habent vim repræſentandi; atque modo priore inſpectas ſpecie, & natura diuerſas eſſe ab ijs, quorum ſunt ſpecies, poſteriore autem in ſpecie, & natura gerere horum ſimilitudinem. Hoc nihil eſt, nam ſpecies intelligibilis, vel per ſe habet vim repræſentandi, vel per accidens: Hoc non eſt admittendum, quoniam quod alicui tribuitur ex accidenti, id ab hoc poteſt abeſſe; quapropter fieri poterit, vt ſpecies non repreſentet id, cuius eſt ſpecies; id quod falſum eſſe exiſtimatur. Illud autem ſi ponatur, quoniam quod per ſe alicui conuenit id fluit ab ipſius natura, & in ipſius natura poſitum eſt, ſequitur, vt inter ſpeciem & illud, cuius eſt ſpecies, ſit naturæ & ſpeciei aliqua ſimilitudo; non enim vlla ratio poterit afferri, cur ſpecies ex propria natura habeat vim hoc, & non illud repræſentandi, ſi illius & rei, cuius eſt ſpecies, nulla ſit communis naturæ & ſpeciei ſimilitudo. Sed & præter hæc, vt hæ ſpecies mihi ſint improbabiles, efficiunt ea, quæ de ipſis prodita ſunt à ſuis amatoribus diſſentanea prorſus ab Ariſtotelis doctrina. Et vt interim mittam has ſpecies ijs argu-

mentis

mentis obnoxias eſſe, quibus ſpecies ſenſibiles ſpiritales fuerunt ſuo loco e qualitatis categoria eiectę, illud in hac opinione caput, quod eſt ſpecies intelligibiles ſingulares ea vi præditas eſſe, qua res, quarum ſunt ſpecies, obijciunt noſtræ menti vniuerſas, & ab omni materia labe ſegregatas, ita oppugnatur. Quod eſt aptè natum virtutem cognoſcitricem ducere in notitiam rei, cuius eſt imago & ſimulachrum, id antè apprehendatur cognitione, oportet; non enim fieri poteſt, vt ſtatua, vel pictura non cognita inducat in cognitionem illius, cuius eſt imago; ſed ſpecies intelligibilis ſic in mente imprimitur, vt non cognoſcatur; vanum igitur eſt hanc ponere, quę habeat vim obijciendi noſtrę menti id, cuius eſt ſpecies. Capreolus in lib. 2. ſent. diſt. 3. queſt. 2. art. 3. vt ſe ab hoc argumento expediat, triplicem imaginem inducit, vnam appellat ſub qua, cuius modi eſt lumen, ſub quo proprius vniuſcuiuſque color cernitur; alteram qua, veluti eſt coloris ſpecies in viſu impreſſa; & tertiam in qua, quo pacto ſtatua vel pictura; reſpondetq; id, quod aſſumitur in argumento, accipiendũ eſſe de imagine in qua, nam hęc non poteſt illius, cuius eſt imago, cognitionem parere, niſi antè fuerit cognita; minimè verò de imagine qua, cuius modi eſt ſpecies intelligibilis, quę non cognita adducit in notitiam illius, cuius eſt ſpecies & imago. Hic non rectè reſpondet, nam ſi ſpecies intelligibilis recipiatur, hęc non eſt imago qua, ſed imago, in qua elucet id, quod ab ea repręſentatur: atque id non ignorauit aduerſarius, qui paulò poſt occurrens argumento, quo nonnulli perſuaſerunt ſpeciem, quę ponitur imago rei, quę intelligitur, eſſe ſuperuacaneam, quòd actus intelligendi ſit quoque eiuſdem rei imago, ſcribit ſpeciem non eſſe ſuperuacaneam, quoniam eſt imago, in qua intelligimus, & actus intelligendi eſt imago, qua intelligimus. Quapropter quod in huius argumenti ſolutione legitimè tribuitur ſpeciei, non eſt, vt perperam eidem eripiatur, vt argumentum euitetur, quo conficitur eam non repræſentare id, cuius eſt ſpecies. Rurſus ſpecies omnis ab obiecto impreſſa repræſentat illud ſub ea ratione,

qua ab eo imprimitur: ſpecies in mente imprimuntur à phantaſmatis ea ratione, qua ſunt ſingularia, quia actiones ſunt rerum ſingularium initio lib. 1. poſt nat. & lib. 2. de Ethic. ad Nicom. c. 1. ergo ſpecies in mente impreſſa non poteſt vniuersè, ac ſine materiæ conditionibus repræſentare. Occurrunt aduerſarij aſſeuerantes ſingularitatem eſſe quidem efficientis conditionem, nam quod efficit, omne id eſt ſingulare, ſed non rationem efficiendi, qua tota tribuitur naturæ ſpecificæ rei ſingularis efficientis. Non rectè occurrunt, quoniam ſpecifica natura in re ſingulari incluſa cum ſit materiæ, ſingularitatisq; conditionibus definita non poteſt vim præſtare ad quippiam vniuersè, ac ſine materiæ conditionibus repræſentandum. Præterea quoniam nulla res poteſt quippiam referre eo modo, qui pugnat cùm ipſius natura; & vniuersè quippiam referre pugnat cum natura rei ſingularis, neceſſariò conficitur ſpeciem intelligibilem, quæ eſt ſingularis, non poſſe quippiam vniuersè, ac ſine materiæ conditionibus referre. Ex aduerſarijs nonnulli reſpondent aientes ſpeciē intelligibilem eſſe quidem ſingularem, cæterùm poſſe vniuersè repræſentare, quia eſt ab omnibus materiæ conditionibus ſeparata. Hi egregiè fallunitur, quoniam ſi ſpecies intelligibilis ſine materiæ conditionibus conſiſteret, ea non ſingularis, ſed vniuerſalis eſſet, nam, vt inquit Alexander in lib. 1. de anima cap. 25. vbi ſpeciem hominis ſegregatis materiæ appendicibus excipimus, nihil aliud, quàm communem hominem intuemur, quippe quòd ſingularium hominum differentia à materia proficiſcatur. Reſpondent alij ſpeciem intelligibilem, quòd rei naturam vniuersè obijciat menti, non ex ſe, aut phantaſmatis conſequi, ſed ex mente effectrice, quæ eſt agens vniuerſale, quæq; ſua natura eſt à materia, & ab omni materiæ labe ſecreta: Hæc reſponſio eſt inanis, tum quia res effecta tametſi à cauſſa vniuerſa, & à cauſſa ſingulari producatur, hanc tamen ſemper imitatur, & nunquam ſit ſimilis cauſſæ vniuerſæ: tum etiam quoniam hac reſponſione data poſſet confici quoduis effectum ſingulare vni-

vniuersè repræsentare, quando quidem communis est omnium latinorum opinio Deum veluti causam communem, & vniuersam rebus cunctis producendis semper adesse, suamq; operam proximè conferre; qua re si nullum vitium hæc responsio haberet, omnia phantasmata, omnes species sensibiles, & omnia denique in hac rerum vniuersitate producta possent aliquid vniuersè, ac sine materiæ proprietatibus obijcere, ac repræsentare. Sequitur alterum caput, quod continet harum specierum generationem: Hoc non abesse à reprehensione constabit, si illæ quatuor sectæ in examen vocentur, quas constituunt ij, qui rationem aperiunt, quam tenet mens efficiens coniuncta phantasmatis in speciebus producendis. Et primùm primæ sectæ est reprehendenda, quoniam si mens efficiens suâ præsentiâ nihil tribuit phantasmatis, nequit fieri, vt hæc illa præsente acquirant vim producendi species, quas nullo modo possunt efficere mente effectrice ab eis disiuncta, atque suum lumen non effundente. Secunda aut in neglectis est habenda, aut tertiæ, vel quartæ sectæ est adiungenda: Etenim cùm statuat mentem effectricem, atque phantasmata veluti duas causas dimidiatas vnam perfectam causam constituentes speciem intelligibilem producere, percunctor, nunquid hæ duæ causæ dimidiatæ sint eiusdem ordinis, ac dignitatis, an contra diuersi ordinis, & non eiusdem dignitatis. Non est, vt ipsarum par sit dignitas, idemq; ordo, tum quia mens efficiens, & phantasma, quæ nullam habent naturæ coniunctionem, nequaquam possunt eodem ordine contineri, pariq; dignitate affici; tum etiam, quia si vnius effecti essent duæ causæ eundem ordinem, paremq; dignitatem tenentes, vnū à multis proximè proficisceretur in eodem genere causæ, quod est aduersum communi philosophorū consensui, qui ponit vnius rei effectæ vnam solam esse proximam causam in eodem genere causæ: Quòd si responsum fuerit id minimè sequi, quoniam mens efficiens & phantasmata sunt duæ causæ dimidiatæ, quæ vna copulatæ constituunt vnam integram causam, à qua spe-

cies intelligibilis proximè efficitur, iterum vrgebo quoniam multæ cauſſæ dimidiatæ non poſſunt vnam integram cauſſam conſtituere, & ad vnam rem producendam conuenire, niſi aliqua ratio his ſit communis, quod in multis equis cernere poſſumus currum trahentibus: at quæ ratio poteſt afferri, aut animo fingi, quæ ſit communis menti effectrici immortali, ab omniq; materiæ labe diſiunctæ, & phantaſmati caduco, materiaq; ſordibus implicito? Iam verò ſi hæ duæ cauſſæ, & ordine, & dignitate diſcordent, profectò huius opinionis amatores tertiæ, vel quartæ opinionis authoribus ſeſe adiungent, quoniam quotieſcunque vnius effecti multæ ſunt cauſſæ eiuſdem generis, ſed non eiuſdē ordinis, & authoritatis, oportet aut harum alteram eſſe principem, & alteram ſeruientem, aut vnam magis, & alteram minus communem. Nec tertiæ opinionis ſectatores, qui aſſeuerant mentem effectricem eſſe cauſſam principem, & phantaſma inſtrumentum, digni ſunt, qui audiantur, quoniam id quod efficitur, nunquam ſit ſimile inſtrumento; neque in re effecta exiſtit varietas ex inſtrumenti varietate: quamobrem quia ſpecies intelligibilis eſt ſimilis phantaſmati, & à phantaſmatis diuerſis fiunt ſpecies variæ intelligibiles, non eſt, vt vices inſtrumenti tribuantur phantaſmati. Haud ratione diſſimili accuſantur in poſtremam opinionem abeuntes, quoniam ſi phantaſma eſſet cauſſa ſpeciei proxima, hæc magnam haberet phantaſmatis ſimilitudinem, huiusq; naturam imitaretur, nam cùm Sol & homo generent hominem, is, qui gignitur, homo natura affinis eſt homini, & non Soli rerum omnium caducarum genitori: idem nec vnquam ſecus cernere eſt in reliquis omnibus, quæ natura generantur: Quòd ſi id verè dicitur, profectò oporteret ſpeciē intelligibilem in primis repreſentare ſingulariter, & non vniuerſè, quippe quæ eſt phantaſmati ſingulari cognata, huiusq; naturam imitatur. Ex his perſpicuum eſt, quæ de cauſſa ſpecierum intelligibilium effectrice tradita ſunt, ea non eſſe vacua ab accuſatione. Nec verò meliora ſunt, quæ de earundem impreſſione,

ne, & conſeruatione fuerunt in ſcriptis relicta : Enim verò mentem noſtram non recipere huiuſmodi ſpecies illud perſuadet, quòd hę ſpecies ſic recipiuntur, & imprimuntur, vt fugiant mentis comprehenſionẽ, neq; ſint id, quod intelligitur: & noſtra mens recipit ea ſola, quę ab ipſa intellũgitur; id quod fuit ſignificatum in lib. 3. de anima 4. dum concluditur mentem, quia omnia intelligit, eſſe immixtam, & vacuam ab omni forma; cuius conſequutionis ea eſt ratio, quia intelligere eſt recipere id, quod intelligitur; & id, quod recipit, neceſſe eſt ijs omnibus carere, quę ab ipſo ſunt excipienda : Et verò ſi mens reciperet quippiam, quod non intelligeret, non rectè conficeretur eam eſſe immixtam, & ab omnibus vacuam, quia omnia intelligit, quandoquidem multa recipiat, quę non intelligit. Quinetiam ſpecies non poſſunt in mente imprimi ſic vt in hac diu maneant, quoniam ſi ſpecies intelligibiles in mente impreſſę conſeruarentur, nullum vſum nobis præſtare amplius phantaſmata peterunt ad actum intelligendi obeundum, neque illa intueri erit neceſſarium, vt ſcribit Ariſtoteles in lib. 3. de anima 30. & 39. Reſpondent aduerſarij noſtram mentem duobus modis poſſe à nobis inſpici, vno antequam habitũ conſequatur, altero poſt habitus adeptionem, atque quocũq; modo ipſam intueamur, nunquam intelligere ſine phantaſmatis: etenim antequam habitum adipiſcatur, neceſſarium eſſe eam conuerti ad phantaſmata, à quibus accipiat ſpecies rerum intelligibilium, atque moueatur: vbi verò eſt habitum conſequuta, non intelligere ſine phantaſmatis, quod ea ſit mentis & facultatis imaginatricis in natura coniunctio, vt illa ſuum munus obeunte hęc non poſſit otioſa manere, ſuoq; officio non fungi. Hęc reſponſio non eſt Ariſtotelica, quoniam in lib. 3. de anima 30. phantaſmata ſic ſubijciuntur animę intelligenti, quemadmodum ſenſui ſenſibilia, ex quo concluditur eam non ſine phantaſmatis vnquam intelligere, in quibus, vt ſcriptum eſt in tex. 32. intelligit ipſas formas: Ergo ſi de ſententia Ariſtotelis ea eſt phantaſmatum ratio ad ani-

mam intelligentem, quę eſt ſenſibilium ad animam ſentientem; planè anima intelligens ſine illis nunquam poterit intelligere, ſiue habitu ſit induta, ſiue hunc nondum ſit conſequuta. Vanum praeterea eſt exiſtimare phantaſmata menti intelligenti nunquam non adeſſe, quòd actio imaginatricis ſequatur actionem noſtrae mentis, nam Ariſtoteles lib. 3 de anima 39. affirmat eum, qui contemplatur, neceſſariò intueri in phantaſmata, quòd haec non ſecus ſe habeant, ac ea, quae ſenſum mouent: qua de re fert illius opinio animam intelligentem poſtulare phantaſmata, vt ab his moueatur, & non quia mentis actio ſit cum actione imaginatricis connexa. Amplius ſi ſpecies intelligibiles in mente imprimerentur, atque in hac conſeruarentur, ea, quorum ſunt ſpecies, perpetuò intelligerentur, quod à vero abeſt longiſſimè: Huius conſequutionis ea eſt ratio, quoniam cùm primùm ſpecies intelligibilis in mente eſt impreſſa, continuò in mente ſuſcipitur quiditas, & natura, cuius eſt imago; quocirca cùm haec natura, & haec quiditas ſit in mente tanquam obiectum in vi cognoſcente, ſitq; abiuncta à materia & à materiae conditionibus, & propterea actu intelligibilis, actu intelligetur; & tandiu intelligetur, quandiu in mente iacebit. Nonnulli hoc argumentum ita repellunt. Actu intelligibile bifariam dicitur, videlicet actu primo, & actu ſecundo: Quicquid eſt actu primo intelligibile, id non intelligitur actu, ſed eſt huius modi, vt ſi nihil impedierit, poſſit intelligi quod autē eſt actu ſecundo intelligibile, id ſemper actu intelligitur. Species igitur in mēte impreſſa cùm ſit actu primo intelligibilis, non ſequitur mentem perpetuò intelligere. Hi nihil proficiunt, quoniam ſpecies intelligibilis non intelligitur, ſed id, cuius eſt ſpecies: Hoc autem tum primùm intelligatur, oportet, cùm fuerit in mente, quando quidem eſt in hac vti obiectum in facultate cognoſcente: Quapropter quia id perpetuò comitatur ſpeciem intelligibilem, hac in mente impreſſa illud quoque erit in mente, atque tandiu intelligetur, quandiu ſpecies ſeruabitur incolumis. Et ſanè cùm certum ſit

coloris

coloris ſpecie in viſu poſita neceſſariò conſequi, vt color, cuius eſt ſpecies, videatur, nec vnquam fieri, vt hic fugiat viſus comprehenſionem, non perſpicio, ecquid ſit, cur ſpecie intelligibili in mente impreſſa, id, cuius eſt ſpecies, non accipiatur intelligentia? Verum hanc reſponſionem eſſe improbabilem is facilè ſibi perſuadebit, qui tenuerit illud Auerrois in lib. 3. de anima com. 5. haud procul ab initio, quod eſt; Intelligere formas, & denudare eas nihil aliud eſt, niſi facere eas actu intellectas, poſtquā erant potaſtate, quemadmodum comprehendere eas, nihil aliud eſt, quàm eas recipere. Hæc ſi verè enunciantur, perſpicuum eſt quicquid à materia & à materiæ proprietatibus eſt diſiunctū, id eſſe actu intellectum, & re ipſa intelligi. Demum vanam eſſe in Ariſtotelis doctrina ſpecierum intelligibilium in mente conſeruationem argumento eſt vanitas illorum modorum in doctrina Ariſtotelis, quibus fuit explicatum has ſpecies in mente conſeruari. Et prior quidem, qui fuit latinorum, non eſt Ariſtotelicus, quoniam in mente nullam memoriam eſſe ponendam tum id perſuadet, quòd ſpecies, quæ carent contrario, cuius vi deleantur, perpetuò manerent in mente, nec vlla obliuione extinguerentur: tum etiam ſignificauit Ariſtoteles in lib. de memoria, & reminiſcentia, vbi ſtatuit memoriam eſſe affectionem virtutis imaginatricis; & non per ſe, ſed ex accidenti memoriam eſſe vniuerſorum. Reſpondent latini memoriam diſtinguentes in eam, quæ animę ſenſualis propria eſt, & in eam, quæ menti eſt à natura data, atque aſſeuerantes Ariſtotelem in lib. memorato eam ſolam memoriam habere propoſitam, quæ ad ſenſum pertinet. Hanc reſponſionem refellit cùm id, quod Ariſtoteles decernat rerum vniuerſarum non per ſe, ſed ex accidenti memoriam eſſe, quod decretum menti omnino eripit memoriam, nam cùm mens in rebus, formisq; vniuerſis percipiendis ſuam operam locet, harum per ſe eſſet memoria, ſi menti vlla vis memorandi fuiſſet impertita: tum illud, quòd initio lib. de mem. & reminiſcentia Ariſtoteles proponat generatim diſ-

ſerendum

ſerendum eſſe de memoria quid ſit, propter quam cauſſam fiat, & cui animæ partium hæc affectio accidat; hocq; in libro de illa ſola memoria, quę eſt virtutis imaginandi affectio, inſtituat diſputationem; quæ re hic vnam hanc memoriam cognoſcit, deq; huius ſententia nulla memoria eſt ponenda, quæ mentis noſtræ propria ſit, quippe qui & hanc, non ſecus ac alteram fuiſſet perſequutus. Accedit, quòd cùm memoria ſolùm ſit eorum quæ ſunt præterita, atque mens noſtra in ſolis rerum naturis vniuerſis ab omni temporis differentia diſiunctis verſetur, non eſt, cur Ariſtoteles ſentiat vniuerſorum eſſe memoriam, niſi ex accidenti; atquè menti noſtrę impertiat vim memorandi, & conſeruandi. Atque id cum ratione conſentire quidam perſuadent ab Auicenna admoniti in lib. 6. nat. quoniam conſeruatio eatenus tribuitur animæ, quatenus vtitur inſtrumento, in quo propriè fit conſeruatio illius, quod in ipſo reponitur: quamobrem quoniam noſtra mens eſt ab omni inſtrumento ſoluta, hæc de ſententia Ariſtotelis nullam ſibi aſſerit memoriam, & facultatem ſpecierum intelligibilium conſeruatricem. Modus poſterior eſt quoque improbabilis, quoniam ſi ſpecies in mente imprimuntur, cùm virtus imaginatrix vi propria ſeruet phantaſmata ipſi impreſſa, mens quoque poterit ſpecies, quas ſuſcipit, propria vi retinere, ac cuſtodire. Accedit ijs ſolis datam eſſe cauſſam cuſtodientem, quæ vel hærent in materia aliena, vel fluxa ſunt, ac poſita in continuata quadam ſuarum partium generatione; quapropter quoniam mens eſt propria ſpecierum intelligibilium materia, quippe quæ ſua natura eſt harum capax; atque hæ ſpecies ponuntur formę ſtabiles, & non fluxę, putandum eſt, ſi vllę ſpecies menti imprimuntur, has nullam cuſtodem cauſſam deſiderare, neque à phantaſmatis conſeruari. Et ſi cauſſa conſeruans dignitate excedit id, quod ab ipſa conſeruatur, & ex ipſa pendet, quis non videat huius opinionis amatores neceſſe habere fateri phantaſmata eſſe ſpeciebus intelligibilibus præſtabiliora? Sed hos mittamus, & conſidere-

mus

mus rationes, propter quas introducuntur ſpecies intelligibiles menti impreſſæ. Primùm accuſamus Iandunum ſentientem ſpeciem intelligibilem eſſe in mente apparatum quendam ad actum intelligendi excipiendum, quoniam mens ex ſe, ſuaq; natura eſt probè inſtructa ad proprium actum excipiendum; ſententiaq; eſt Ariſtotelis noſtram mentem, antequam intelligat, non eſſe actu aliquid eorum, quæ ſunt quæ ſententia non careret crimine, ſi in mente, antequam intelligeret, vlla poneretur ſpecies, quæ ſit actus quidam, & apparatus ad actum intelligendi excipiendum. Nec verò reſpondendum eſt Ariſtotelem ſentire mentem, antequam intelligat, non eſſe re ipſa quidquã eorum, quæ intelliguntur, & propterea hunc locum nequaquam tollere ſpecies impreſſas, quibus mens non re ipſa, ſed ſpiritualiter eſt ea, quæ intelliguntur, nam mentem noſtram non eſſe quidquã eorum quæ ſunt, antequam intelligat, ex eo conficitur, quòd ea, antequam intelligat, poteſtate contineatur: atqui cùm mens noſtra non ſit poteſtate, vt realiter quippiam efficiatur, ſed ſolùm ſpiritaliter, non enim mens intelligendo fit realiter id, quod intelligitur, ſed duntaxat ſpiritaliter; illa planè, antequam intelligat, non erit ſpiritaliter quidquam eorum, quæ intelliguntur. Sed & id quod hoc in loco adimitur menti, antequam intelligat, eidem intelligenti tribuitur: Quapropter quoniam mens intelligendo non re vera, ſed ſpiritaliter fit ea, quæ intelliguntur, exiſtimandum eſt Ariſtotelem ſentire mentem, antequam intelligat, non eſſe ſpiritaliter, vlloq; modo quippiam eorum, quæ cadunt in eius intelligentiam. Et ſanè cùm inter actum primum, & actum ſecundum nullus actus ſit medius interiectus, alioquin actus, qui vocatur ſecundus, tertius & non ſecundus nuncuparetur; atque mens noſtra ſit actus primus, & actus intelligendi ſecundus, non eſt, vt ſpecies intelligibilis, quæ eſt quidam actus, inter hunc & illam interijciatur, vt ſit apparatus mentis ad actum intelligendi excipiendum. Atque id quoque intelligi poteſt ex ſimilitudine tabulæ, qua vſus eſt Ariſtoteles in

tex.14. ad declarandum mentem, antequam intelligat, non esse actu quidquam eorum, quæ intelliguntur; nam si mens nostra ita se habet ad actum intelligendi, vt tabula ad picturam, planè quemadmodum pictura nullo alio actu antecedente susci-pitur in tabula, eodem modo actus ipse intelligendi à mente excipitur nullo alio actu antegrediente. Nec secus refelluntur illi, qui sentiunt speciem intelligibilem habere rationem formæ definientis, & arctantis mentem ad hoc vel illud intelligendum. Scotus quinetiam huic argumento sit obnoxius, qui præterea accusatur, quoniam phantasmatum præsentia potest præstare, vt obiectum sit menti præsens, huicq; iungatur; & vt mens naturam vniuersam queat intelligere: Nam anima dum phantasmata intuetur, hæcq; inter se comparando agnoscit eorum similitudines, ac dissimilitudines, mente colligit notiones vniuersas, apprehenditq; simplices rerum naturas sine materia, & materiæ appendicibus, vt suo loco fuit abundè explicatum. Adhac cùm nulla forma agat in materiam, in qua hæret, quia in omnibus caussa agens est ab eo, quod patitur, disiuncta, fieri non potest, vt species intelligibilis menti impressa fungatur munere illius, cui data est vis mentem mouendi. Respondent aduersarij duo esse formarum genera, alterum esse in materia per modũ formæ inhærentis, hocq; in materiam non agere; alterum per modum obiecti, & eo pacto, quo obiectum est in facultate cognoscente, atque genus hoc, quod species intelligibiles amplectitur, in materiam agere. Hi sunt frustra, quoniam cùm species intelligibiles sint qualitates, quarum est in subiecto hærere, atque de sententia aduersariorum subiectum earum sit mens, necesse est, vt in hac insint per modum formæ inhærentis. Restat D. Thomæ, ac Zimaræ opinio, quam possumus vrgere non solùm, quia mens, vt dictum est, nullum habet actum, antequam intelligat; verùm etiam quoniam si species intelligibilis esset inducenda, quæ esset principium formale actus intelligendi, ea ad hunc actum explendum maioris esset momenti, quàm substan-

tia

tia noſtræ mentis, id quod non caret abſurditate. Hoc ſequi illud ſuadet, quoniam ad actum aliquem abſoluendum cùm duo vna iunguntur ſic inter ſe affecta, vt vnum reſpectu alterius ſit veluti materia, & alterum tanquam forma, id, quod eſt inſtar formæ, ſemper eſt cauſa princeps, primumq; principium hunc actum abſoluendi lib. 2. de anima 24. Et ſi animæ ſimitur principium, quo primùm intelligimus, quis non videat fore, vt ſpecies intelligibilis ſit anima, ſi ea fuerit ratio principiumq; formale intelligendi? Et cùm ſpecies intelligibilis extrinſecus accedat impreſſa à phantaſmate, quis non ſentiat huius opinionis authores in illud abſurdum incurrere, vt mens non vi ſuæ, & ſubſtantiæ ſit principium intelligendi, ſed eo pacto, quo aqua, quæ incaluerit, dicitur calefacere? Et vt tandem concludam, cùm mens ad ea, quæ intelliguntur, eam habeat rationem, quam ſenſus ad ea, quæ ipſum mouent lib. 3. de anima 3. atque nulla forma in ſenſu ſit ponenda, quæ ſit actus primus, quis hinc non concludat in mente nullam formam eſſe imprimendam, quæ ſit actus primus? Senſum non eſſe alicuius formæ capacem, quæ ſit primus actus ipſius, intelligitur ex Ariſtotele ferè ad initium diſputationis de ſenſu in lib. 2. de anima, quo in loco id, quod vim habet ſentiendi, de poteſtate prima ducitur ad actum primum ab eo, quod generat, & de poteſtate ſecunda ad actum ſecundum ab eo, quod ſenſum mouet: Verùm ſi ſpecies, quæ eſſet primus actus, ſenſui imprimeretur, & hic non eſſet actus primus, neutiquam quod vim habet ſentiendi, id ex poteſtate prima in actum primum duceretur à genitore, ſed à re ſenſibili ſuam ſpeciem, quæ eſt actus primus, in ſenſu imprimente. Atque ſuper his, quæ idoneo loco fuerunt copiosè explicata, non eſt, vt longiorem ſermonem protrahamus. At inquiunt aduerſarij, cùm quicquid agit, id agat, quà ex parte eſt actu, quì ſenſus ſentire, & mens intelligere poterit niſi ille per ſpeciem ſenſibilem, & hæc per ſpeciem intelligibilem actu efficiatur? Hi falluntur, quoniam neque ſenſus propriè ſentit,

neque mens propriè intelligit, sed homo, qui est actu, non per alicuius speciei susceptionem, sed per animam propriam, quæ in ipso est actus primus, atque principium sentiendi, & intelligendi.

Alexander, & Auerroes nullas possunt species intelligibiles probare, quæ menti imprimantur. Cap. XII.

HVic opinioni de speciebus intelligibilibus in mente impressis Alexander, & Auerroes summi Aristotelis interpretes nullo modo possunt accedere; itaque quoniam plerique arbitrantur has species hisce clarissimis viris probatas fuisse, hi ex hoc errore sunt eripiendi. Alexander in lib. 2. de anima cap. 38. dum disputat de actu videndi, nullas species habet cognitas, quæ ab obiectis imprimantur in oculis; quapropter quoniam mentis humanæ, & sensus oculorum eadem ferè ratio est, & intelligere est sicut videre, existimandum est hunc nullas species postulare, quæ imprimantur in mente ad actum intelligendi obeundum. Idem præterea in lib. 1. de anima cap. de mente actiua, & speculatiua duas statuit dissimilitudines inter mentem nostram & materiam; vna est, quoniam formæ, quæ accipiuntur à mente, sunt vniuersæ ac seiunctæ à materia, & à materiæ proprietatibus; & formæ, quas materia suscipit, sunt singulares, & cum materia implicitæ: altera est, quia mens sic recipit formas, vt has cognoscat; & materia formas, quas induit, neque distinguit, neque cognoscit. Hæc discrimina Auerroi quoque fuerunt probata in lib. 3. de anima com. 5. qui propterea in com. 14. eiusdem libri scripsit susceptionem mentis, & materiæ non esse vnius rationis, sed aliùs & diuersæ. Verùm hi viri si species intelligibiles menti impressas approbarent, indigni essent, quibus fides habeatur in his materia mentisq; differentijs, nam cùm species intelligibiles sint forma singulares, mens es-

set

ſet capax formarum ſingularium, id quod materiæ fuit quoque tributum, & cùm eædem eo pacto accipiantur à mente, vt fugiant huius comprehenſionem, mens non ſecus ac materia formas ſuſceptas non cognoſceret. Nec aliquis reſpondeat ſpecies intelligibiles, quæ imprimuntur in mente, ab hac intelligi, nam id falſum eſt, nec fieri poteſt, quoniam nulla materia poteſt iudicium ferre de forma in ſe hærente, vt inquit Themiſtius in lib. 2. de anima 122. & Ariſtoteles ſignificauit in lib. 2. de anima 124. ſtatuens plantas non ſentire, tametſi caleant, & frigeſcant, quoniam ſic patiuntur, vt fiant materia earum qualitatum, à quibus afficiuntur. Nec rurſus quiſpiam eò ſe recipiat, vt dicat mentem ſpecies impreſſas non equidem cognoſcere, cæterùm per has apprehendere ea, quorum ſunt ſpecies; nam primùm non eſt facilè intellectu, quo modo mens poſſit quippiam comprehendere vtendo ijs, quorum notitia eſt ei adempta: deinde hinc minimè fit, quin mens non ſecus, ac materia recipiat formas, quarum nullam habet comprehenſionem: poſtremò mens nullas formas poteſt abſque cognitione recipere; nam cùm receptio abſque cognitione formæ receptæ, atque receptio cum cognitione pugnent inter ſe, nequeunt in vna eandemq; natura ſimplici coire; quocirca ſi mentis receptio non eſt à cognitione diſiuncta, nequit fieri, vt ei conueniat receptio à cognitione diuulſa: atque huius quoque id fidem facit, quòd quemadmodum vnius ſimplicis formæ vnus eſt ſecundum naturam modus agendi, ita vnius ſimplicis materiæ vnus eſt ſecundum naturam modus recipiendi: itaque quoniam mens eſt pura, ſimplexq; materia ſpecierum intelligibilium, vnicus ſuſcipiendi modus erit huic à natura imperitius, qui eſt cum cognitione. Neque aliquis obijciat ſenſum, qui ſpecies ſenſibiles recipit nullam habens harum cognitionem, nam hæ ſpecies vel ſunt contemnendæ; vel ſi non contemnantur, falſum eſt ſpecies rerum ſenſibilium in ſenſu ſuſcipi tanquam in ſubiecto, ſed hæ ſuſcipiuntur in ſenſuum inſtrumentis, & in his impreſſæ dijudicantur à ſenſibus, atque

cùm.

comprehenduntur: Sod hac de re aliàs fuit diſputatum. Præterea hæc ab Auerroe ſcripta ſunt in lib. 3. de anima com. 39.
Neceſſe eſt, vt formæ ſint exiſtentes in mente ſecundum velocitatem, & rem velocis tranſmutationis non fixam; & quòd illæ eædem formæ ſint exiſtentes extra animam in rebus ſenſibilibus ſecundum quod habitus exiſtit in re habente habitum, & res fixa in re patiente. *In his Auerroes putat ſpecies in mente non habere eſſentiam ſtabilem, ac permanentem: at ſi ſpecies in mente imprimerentur, in hac diu manerent, eſſentiamq; haberẽt firmam & conſtantem, id quod ſic perſuadetur. Omne accidens, cuius eſſentia non eſt fluxa, & in fluxu poſita, duobus modis corrumpitur initio lib. 2. de long. & breuit. vitæ, vel à contrario ſuperatum, vel deſtructo eius ſubiecto: atqui ſpecies menti impreſſæ carent contrario, & in ſubiecto ſunt ſitæ immutabili, nimirum in mente: ergo hæ ſpecies nullo modo poterunt habere eſſentiam variabilem, & celeriter mutabilem. Reſpondent nonnulli verba Auerrois nihil aliud ſignificare, quàm ſpecies intelligibiles ſeruari in mente vi, & præſentia phantaſmatum, ex quibus pendent, & non vi ſua, aut ipſius mentis virtute: idq; declarant exemplo luminis, quod multæ faces in aere excitarunt, nam vt hoc continenter fit, nec habet eſſentiam fixam ex facibus pendens, eodem modo ſpecies intelligibiles in mente à phantaſmatis excitatæ aſſiduè fiunt pendentes ex phantaſmatis. Hanc reſponſionem non eſſe ferendam conſtat ex ijs, quæ aduerſus ſpecierum conſeruationem fuerunt diſputata, quibus hæc poſſunt adiungi. Si ſpecies tandiu ſeruantur in mente quandiu phantaſmata in imaginandi facultate, profectò cùm phantaſmata habeant eſſentiam firmam, & conſtantem, ſpecies ab eis ſeruatæ, & ex eis pendentes non habebunt eſſentiam cito tranſmutabilem. Adhæc ſi phantaſmata in facultate imaginatrice diu manent abſque vlla cauſſæ efficientis conſeruatione, cur ſpecies menti impreſſæ poſtulabunt præſentiam phantaſmatum, à quibus conſeruentur?*

Cùm

Cùm enim ſpecies intelligibiles ſint phantaſmatis multò puriores, & ſpiritaliores, hæreantq́ in ſubiecto magis ſtabilis conſtantiſq́ naturæ, quis non ſentiat his minus vſui eſſe alicuius efficientis præſentiam? Nec verò ſolùm hæc Alexandri, & Auerrois teſtimonia poſſunt fidem facere hos non probare ſpecies intelligibiles menti impreſſas, verùm etiam argumenta poſſunt afferri, quæ ex ipſorum doctrina deſumpta rem propoſitā confirment. Si amemus Auerrois doctrinam, huius modi argumentum afferetur. Nulla ſubſtantia ſeparata à materia poteſt aliquod accidens recipere: noſtra mens ab Auerroe fuit poſita in numero mentium à materia ſeparatarum; non igitur ad huius ſententiam mens poteſt ſubijci ſpeciebus intelligibilibus: maior propoſitio confirmatur, quia materia eſt prima cauſſa, cur id, quod patitur, patiatur; & id, quod recipit, recipiat; hinc in lib. 1. de gen. & int. 55. ſi aliqua caliditas conſtaret à materia diuulſa, hæc ſolùm ageret, & nihil pateretur, ſiue quod idem eſt, nihil omnino reciperet. Zimara in quæſt. de ſpeciebus intelligibilibus occurrit huic argumento, primùmq́ ſtatuit ad Auerrois opinionem in lib. 3. de anima com. 28. materiam non eſſe cauſſam cuiuſcunque receptionis, ſed duntaxat illius, quæ eſt rei ſingularis, & mutabilis: deinde ex hoc colligit id, quod non recipit receptione rei ſingularis, & mutabilis, non eſſe materiæ coniunctum: poſtremò aſſeuerat nullam mentem à materia ſegregatam recipere accidentia præter noſtram omnium nouiſſimam, cui id fuit à naturam datum ob minus præſtantem naturæ dignitatem. In his nullum eſt momentum, nam ſpecies intelligibis eſt qualitas ſingularis, nec perpetuò hæret in mente: quapropter ſi Auerreois teſtimonio materia eſt cauſſa, cur recipiatur res ſingularis, atque mutabilis, mens, quę ab omni materia eſt remota, nullo modo recipiet ſpecies intelligibiles ſic, vt in ipſa imprimantur. Nec Zimara aſſeueret ſpecies intelligibiles impreſſas eſſe formas vniuerſales, & non ſingulares, quoniam in ideas, & vniuerſalia Platonis incideremus multis in locis

locis ab Aristotele euersa. Adiungendum est, quoniam species intelligibiles eodemmet Zimara non diffitente à phantasmatis singularibus generantur, & conseruantur, fieri non posse, vt hæ sint vniuersales; quòd generatio non sit rei vniuersalis, sed singularis lib. 1. de gen. & int. 40. & lib. 1. postnat. in proœmio, atque absurdum sit vniuersale generari, ac pendere a singulari. Deinde accidentium receptionem tribuere menti omnium nouissima non est rationi consonum, quia non subijci accidentibus dicitur de mentibus à materia separatis in eo quòd sunt huiusmodi, & quicquid tribuitur mentibus à materia liberis, qua ex parte sunt mentes à materia solutæ, id omnibus congruat, & de omnibus dicatur, oportet. Idem asseri hanc responsionem: Mens humana bifariam potest considerari, vno modo absolutè, & vt mens segregata à materia; altero, quatenus præsidet hominum speciei: priore modo considerata respuit omnia accidentia; posteriore, nihil prohibet, quin accidentibus quibusdam subijciatur. In hac quoque responsione nullum est momentum, nam si mens humana simpliciter, & absolutè habet naturam, qua respuit accidentia, eadem assidens hominibus non poterit accidens aliquod accipere: huius ea est ratio, quia essentia & natura mentis in nullam incurrit varietatem, aut mutationem, quòd hominibus præsideat, neque id, quod est hominibus præsidere, potest menti quippiam largiri, quod pugnet cum eius natura. Præter hoc sunt alia, ex quibus idem potest intelligi, quibusque vsus est Achillinus in lib. de Intelligentijs quolib. 3. dub. 3. quorum hoc non est prætereundum. Si species intelligibiles impressæ Auerroi fuissent probatæ, demonstratio, qua is in lib. 3. de anima com. 4. ostendit mentem nostram non esse formam materialem, pondus non haberet: Ea est: Omne recipiens necesse est, vt careat natura rei, quæ recipitur: mens nostra recipit omnes formas materiales; non igitur mens nostra est forma materialis. Hæc argumentatio non est necessaria, si de sententia Auerrois mens recipiat species intelligibiles impressas, nam cùm hæ species

ſpecies ſint aliùs naturæ, ac ſint formæ, quarum ſunt ſpecies, mens, quamuis ſit forma materialis, poterit accipere ſpecies omnes intelligibiles formarum materialium. Quapropter hac argumentatione neceſſariò quidem concluditur mentem non eſſe vllam ſpeciem intelligibilem forma materialis, quippe quæ accipiat ſpecies omnes intelligibiles formarum materialium; at cùm hæ ſpecies ſint diuerſæ, ac aliùs naturæ, ac ſint formæ quarum ſunt ſpecies, non ſequitur mentem non eſſe formam materialem, ſi ea recipit ſpecies omnium formarum materialium intelligibiles. Sin verò Alexandri decreta voluerimus amplexari, præſtò erit hoc argumentum. Si ſpecies intelligibiles, quæ animæ intelligenti imprimantur, eſſent ponendæ, hæ vel in ſubſtãtia ipſius animæ intelligentis reciperentur, vel in huius animæ poteſtate, quam vocamus mentem: neutrum eſt dandum ad ſententiam Alexandri; ergo iuxta huius viri decreta non ſunt ponendæ ſpecies intelligibiles, quæ in anima intelligente imprimantur: Non eſt, vt primum aſſumatur, quia cùm anima intelligens ab Alexandro fuerit ex materia viſceribus eruta, atque ita poſita, vt nullam habeat partem, quæ ſit à corpore ſeparabilis; nihil poteſt in hac ſuſcipi, quod in corpore, aut in corporis parte non ſuſcipiatur: ergo quiſquis dixerit in anima intelligente tanquam in ſubiecto imprimi ſpecies intelligibiles, idem dicat eſt neceſſe eaſdem in corpore vti in ſubiecto ſuſcipi; id autem abſurdum eſt, quoniam ſi ſpecies intelligibiles in aliqua corporis parte tanquam in ſubiecto reciperentur, hæc pars eſſet mentis, & animæ intelligentis inſtrumentum; nam vt ea corporis pars dicitur ſenſus inſtrumentum, in qua ſuſcipiuntur ſpecies ſenſibiles, ita mentis inſtrumentum ea corporis pars erit iudicanda, in qua imprimuntur, & impreſſæ conſeruantur ſpecies intelligibiles. Non carere autem abſurditate mentem habere inſtrumentum ad ſuum munus obeundum Alexander ſentit, & Alexandro conſentiunt cæteri Peripatetici ab Ariſtotele admoniti. Nec etiam alterum poteſt defendi, quoniam Alexan-

der in lib. 1. de anima cap. de mente ſpecul. ſcribit mentem materialem eſſe facultatem, & habilitatem quandam ad formas excipiendas ſimilem magis tabellę ἀγράφῳ, hoc eſt inſcriptionis carentiæ, quàm tabellæ, ac proinde ſicut in tabella accidit, vt ipſa, in qua facultas & habilitas eſt inſcriptionis excipiendæ, vbi quid inſcriptum eſt, pati aliquid videatur, cùm aptitudo ipſa & facultas in actu profecta nihil omnino patiatur; non enim ſubiectum eſt; eodem modo mentem nihil pati, cùm nihil ſit eorum, quæ ſunt actu. Si igitur Alexander cenſet mentem ſimilem eſſe inſcriptionis carentiæ, atque non eſſe ſubiectum, & nihil pati, perſpicuum eſt iuxta eius opinionem nihil in mente imprimi tanquam in ſubiecto. Sanè Alexander quandoque vtitur ſpeciei intelligibilis vocabulo, verùm hoc non ſignificat ei ſpeciem intelligibilem impreſſam, qua id, cuius eſt ſpecies, intelligitur, ſed formam & naturam rei, quæ cadit in intelligentiam; nam in lib. 1. de anima cap. de mente actu aſſeuerat mentem eſſe hanc ſpeciem, quoniam ſit id, quod intelligit, & propterea dum per ſe intelligit hanc ſpeciem, per accidens ſeipſam intelligere, quippe cui accidit, vt cùm intelligit, illud fiat, quod à ſe intelligitur. Nec ſecus audiendus eſt Auerroes, dum ſcribit in lib. 3. de anima com. 38. rerum formas eſſe in anima, & non res; & alibi mentem recipere formas; non enim formarum nomine ſignificat ſpecies intelligibiles, de quibus eſt diſputatio, ſed rerum formas, & quiditates quas intelligit, vt idem inquit in eodem com. 3. atque in hoc Themiſtium eſt imitatus, qui in lib. 3. de anima cap. 52. in eadem ſignificatione vſus eſt hoc vocabulo inquiens animam eſſe omnia, quoniam nulla res eſt, cuius formam aut ſenſu, aut mente non vſurpet; & animum dici formam formarum, quia reliquæ formæ per animam cognoſcuntur, omniumq; formæ cognitione complectuntur. Atque hæc de Alexandro & Auerroe. In eandem opinionem abiit Theophraſtus, de cuius ſententia Priſcianus Lydus in lib. de ſenſu, phantaſia, & intellectu ſtatuit nullas formas in anima imprimi,

mi, eoſq; exagitat, qui animam non ſecus, ac ceram obſignant ſpeciebus in ipſa impreſſis. Quinetiam Plotinus in lib.6.enn.4. eaſdem habuit pro nihilo, & ſub libri huius exitum accuſauit harum ſpecierum amatores tanquam ignaros abſurdorum, quæ hinc ſequuntur. Nec ſecus de his ſentiunt reliqui Platonici, qui cùm velint in anima inſitas eſſe rationes eorum, quę cognoſcuntur à nobis, nullas ſpecies amplexantur, quæ ab obiectis animæ imprimantur. Sed de Platonicis quicquid ſit, ego arbitror neminem poſſe rectè interpretari Ariſtotelem, commodèq; vitare multas difficultates, qui has Latinorum ſpecies intelligibiles in noſtra mente à phantaſmatis impreſſas voluerit approbare.

Illorum opinio, qui ſpecies intelligibiles expreſſas introduxerunt. Cap. XIII.

ALij huic opinioni de ſpeciebus intelligibilibus in mente impreſſis non accedentes in aliam abierunt. Hi ſpecies intelligibiles ita diuidentes, vt alię ſint impreſſæ, contra quas hactenus diſſeruimus, & alię expreſſæ, illas eiiciunt, & has amplectuntur, quas ſtatuunt eſſe phantaſmata illuſtrata, quippe quæ ex ſe exprimant, & obiciant menti puras ſimplicesq; rerum quiditates, quæ in eis delitescentes mentis effectricis lumine, & efficacia in lucem euocantur ſic, vt queant mentem mouere, atque in mente ſuſcipi, non quidem tanquam formæ, vel accidentia in ſubiecto, ſed veluti obiectum in facultate, quæ ad ipſum cognoſcendum eſt comparata. Verùm id, vt planè percipiatur, exemplo illuſtrabimus. Fingamus animo pomum, in quo inſint color, odor, ſapor, figura, & alia accidentia ſimul coniuncta, à Sole illuminari, profectò huius lumine non odor, non ſapor, non aliud quodpiam accidens aerem perſpicuum, & aſpectum mouebit, ſed ſolus color, qui abſente lumine non pote-

rat in aſpectum cadere: ergo vt lumen illuſtrando pomum vim tribuit colori, qua ſolus ipſe mouet intuitum ſine alijs accidentibus, quę cum ipſo ſunt implicita, ſic planè mente effectrice phantaſmata illuminante vis quædam tribuitur naturis, quæ in his ſunt incluſę, qua ſingulæ per ſe ſolę mentem materialem mouent nam quemadmodum in pomo, ſic etiam in pomi phantaſmate, ſimiliterq́; in ſingulis phantaſmatis aliarum rerum multa coharentes, & coniuncta naturæ inter ſe ſunt, quarum coniunctio ſingularitatem parit. Has verò mens efficiens ſua vi ita diſcernit, diſtinguitq́;, vt per ſe ſingulæ color, odor, ſapor, figura, magnitudo, & reliquę, quæcunque fuerint, ſine alijs, quæ non pertinent ad ipſarum quiditatem, mouere queant mentem materialem, & ab hac intelligi. Hanc opinionem tuetur Henricus Gandauenſis, quem multi tàm veteres, quàm recentes ſequuntur, eaq́; huiuſmodi argumento confirmatur. Noſtra mens nihil poteſt intelligere, niſi coniungatur ei, quod cadit in ipſius intelligentiam: atqui noſtra mens intelligit naturas, & quiditates, quę in phantaſmatis ſunt incluſæ; ergo mens noſtra his coniungatur, oportet: Porrò hęc coniunctio fieri non poteſt, niſi ope ſpecierum, quę à mente ſuſceptæ in ea vel imprimantur tanquam formę & accidentia in ſubiecto, vel excitentur per modum obiecti; ergo quia abſurdum eſt ſpecies intelligibiles in mente tanquam in ſubiecto ſuſcipi, concluditur eas ab hac eo modo accipi, quo à cognoſcente vi accipitur obiectum, easq́; in mente exprimi per modum obiecti. Abſurdum eſſe ponere ſpecies intelligibiles, quę in mente tanquam in ſubiecto imprimantur, cùm ea confirmant, quæ ſupra aduerſus has fuerunt diſputata, tum hoc etiam huius opinionis ſectatoribus mirificè probatum. Si phantaſma poteſt vniuersè propriā quiditatem repreſentare, fruſtra inducuntur ſpecies, quę in mente imprimantur: ſed phantaſma poteſt vniuersè propriam quiditatem repreſentare, noſtraq́; menti obijcere; ſuperuacaneę igitur ſunt ſpecies intelligibiles impreſſę. Connexum eſt euidens: Aſſumptum

ptum ita declaratur. Species intelligibilis cùm ſit ſuà naturà ſingularis, neceſſe eſt, vt propriam naturam, & quiditatem habeat, quę multis ſit, aut poſſit eſſe communis; ergo quia ſpecies intelligibilis duabus naturis fuit donata, vna propria, & altera illius, cuius eſt ſpecies, repraſentatrice, (vt enim ſpeculum duas habet naturas, quarum vna repreſentat, & offert noſtris oculis rerum diuerſarum formas, altera eſt ipſius propria in eo, quòd conſtat ex chalybe, aut criſtallo, eodem modo & ſpeciei intelligibilis, quam appellant impreſſam, duę ſunt naturę) quęritur, nunquid ſpecies intelligibilis ſingularis per ſe obijciat menti propriam quiditatem & naturam, an potiùs requirat operam alterius ſpeciei, quę ex ipſa exprimatur, aut ab ipſa imprimatur. Si hoc poſtremum ſtatuatur, illud abſurdum conſequetur, vt e ſpecie intelligibili educatur, & procreetur ſpecies intelligibilis in infinitum: Sin alterum, cauſſa erit afferenda, cur phantaſmata nequeant proprias quiditates per ſe vniuersè repreſentare, cùm huius quicquid eſt officij, fuerit datum ſpeciei intelligibili ſingulari. Et herclè nulla ratio, quę ſit probabilis, poteſt reddi, aut cogitari; quamobrem quoniam turpe eſt philoſophũ aliquid ſine ratione ſtatuere lib. 8. phyſ. 15. dandum erit phantaſma poſſe quiditatẽ propriam repreſentare, & quod relinquitur, fruſtra induci ſpecies intelligibiles impreſſas. Hęc opinio tametſi minus quàm altera, quę tuetur ſpecies intelligibiles impreſſas, videatur improbabilis, attamẽ & ipſa eſt obnoxia accuſationi, quoniam cũ phantaſma nõ poſſit idem oppoſitis modis ſimul repreſentare, nequit fieri, vt phantaſma vniuersè obijciat mẽti naturas in ipſo reſidentes, quas ſingulariter obijcit facultati imaginatrici. Reſpondent aduerſarij phantaſma per ſe ſolitarium naturam rei ſingularem repreſentare, & mentis effectricis lumine colluſtratum vim ſibi aſſerere repreſentandi naturam rei vniuersè. Hi nihil proficiunt, nam tametſi non ſit diffitendum idem contrario ſe habens modo efficere contraria, nunquam tamen fieri poteſt, vt idem vno eodemq; tempore

con-

contrarijs modis afficiatur, efficiatq; contraria: at verò quoniam de sententia aduersariorum phantasma nunquam non est mentis effectricis lumine illustratum, planè aut nunquam mouebit vim imaginatricem, aut si hanc moueat, vno eodemq; tempore vim habebit & singulariter, & vniuersè mouendi. Caterùm non est, vt aduersus has species multi simus, quoniam cum phantasmata, vt suo loco declarauimus, non illustrentur vllo mentis effectricis lumine, neque ab hac vim accipiant ex se promendi puras, ac simplices rerum quiditates, hasq; per se solas menti obijciendi, non est, vt phantasmata statuantur species intelligibiles expressæ. Atque id quoque intellexerunt specierum impressarum amatores, quamquam hi alia ratione adducti species horum expressas habuerint pro nihilo. Cautè dixi species horum expressas, quoniam specierum impressarum probatores tametsi eijciant hasce species expressas, ipsorum tamen plerique alias amplexantur, quas inquiunt esse conceptus & notiones nostræ mentis, quæ per intelligendi actum in mente producuntur, & ex mente exprimuntur, à quo re ipsa distinguuntur. Harum naturam D. Thomas vt aperiat, habet hac in quæst. de potentia Dei quæst. 8. art. 1. Intelligens in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem, scilicet ad rem, quæ intelligitur; ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu; ad suum intelligere; & ad conceptionem intellectus, quæ quidem conceptio à tribus prædictis differt; à re quidem intellecta, quia res intellecta est interdum extra intellectum, conceptio autem intellectus non est nisi in intellectu: & iterum conceptio intellectus ordinatur ad rem intellectam sicut ad finem; propter hoc enim intellectus conceptionem rei in se format, vt rem intellectam cognoscat. Differt autem à specie intelligibili, nam species intelligibilis, qua fit intellectus in actu, consideratur vt principium actionis intellectus, cùm omne agens agat secundum quod est actu; actu autem fit per aliquam formam,

mam, quam oportet esse principium actionis: Differt autem ab actione intellectus, quia prædicta conceptio consideratur, vt terminus actionis, & quasi quoddam per ipsum constitutum: Intellectus enim sua actione format rei diffinitionem, vel etiam propositionem affirmatiuam, vel negatiuam: Hæc autem conceptio intellectus in nobis propriè verbum dicitur; hoc enim est, quod verbo exteriore significatur: vox enim exterior neque significat ipsum intellectum, neque speciem intelligibilem, neque actum intellectus, sed intellectus conceptionem, qua mediante refertur ad rem. Huiusmodi ergo conceptio, siue verbum, qua intellectus noster rem aliam à se intelligit, ab alio exoritur, & aliud representat, oritur quidem ab intellectu per suum actum, est verò similitudo rei intellectæ. *Hactenus D. Thomas, qui quod alij vocant speciem intelligibilem expressam, id appellat intellectus conceptionem; de hac verò quid statuendum sit, opinione, quam sequimur, explicata atque percepta, ad quam nunc aggredimur, planum ac perspicuum erit.*

De quæstione proposita quid sentiendum sit. Cap. XIIII.

EGo arbitror illos multò rectiùs sentire, qui statuunt speciem intelligibilem esse actum ipsum intelligendi, nec vllam speciem intelligibilem siue impressam, siue expressam esse inducendam, quæ in mente prægrediatur, vel consequatur actum intelligendi, vt illi omnes existimant, quorum opiniones fuerunt à nobis recitatæ. Hæc autem ita confirmantur: Et primùm quidem quòd species sit actus intelligendi, hoc modo persuadetur. Cùm ea, quæ sunt in anima, ita sint diuisa, vt alia sint potestates, alia actus, & alia habitus lib. 3. Ethic. ad Nicom. cap. 5. atque species intelligibilis neque sit potestas, quoniam hæc

à na-

à natura fuit animæ impertita, & illa extrinsecus accedit; neq; habitus, quoniam hic existit ex iteratis repetitisq; actionibus, id quod speciei intelligibili minimè congruit; relinquitur, vt sit actus. Quòd autem præter actum intelligendi nulla species alia in mente sit ponenda, ex his intelligitur. Actus intelligendi est imitatio, & similitudo rei, quæ cadit in intelligentiam, ergo præter intelligendi actum nulla alia species in mente est ponenda, quæ sit rei, quæ intelligitur, similitudo. Consequutionem illud confirmat, quòd natura à non necessaria multitudine abhorreat, idq; Aristoteles fuit sæpè attestatus. Assumptum est in iis, quæ à grauissimis Peripateticis sunt concessa, quorum constans est opinio nostram mentem esse veluti mirum quendam histrionem, qui in peragenda fabula tam aptè multorum mores, gestusq; diuersos simulat ac imitatur, vt eos nihil loquendo spectatoribus prodat: Hinc optima ratione scripsit Aristoteles in sect. 30. probl. 5. hominem omnium maximè vim obtinere imitandi: & in lib. de poetica cap. 2. insitum esse à natura cunctis hominibus imitari, id quod pueri testantur; atq; homines & à cæteris animantibus differre, quòd aptissimi sint ad imitandum; & disciplinas imitando acquirere; nam cùm mens sit vel nostra natura, vel facultas & vis animæ, ac naturæ nostræ propria, sequitur omnes homines ad imitandum natura esse magnopere procliues, atque hoc vel maximè differre à cæteris animantibus. Sciè quoque Orphæus, ac veteres apud gentes Theologi animam nostram nomine Protheï nuncuparunt, nam ipsa veluti Protheus omnia imitando in omnia transformatur; & quoniam rerum aliæ sunt sensibiles, & aliæ intelligibiles, anima sensu fit res sensibiles, & mente res intelligibiles lib. 3. de anima 37. Nec verò hæc transformatio, ac imitatio existit per susceptionem, & impressionem alicuius speciei, ac formæ, sed vt histrio solis actibus imitatur nullam formam suscipiendo, eodem modo anima nostra sine vllius formæ susceptione fit omnia, & in omnia transformatur. Neque alicui

molestiam exibeat, quòd Auicennas in lib. 6. nat. non potuerit intelligere quo pacto mens transformaretur, & maneret incolumis, neque desineret esse illud ipsum, quod est; nam id nihil est, quia hæc animæ transformatio non est realis, sed posita in imitatione; hinc Aristoteles in loco proximè recitato dicebat non lapidem, sed speciem lapidis esse in anima significans hanc transformationem, qua anima fit omnia, non esse realem, sed in imitatione consistere, quæ imitatio vocatur species, quoniam per ipsam mens in se exprimit similitudinem rei, quæ intelligitur; ex quo dicitur capax specierum, & habere species. Nonnulli e familia D. Thomæ respondent speciem intelligibilem esse similitudinem habitu, & actum intelligendi similitudinem actu rei, quæ intelligitur, atque non esse superuacaneum mentem affici duabus similitudinibus, quarum altera sit habitu, & altera actu. Hi in errore positi sunt, quoniam species intelligibilis in mente sita semper est actu, quod in mente, quæ caret instrumento corporeo, nihil inesse possit, nisi actu intelligatur. Accedit, quod est habitu, id aliquando actu fieri, ne frustra sit potestas, qua habitus refertur ad actum; ergo si species intelligibilis est similitudo habitu, hæc quandoque erit actu: atqui tum solùm actu potest esse similitudo, cùm id, cuius est similitudo actu intelligitur; species igitur intelligibilis si sit ab intelligendi actu diuersa, duæ eiusdem rei similitudines actu erunt eodem tempore in mente positæ. Præterea vis, quæ suâ naturâ est comparata ad actum aliquem suscipiendum, hunc actum primùm, ac per se accipit; quoniam igitur mens nostra suâ naturâ est comparata actum intelligendi suscipere, illa primùm ac per se accipiet hunc actum; & quod hinc fit, nulla species est ponenda, quæ ante actum intelligendi à mente suscipiatur. Respondent aduersariorum nonnulli in mente speciem esse temporis origine priorem actu intelligendi, quippe quæ est actus primus, at perfectione, ac dignitate actum intelligendi, qui est actus secundus, esse priorem, & illam posteriorem, quando quidem species

intelligibilis eſt comparata, vt ipſa intercedente exiſtat actus intelligendi, qui eſt multò præſtabilior. Hi non ſunt audiendi, quia cùm mens non ſecus, ac ſenſus ſit actus primus, & actus intelligendi ſecundus, nulla ſpecies eſt inducenda, quæ ſit actus primus antegrediens actum intelligendi; atque id non obſcure ſignificauit Ariſtoteles, cùm ſtatuit in lib. 3. de anima 5. mentẽ nihil eſſe actu eorum, quæ ſunt, antequam intelligat, & quod ſequitur ante omnia primùm ab ea accipi actum intelligendi. Iandunus, & Zimara hunc Ariſtotelis locum perpendentes inquiunt mentem antequam intelligat, non eſſe aliquid actu ex ſe, & per ſuam eſſentiam, attamen poſſe aliquod ens actu eſſe per quidpiam à ſua eſſentia diuerſum, eſſe enim actu ens ante actũ intelligendi per ſpeciem intelligibilem, quæ non eſt pars conſtituens naturam & eſſentiam mentis, neque naturaliter ineſt in natura, & eſſentia mentis. Hi ſunt improbabiles, quoniam Ariſtoteles hoc in loco concludit mentem nihil eſſe actu eorum, quæ ſunt, antequam intelligat, ex eo, quòd in tex. antecedente fuerit conſtitutum mentem noſtram eſſe immixtam, hoc eſt nullam habere communitatem cum ijs, quæ ab ipſa per ſe intelliguntur, quoniam ſi aliquid horum in ſe contineret, id eſſet impedimento, ne quæ extra ſunt, recipianiur, & intelligantur à mente: quapropter exiſtimandum eſt mentem neque per ſuam eſſentiã, neque per quippiam in ſua eſſentia diuerſum eſſe aliquid eorum, quæ ſunt, ante actum intelligendi. Deinde hi ſi veri eſſent in hac explicatione, mens actu intelligens nihil eſſet actu eorum, quæ ſunt, id quod nemo non fatetur Ariſtoteli diſplicere. Enimuero cùm mens actu intelligens ſit id, quod ipſa actu intelligit, per ſpeciem in eius ſubſtantia impreſſam, atque hæc ſpecies non ſit in numero eorum, quæ à natura fuerunt animæ, aut eſſentiæ mentis impertita, relinquitur mentem in actu intelligendi poſitam non ſecus, ac antequam intelligat, nihil eſſe actu eorum quæ ſunt. Inſuper ſi quod primùm à vi cognoſcente accipitur, id eſt cognitio, quis non concludat mentem, quæ eſt vis

cogno-

cognoſcens, primùm ſuſcipere cognitionem, & actum intelligendi? Reſpondet Iandunus virtutem cognoſcentem eſſe poteſtate non ſolùm ad cognitionem excipiendam, ſed etiam ad huius apparatum ſuſcipiendum; quare cùm ſpecies intelligibilis ſit in mente apparatus quidam ad actum intelligendi excipiendum, mentem habere poteſtatẽ ſuſcipiendi ſpeciẽ, & hanc primùm accipere. Fallitur, quia mens ſuâ naturâ eſt prolè affecta ad promendum ex ſe intelligendi actum; nam primus actus nullam requirit apparationem, aut inſtructionem, qua exeat in actum ſecundum, ſed omnia cùm fuerint præſtò, quibus opus eſt, & nihil obſtauerit, continuò erumpit in actum ſecundum: ergo quia mens eſt actus primus, & intelligentia ſecundus, non eſt, vt fruſtra inducatur apparatus, qui adiumento ſit illi ad actum intelligendi obeundum. Nec præterea in mente ponenda eſt aliqua ſpecies actu intelligendi producta, quoniam hac a mente noſtra comprehenderetur, quòd conſentaneum ſit mentẽ ſuorum operum haudquaquam ignaram eſſe: hanc verò à noſtræ mentis comprehenſione multum abeſſe declarant grauiſſimorum virorũ diſſenſiones, in quibus alij eam eijciunt, & alij recipiunt de illius natura inter ſe digladiantes. Adiungendũ eſt, ſi mens noſtra intelligendo aliquam ſpeciem produceret, ſi eadem verſetur in huius ſpeciei cognitione, futurum eſſe, vt aliam ſpeciẽ procreet, & aliam rurſus, ſi in hac percipienda ſuam voluerit operam ponere; quare in harum ſpecierum procreatione finem nunquam eſſe futurum; quod cùm non faciat cum naturæ legibus, ſtatuendum eſt intelligendi actu nullam ſpeciem procreari. Huius quinetiam id fidem facit, quòd cùm intelligere ſit veluti ſentire lib. 3. de anima 2. ſi intelligendi actu ſpecies aliqua producatur, actu ſentiendi quoque ſpecies aliqua produceretur. Id autem eſſe quoddam commentitium D. Thomas in 1. par. quæſt 85. art. 2. & in quolibet 3. art. 9. Capreolus in lib. 1. ſent. diſt. 27. quæſt. 2. Heruæus in tract. de verbo quæſt. 2. art. 1. & 2. & alij intellexerunt, quorum eſt opinio ſenſuum externo-

rum functione nullam ſpeciem procreari. Quòd Molina in com. 1. par. D. Thomæ quæſt. 27 art. 1. diſput. 8. & alij nonnulli nequeant intelligere, quì poſſit fieri, vt ſentiendi & intelligendi actibus nihil producatur, ſi hi ſunt veræ actiones, quarum eſt, vt per ipſas quippiam efficiatur, quod ſit finis & extremum actionis, hi videntur mihi ignorare hos actus veriùs in paſſionibus, quàm in actionibus numerari: & Ariſtotelem in lib. 9. poſtnat. 16. ſignificaſſe actionum alias eſſe, quæ ſibi ipſæ fines ſunt, & alias in quibus finis eſt ab actione diuerſus, atque ſenſuum & mentis actus in ijs reponi, quæ ipſę ſibi fines ſunt: & propterea nullam formam eſſe quærendam, quæ ſit finis ipſorum & extremum, quaq; per ipſos exoriatur. Et ſanè ſi vlla huiuſce modi forma, & ſpecies poneretur, hæc vel propter actũ ipſum intelligendi eſſet inducenda, aut contrà hic propter illam eſſet comparatus. Hoc poſterius ſi affirmetur, cùm id, quod alterius rei gratia eſt paratum, ſit hac minus nobile, conficitur hanc ſpeciem actu intelligendi eſſe præſtabiliorem; id quod diſplicet omnibus illius defenſoribus, qui actum intelligendi tanti faciunt, vt ſentiant in ipſo tamquam in eo, quo nihil præſtabilius poteſt in nobis reperiri, poſitam fuiſſe ab Ariſtotele in lib. 10. Ethic. ad Nicom. noſtram beatitudinem: Sin prius, hæc ſpecies inducetur, vel quia intelligere, vt inquit Molina in loco proximè recitato, nihil aliud eſt, quàm vim intelligentem in ſe per hanc ſpeciem exprimere id, quod intelligitur; vel vt ſentiunt Capreolus in lib. 1. ſent. diſt. 27. quæſt. 2. Caietanus in 1. par. D. Thomæ quæſt. 27. art. 1. Ferrarienſis in lib. 1. contra Gentiles cap. 53. & in lib. 4. cap. 13. & alij, quia hæc ſpecies eſt actus intelligendi finis, ac terminus, in quo id, quod cadit in intelligentiam, apprehenditur: atqui neutrum poteſt admitti; non igitur hæc ſpecies propter actum intelligendi eſt comparanda. Non eſſe, vt per hanc ſpeciem vis intelligens id, quod intelligitur, in ſe ipſa exprimat, illud perſuadet, quòd vis intelligens in actu intelligendi poſita probè imitatur id, quod intelligitur,

idemq;

idemq́; in ſeipſa per ipſummet actum intelligendi ſine vlla ſpecie, quæ ſit ab hoc diuerſa, ita refert, ſicut eſt in rerum natura, perinde ac hiſtrio, qui ſola actione varias perſonas imitatur, hasq́; in ſe ipſo repreſentat nunc rex, nunc miles, nunc agricola, aliàue perſona apparens. Non eſſe præterea hanc ſpeciem inuehendam, quæ ſit finis, ac terminus actus intelligendi, ex eo conſtat, quoniam id, neque cum ratione, neque cum Ariſtotele conſentit: Et ab Ariſtotele quidem eſt diſſentiens, nam hic in lib. 9. poſtnat. 16. cùm ſtatuerit vim intelligentem eſſe in numero earum poteſtatum, quarum vltimum & finis eſt ipſa muneris functio, & in quibus nihil ſit præter muneris functionem, non obſcurè ſignificauit nullam ſpeciem in mente intelligente produci, quæ ſequatur intelligendi actum, & ab hoc alia ſit; ſi quidem hæc ſi procrearetur, eſſet non ſolùm opus quoddam præter actum intelligendi, verùm etiam vltimum & finis, quod, vt idem inquit in lib. 1. Ethic. ad Nicom. cap. 1. in quibus præter actiones ſunt opera quædam, in his opera ſunt actionum fines. Idem non conſentit cum ratione, quoniam tantùm abeſt, vt ratio nos cogat inuehere ſpeciem ab actu intelligendi diuerſam, quæ ſit huius finis ac terminus, vt oppoſitum ratione concludatur: Enim verò quemadmodum in actu, qui eſt motus verus, finis ac terminus non eſt re alius ab actu, ita par eſt in actu intelligendi finem ac terminum non eſſe re ab actu diuerſum, nam actus hic eſt veluti actus ſentiendi lib. 3. de anima 2. cui in lib. 2. eiuſdem operis 139. tribuitur id, quod in motu cernitur. Accedit, quòd in actu intelligendi maior ſit naturæ coniunctio inter actum & terminum, quàm ſit in motu; nam licèt in motu finis re ipſa non diſtinguatur à motu, illud tamen intereſt, quòd motus ſit forma, quæ ſit continenter, actusq́; imperfectus, finis verò eadem forma iam facta, nec amplius exoriens, actusq́; perfectus: Hoc autem diſcrimen minimè cadit inter actum intelligendi, & huius finem, quoniam actus intelligendi non primùm fit, & poſtea factus eſt, ſed ſimul fit, & factus eſt: ſit enim ſi-

mul

mul totus, & non parte parti ſuccedente. Quapropter in actu intelligendi idem penitus eſt actus, quod finis ac terminus; & quod ſequitur, concludendum eſt, aut nullam ſpeciem eſſe ponendam, quæ alia ab actu intelligendi hunc comitetur tanquam finis, ac terminus ipſius, aut ſi illa ſpecies eſt ponenda, hanc idē eſſe, quod eſt actus intelligendi; id quod in actu ſentiendi poſitum eſt ab Alexandro in lib. 1. de anima cap. de anima ſenſuali, vbi ſpecies rei ſenſibilis, quæ citra materiam in ſenſu gignitur, eſt ſenſus actu, ſiue actus ſentiendi: Quòd ſi id verè dicitur, quoniam eadem ratio eſt actus intelligendi, hic profectò erit ſpecies, quæ citra materiam, & materiæ proprietates in mente gignitur. Qua in re notandum eſt, quòd cùm actus intelligendi, & ad id, quod intelligitur, & ad mentem intelligentem referatur, reſpectu huius vocatur intelligentia, & comprehenſio; & reſpectu illius ſpecies, quoniam eſt huius ſimilitudo & forma, per quam mens tranformatur in ipſum, ac ipſum imitatur: Atq; hinc poteſt intelligi, cur ſpecies, quæ ponuntur in mente, in hac tandiu ſint, quandiu ipſa ſuo munere fungitur, atque deleantur, vt primùm ipſa deſinit eſſe in officio; etenim cùm hæ idem ſint, quod actus ipſe intelligendi, nullo pacto fieri poteſt, vt hoc non exiſtente illæ, vel temporis momento maneant. Id autem cùm fuerit expreſſis ſpecibus tributum ab iis, qui has veluti opera functionis noſtræ mentis induxerunt, hi non ſatis videntur tenere hinc non improbabiliter poſſe concludi eas non eſſe alias ab actu intelligendi; quando quidem ſi eſſent aliæ, nihil prohiberet, quo minus in mente conſeruarentur ipſa non intelligente. Hanc opinionē confirmant multi Ariſtotelis loci in lib. 3. de anima, in quibus affirmatur ſcientiam, quæ eſt actu, idem eſſe, quod id, quod actu in ſcientiam cadit; nam cùm ſcientia, quæ eſt actu, ſit vel actus ſecundus, & ipſa contemplatio, vel mens actu contemplans, & id, quod actu in ſcientiam cadit, ſit illud, quod actu intelligitur, conficitur ad ſententiam Ariſtotelis nullam ſpeciem intelligibilem in mente ponendā eſſe, quæ ſit alia ab

actu

actu intelligendi, & à mente actu contemplante; quæq; vel prægrediatur, vel ſubſequatur actum intelligendi. Eiuſdem opinionis Auerroes poteſt videri, qui in diſput 3. contra Algazelem in ſol. dub. 18. tribuit cuilibet formæ duplex eſſe, alterum ſenſibile, quod eſt formæ in materia actu, ac re vera hærentis; & alterum intelligibile, quod eſt, cùm forma mente comprehenditur ſegregata à materia, atque ſtatuit hoc eſſe intelligentiam, & comprehenſionem animæ formam à materia ſeparatam intelligentis: Id autem ſi ita eſt, Auerroes perſpicuè ſentit nullas eſſe ſpecies intelligibiles, quæ in mente ſuſceptæ diſtinguantur ab actu intelligendi. Zimara huic Auerrois loco occurrit aſſeuerans hanc enunciationem, forma in mente eſt comprehenſio illius, quod intelligitur, per modum cauſſæ accipiendam eſſe, eiusq; ſententiam eſſe formam in mente eſſe cauſſam, vel partem cauſſæ comprehenſionem, ac intelligentiam efficientis, nam mens & obiectum conſtituunt vnam cauſſam integram, ſuisq; numeris abſolutam, à qua producitur comprehenſio, ac intelligentia. Hæc interpretatio eſt vitioſa, & non ſyncera; vitioſa eſt, quoniam in enunciatione, in qua exprimitur cauſſa, hæc dicitur de eo, quod efficitur, & non contrà hoc de illa, idq; patet in hac enunciatione, Eclipſis eſt interpoſitio terræ eademq; ratio eſt eæ rarum huius generis enunciationum: & verò conceſſa Zimaræ explicatione, in enunciatione quod ſubijcitur, id eſt cauſſa, & quod attribuitur, id, quod efficitur. Non eſt ſyncera, quoniam Auerroes hoc in loco ſentit mentem humanam partim ſimilem eſſe mentibus beatis à materia ſegregatis, & partim ab his diſſimilem; ſimilem, quia vt formæ rerum ſenſibilium in eſſe intelligibili ſunt in mentibus ſeparatis, ita quoque ſunt in mente humana: diſſimilem, quoniam mens humana ob infimam ſuam conditionem ab his formis accipit perfectionem; & non mentes à materia prorſus ſegregatæ: Verùm formæ in his mentibus ſic ſunt, vt ſint idem, quod comprehenſio, quòd in ipſis actus intelligendi & id, quod intelligitur, ſint prorſus vnum

&

& idem: ergo nec secus de mente humana sentiendum est. Præterea in tract. 4. epit. post nat. hoc idem Auerroes voluit statuens mentem nostram actu contemplantem nihil aliud esse, quàm comprehensionem ordinis in hoc mundo existentis, hoc est comprehensionem eorum, quæ ordine apteq; inter se digesta conficiunt hunc mundum aspectabilem. Quinetiam Alexandrum eidem opinioni accessisse ex ipsius doctrina potest sciri, nam in lib. 1. de anima cap. de mente agente nostra mens fit illud ipsum, quod intelligitur, cùm actu intelligit; & res absq; materia intellectæ fiunt mens actu, cùm actu intelliguntur; & desinunt esse mens, cùm non actu intelliguntur. Et in lib. 2. de anima cap. 15. forma in materia hærens cùm intelligitur, & actu intelligibilis & mens fit, cùm antè non esset huius modi.

Aduersariorum argumentationes dissoluuntur. Cap. XV.

ID nunc supereſt, vt aduersariorum argumentationes dissoluamus. Prima diluitur, quoniam vniuersale non est simpliciter nostræ mentis obiectum, sed modus & conditio, qua obiectum, quod est ens actu, mente accipitur. Hoc autem menti obijcitur per phantasmata in facultate imaginatrice posita. Cùm ostenditur phantasma non mouere vniuersè, respondetur phantasma, vt phantasma, semper mouere singulariter, & cum materiæ conditionibus, verùm nihil prohibere, quin naturæ, quæ in phantasmate continentur, per se singulæ mente comprehendantur disiunctæ ab ijs, cum quibus sunt copulatæ. Dum subiungitur vniuersale non posse in phantasmate hærere, quia mens non intelligeret vniuersale ex toto ambitu suo, dicendum est hanc consequutionem esse parùm firmam, quia natura illa, quę vniuersè ac sine materię proprietatibus intelligitur, tametsi insit in phantasmatis singularibus, non tamen intelligitur in eo, quòd hæret in re singulari, sed per se sola & seiuncta ab ijs omnibus,

mibus, quę cum ipſa complicata ipſam efficiunt ſingularem.
Soluitur ſecunda, quia enunciatum: quicquid perfectionis conceſſum eſt facultati minus præſtanti, id omne tribuendum eſt virtuti magis præſtabili, in ijs oportet accipere, quæ ſunt eiuſdē ſpeciei & naturæ, nam horum id, quod eſt virtutis amplioris, ſemper illud poteſt efficere, quod id, quod eſt minoris virtutis, vt ſi calor imbecillus manum calefacit, is, qui eſt valentior, multò magis calefacit; & non in ijs, quorum naturæ ſunt diuerſæ, nam vis vegetalis, quæ ſenſui dignitate cedit, eſt principium nutritionis, id quod ad ſenſum non poteſt accommodari. Accidit mentis & ſenſus non eſſe parem conditionem, quia ſenſus vtitur inſtrumento, quo mens caret, ex quo fit, vt ide ratione inſtrumenti poſſit ſubijci ſpeciebus ſenſibilibus, & non mens ſpeciebus intelligibilibus. In hac denique argumentatione ſpecies ſenſibiles ponuntur, quæ à nobis ſuo loco fuerunt eiectæ. Tertia argumentatio petit explicationem illius arduæ quæſtionis, quæ inquiritur, quid ſit ille habitus, ex quo mens noſtra nominatur mens habitu: Ego multorum opinionibus valere iuſſis de hac re cum viris clariſſimis ſic ſtatuendum eſſe arbitror. Mens materialis eſt facultas, & vis animæ intelligentis, qua veluti quodam oculo notiones rerum vniuerſas intueri, & comprehendere poſſumus: Comprehendere verò, ac indicare non eſt rei, quæ intelligitur, ſpeciem accipere, quæ menti imprimatur, ſed rem, quæ obijcitur ad intelligendum, imitari, aſſimilare, atque ei ſe ſimilem reddere: Itaque cum mens apta idoneaq; ſit omnia intelligere, ad omnia poteſt ſeſe confingere, omnibusq; ſeſe ſimilem reddere, & vt inquit Ariſtoteles, omnia fieri. Cùm verò mens ceſſat ab actu intelligendi, manet in ipſa, vel potius in anima quędam affectio, & ad rem rurſus imitandam habilitas, quę ſi exercitatione atque conſuetudine intelligendi confirmetur, habitus firmus euadit, cuius præſidio anima & mens munita poteſt abſque labore promptè, ac expeditè intelligere ac contemplari. Hic verò habitus, & hæc affectio non eſt re diuerſa à ſub-

ſtantia noſtræ mentis & animæ, ſed eſt ipſa mens & anima, quæ rebus intelligendis aſſueta magis prompta, magisq; expedita eſt ad naturas rerum vniuerſas comprehendendas. Hanc verò virtutem in nobis gigni ex crebris intelligendi actibus illud ſuadet, quòd aperte cernamus, idq; rerum vſus confirmet, illos, qui exercitatione diuturna crebrisq; intelligendi actibus profecere, multò commodiùs, quàm alios, qui ſic exercitati non ſunt, contemplari vniuerſa, quaſi virtutem quandam & habilitatem ex ſua illa exercitatione nacti ſint, eaq; ad vniuerſa comprehendenda redditi ſint magis idonei. Atque quicquid alij dixerint, crediderim hanc quoq; fuiſſe Alexandri ſententiam, qui in lib. 1. de anima cap. de mente habitu ſcribit habitum, ex quo mentem habitu nominamus, eſſe ſpeciem quandam, & virtutem, ac perfectionem mentis materialis, quæ in hac mente generatur, cùm antea non eſſet, ex multa in rebus ſenſibilibus, & imaginationibus exercitatione, atque ex aſſidua rei vniuerſæ comprehenſione. Si igitur hic eſt habitus noſtræ mentis, ſatis conſtat ſublatis ſpeciebus intelligibilibus in mente impreſſis, nequaquam deſtrui noſtræ mentis habitus. Quartam argumentationem nullum pondus habere facilè intelligetur, ſi in memoriam fuerint reuocata, quæ de munere ac efficientia mentis effectricis fuerunt conſtituta. Sed ad teſtimonia Ariſtotelia tranſeamus, quæ multis viſa ſunt magnam vim habere ad ſpecies intelligibiles perſuadendas. Cùm ait Ariſtoteles intelligere eſſe ſicut ſentire, alij aliter id interpretantur, ſed quoniam conſilium non eſt aliorum interpretationes vituperare, vnam eam afferemus explanationem, quæ eſt ipſius Ariſtotelis. Hic in lib. 2. de anima 150. ſcribit intelligere eſſe veluti ſentire, quoniam in vtriſque his anima diſcernit, & cognoſcit aliquid eorum, quæ ſunt: Ergo de ſententia Ariſtotelis ſimilitudo inter ſentire, & intelligere in hoc minimè poſita eſt, quòd vtraque efficiantur per ſpecierum impreſſionem, ſed in eo conſiſtit, quòd anima his vtrisq; comprehendit, ac iudicat ea, quæ ſunt, ſen-

tiendo

tiendo quidem res ſenſibiles, & intelligendo res intelligibiles, & formas rerum vniuerſas. Deinde probata aduerſariorum explanatione ex hac non conficitur mentem tanquam ſubiectũ recipere ſpecies intelligibiles, nam ſenſus non recipit per modum ſubiecti rerum ſenſibilium ſpecies, ſed per modum cognitionis, & facultatis cognoſcentis, quamquam illius inſtrumentum vti ſubiectum videatur ſuſcipere rerum ſenſibilium affectiones. Teſtimonia Ariſtotelis, quæ ſequuntur, negotium non faceſſunt, quoniam ſpecies intelligibiles non penitus eiiciuntur, ſed hæ ita inducuntur, vt non differant ab actu intelligendi: Itaque ſpeciebus intelligibilibus in mente impreſſis, vel expreſſis ex mente profligatis optima ratione ſcripſit Ariſtoteles mentem eſſe capacem, & locum ſpecierum; mentem fieri omnia; & eſſe quodam modo omnia; & mentem, antequam intelligat, carere omni forma, actuq; nihil eſſe ex iis, quæ ſunt. Non eſt hoc in loco prætereundum ex hoc, quòd mens vocetur locus ſpecierum, Henricum Gandauenſem confeciſſe nullas ſpecies impreſſas in mente eſſe ponendas, nam cùm id, quod eſt in loco, non ſit in hoc per modum formæ inhærentis, ſed eo pacto vt ſolùm contineatur ab eo, ſpecies non ſic in mente ſunt ponendæ, vt in ea tanquam in ſubiecto hæreant, quod eſt proprium ſpecierum impreſſarum. Scotus in lib. 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 6. ne hinc argumentum ſumatur ad eiiciendas ſpecies intelligibiles impreſſas, hanc loci & mentis ſimilitudinem in eo poſitam eſſe fuit interpretatus, quòd ambo vim habeant continendi, & conſeruandi ea, quæ ab ipſis excipiuntur. Errat hic vir, tum quia ipſo quoque conſentiente non tota anima, ſed ſola pars intellectualis eſt locus ſpecierum: & verò hac interpretatione probata ſequitur partem ſenſualem quoque eſſe locum ſpecierum, quippe quæ memoria ſit affecta, cuius eſt continere & conſeruare phantaſmata: tum etiam quoniam ſi ſpecies in mente ſeruarentur, huic memoriam non ademiſſet Ariſtoteles in lib. de mem. & reminiſcentia. Quinetiam errat ſentiens animam eſſe quodam

modo omnia per ſpecies in ipſa impreſſas, cùm Ariſtoteles ſentiat animam fieri, & eſſe quodam modo omnia per actus ſentiendi & intelligendi, quibus imitatur ea, quæ in ſenſum cadunt, & in intellectum. Cæterùm quod pertinet ad hunc Ariſtotelis locum, in quo mens vel anima dicitur locus ſpecierum, in eo parum eſt momenti ad eiiciendas e mente ſpecies intelligibiles impreſſas, quoniam Ariſtoteles hoc in loco laudat veteres atque Platonem, quòd non inepte dixerint animam eſſe locum ſpecierum; at vero Plato ſpecies in anima ita poſuit, vt in eius ſubſtantia eſſent innatæ, penitusq; hærerent. Poſtremum teſtimonium de mente habitu alicuius ponderis poteſt videri, at ſi animo attento expendantur, quæ de mentis habitu dicta ſunt, abſque labore explicabitur. Dicendum eſt noſtram mentem, antequam acquirat habitum, & poſtquam ipſum eſt adepta, poteſtate contineri ad actum intelligendi obeundum, non tamen eodem modo, nam poteſtatem, quæ habitum prægreditur, eſſe cum difficultate coniunctam, atque mentem ex hac non tranſferri in actum abſque difficultate; quæ verò ſequitur habitum, eſſe ab omni difficultate expeditam. Habitum igitur conſequi non eſt aliquam ſpeciem ſuſcipere, quæ tanquam forma & accidens in mente imprimantur, ſed in mente, vel potius in anima ex crebris intelligendi actibus oriri quandam habilitatem, qua ea abſque vlla ſpecici ſuſceptione, ac impreſſione fit aptior, & ex editior ad intelligendi munus ſine vlla moleſtia, ac difficultate peragendum, & poteſtas quæ erat in ea remota reſpectu intelligendi actus, fit propinqua; quod enim facilius promptiùſque ſe habet ad officium aliquod abſoluendum, id huic videtur propinquius, quàm cùm non facilè, nec expeditè poteſt in eo verſari. Ecquid verò cauſſæ ſit, cur mens poſtquam habitum eſt conſequuta, poſſit per ſe ipſam intelligere, cùm ſupra fuerit expoſitum, non eſt, vt iterum explicetur. Argumentum alterius ſecta concidit, quoniam mens noſtra coniungitur cum obiecto non per aliquam ſpeciem ab actu intelligendi diuerſam, ſed

per

per hunc ipſum actum, (nam mens intelligendo fit id, quod intelligitur) ſine vlla ſpeciei ſuſceptione: Itaq; nihil eſt opus, vt ſpecies intelligibiles inducantur à noſtra intelligentia diuerſæ, quarum opera mens noſtra copuletur cum obiecto. Sed de ſpeciebus intelligibilibus à nobis hactenus ſit diſputatum.

Opiniones variæ, quòd mens effectrix ſit aliquid animæ noſtræ. Cap. XVI.

EXpoſita cauſſa, quæ induxit Ariſtotelem, vt in nobis, & in anima noſtra poneret mentem effectricem, ſequitur, vt huius natura indagetur. De natura mentis effectricis ſatis multæ extant opiniones, nam licèt omnes vno affirmentore hanc eſſe in numero mentium adducti, tum quia cùm mens effectrix dignitate ſuperet mentem materialem, nulla poteſt ratione fieri, vt hac ſit præſtabilior, niſi augeat numerum mentium, quoniã quod non eſt mens, id nequit menti dignitate antecellere; tum etiam quia mens efficiens, quòd ea, quæ ſunt poteſtate intelligibilia, efficiat actu intelligibilia, eſt ſuâ naturâ intelligibilis, & quod eſt huiuſmodi, id eſt maximè ac propriè mens, attamen in eius natura explicanda in multas ſectas diſtrahuntur, quarum quæ maiorem habent authoritatem, ad duo capita reducuntur. In vno capite ponuntur illæ, quæ ſtatuunt mentem effectricem eſſe aliquid animæ noſtræ, in altero illæ, quæ eandem inducunt veluti vnam e collegio mentium à materia ſeparatarum. Quæ ſectis prioris capitis ſunt addicti, hi diſſentientes inter ſe in duas factiones diducuntur, nam alij ſentiunt mentem effectricem re, & ſubſtantiâ diuerſam eſſe à mente materiali, & alij has mentes non re, ſed ratione tantùm inter ſe diſtinguunt. Priorem factionem tuetur Plotinus, qui hominis animæ duas mentes impertiuit, vnam, quæ perpetuò fungitur ſuo munere, alteram, quæ interrupiè, atque illam putauit eſſe mentem effectricem

ctricem Aristotelicam, hanc mentem potestatis, siue mentem materialem. Vt ita sentiret, Plato fuit in causa, ex quo cùm intellexisset animã perpetuò moueri, censuit animam nostram esse donandam mente, quæ nullam habeat sui muneris cessationem. Eidem factioni Auerroes potest videri aliquo pacto addictus, qui duabus ex partibus mentem humanam composuit, quarum alteram, quæ formæ similis est, statuit esse mentem effectricem, quippe quæ efficiat ex potestate intelligibilibus actu intelligibilia, & alteram, quæ est instar materiæ, mentem capacem siue materialem, quoniam vti materia est capax formarũ naturalium, quas patiendo excipit, ita hæc pars mentis humanæ est capax formarum intelligibilium, hasq; induit patiendo. Vt huic factioni Auerroes sese adiceret, hoc effecit: Id, quo res vnaquæq; per se aliquid agit, est forma illius, vel pars formæ: mens humana quando & quotiescunque vult, facit intelligibilia actu, separatq; formas singulares à materia, & à materiæ proprietatibus: ergo mens efficiens, cui quicquid huius est muneris, fuit mandatum, est pars mentis humanæ habens formæ similitudinem. At verò factionis posterioris defensores sunt Plutarchus & Philoponus, qui mentem nostram duobus modis animo complectentes, vno modo in statu imperfectionis, & antequam intelligat altero in statu perfectionis, & cùm habitum intelligendi est adepta, atque in suo munere actu versatur, in priore statu positam voluerunt esse mentem potestate, in posteriore mentem actu, siue mentem effectricem. Eiusdem factionis videtur Simplicius, qui sentit mentem humanam in se manentem esse mentem effectricem, progressam verò & hominibus coniunctam esse mentem patibilem, siue mentem potestate. Hi omnes, & quicunque hos sequuntur, suam opinionem confirmant, primùm quòd voluerit Aristoteles mentem effectricem esse animæ nostræ differentiam lib. 3. de anima 17. Hanc argumentationem nonnulli amplificantes inquiunt Aristotelem initio lib. 3. de anima ad explicandum proposuisse quam differen-

tiam

tiam habeat mens, qua cognoſcit anima & prudens eſt: itaq; cùm in tex. 17. ſtatuat in anima reperiri agentis, & patientis differentias, quæ ſunt mens efficiens, mensq; patibilis, concludendũ eſt Ariſtotelem velle mentem effectricem eſſe aliquid animæ noſtræ. Deinde in tex. 20. cùm ſola mens efficiens ſit immortalis, cauſſa inquiritur, cur non reminiſcamur: atqui ſi mens efficiens non ſit aliquid animæ noſtræ, nulla eſt ratio, cur Ariſtoteles exquirat cauſſam, propter quam non reminiſcimur, cùm mens effectrix ſit immortalis. Præterea illud opus, quod eſt in noſtra facultate poſitum, par eſt, vt ex vi & natura animæ noſtræ pendeat: opus mentis effectricis eſt huius modi; vt enim, & quandocunque libuerit, vtimur eo, ac per id operamur: ergo mens efficiens eſt aliquid animæ noſtræ. At verò hanc mentem re diuerſam eſſe à mente poteſtatis Plotinus ex eo intellexit, quia hæc mens perpetuò intelligit lib. 3. de anima 20 & mens poteſtatis nunc quidem intelligit, & nunc non intelligit: Auerroes verò, quoniam mens humana mente effectrice agit, & mente poteſtatis patitur, fieriq; non poteſt, vt idem ſimul ſit principium efficiendi, & patiendi. Contrà Philoponus non re, ſed ratione ſolùm differre à mente poteſtatis cognouit, quia Ariſtoteles in loco proximè recitato ſenſit ipſo Philopono interpretante mentem effectricem, ſiue mentem actu ſubiecto vnam & eandem eſſe cum mente poteſtatis, & tempore diuerſam; nam mens noſtra primùm eſt poteſtate, deinde actu, & cùm eſt actu, mens effectrix nuncupatur. Adiungit Ariſtotelem aſſeueraſſe mentem effectricem eſſe ſolam immortalem & æternam; atqui ſi hæc mens eſſet re diuerſa à mente poteſtatis, non hæc ſola eſſet immortalis; quando quidem mens poteſtatis non minus, quàm mens efficiens, ſit æterna ac immortalis. His alij, qui idem dogma fuerunt amplexati, adiungunt multitudinem, qua non eſt opus, ſemper fuiſſe ab Ariſtotele repudiatam; quæ re quoniam vna eademq; mens poteſt verſari in rebus intelligendis, & quæ ſunt poteſtate intelligibilia, efficere actu intelligibilia, quod ab

oculis

oculis felium indicatur, qui in tenebris constituti colores potestate visibiles faciunt actu visibiles, hosq; actu visibiles reddi-tos comprehendunt, & iudicant, non est, vt mens potestatis, cuius est intelligere, re ipsa disiungatur à mente effectrice, cuius partes sunt, quæ potestate existunt intelligibilia, efficere actu intelligibilia. Quicunque verò autumant mentem effectricem esse vnam e collegio mentium separatarum, in varias & hi abeunt opiniones, quas tum considerabimus, cùm de his quid videatur nobis sentiendum, exposuerimus.

Mens efficiens re, & substantia est à mente materiali diuersa. Cap. XVII.

NOs primùm statuimus mentem effectricem re diuersam esse à mente materiali, siue à mente potestatis aduersus Simplicium, Plutarchum, & Philoponum: deinde asseueramus eandem mentem non esse partem, vel aliquid mentis aut animæ nostræ aduersus eosdem, ac præterea aduersus Plotinum, & Auerroem. Priorem asseuerationem his confirmamus: In lib. 3. de anima 17. mens effectrix est similis arti, & mens potestatis materia, quæ arte traducitur de potestate in actum: sed in quouis artium genere ars reapse disiuncta est à materia, quæ in actum de potestate transfertur; concludendum est igitur mentem effectricem esse à mente potestatis diuersam: Id quinetiam confirmatur, quia quod agit, id re ipsa disiunctum est ab eo, quod patitur; & mens efficiens fuit ab Aristotele introducta, vt eius opera mens materialis actu efficiatur. Respondent nonnulli, cùm mens efficiens non agat in mentem materialem nisi phantasmatis præsentibus, id, quod agit, posse videri re ipsa disiunctum ab eo, quod patitur, & à mente materiali, extra quam posita sunt phantasmata. Hi non rectè respondent, quoniam caussa, cur id, quod agit, re separatum sit ab eo, quod patitur, in eo consistit, vt intelligitur ex lib. 9. postnat. 2. quia potestates agendi, &

di, & patiendi in alijs diuersisq; subiectis posita sunt, neque in eodem subiecto possunt harere, ne sequatur idem in se ipsum agere; id quod non secus absurdum est in actionibus animæ, ac sit in corporum naturalium motibus: quapropter oportet mentem effectricem re, & subiecto diuersam esse à mente materiali, vanumq; est à phantasmatis auxilium implorare. Adiungendum est Aristotelem post paulò in tex. 19. tribuere menti effectrici, quòd sua substantia sit actio: atqui cùm natura mentis potestatis contineatur potestate, ex qua inuenit nomen, quis non putet has mentes re, & substantia inter se differre? Et cùm mens efficiens nunquam intermittat actum intelligendi lib. eodem tex. 20. quis non existimet hanc reapse diuersam esse à mente materiali, siue à mente potestatis, cuius atas vt plurimum traducitur in cessatione ab actu intelligendi? Sed & huius argumento est, quòd Aristoteles id muneris impertiat menti effectrici, quo quæ sunt potestate intelligibilia, efficiuntur actu intelligibilia; id quod menti patibili non est concedendum, quoniam quod præstat, vt quæ sunt potestate intelligibilia, euadant actu intelligibilia, id per se, suaq; naturà est actu mens, actuq; intelligibile, id quod minimè conuenit menti patibili, alioquin semper esset actu mens, actuq; intelligibilis, ac perpetuò suum munus obiret, nec vnquam esset potestate. Deinde audiendos non esse Plutarchum, & Philoponum statuentes mentem effectricem esse mentem humanam habitu præditam, & ex habitu operantem illud suadet, quòd mens habitu, siue mens actu est illa mens, quæ sit singula lib. 3. de anima 8. & mens efficiens non sit singula, sed contrà efficit omnia lib. 3. de anima 18. Accedit in lib. 3. de anima seperatim tractari de mente habitu, & de mente effectrice, qua de re confitendum est has mentes reapse inter se differre. Postremò mens actu ideo nomine hoc appellatur, quia actu intelligit: atqui intelligere est pati, ac fieri intelligibilia; ergo si mens efficiens esset mens actu, ea verius patiens, quàm efficiens esset nominanda, eiusq; esset potius fieri, quàm facere in-

telligibilia. Nec praterea Simplicius, qui eiusdem factionis est, proprio crimine vacat, nam hic ita obscurè loquitur, vt quid sibi velit, coniectura sit augurandum; ex quo factum est, vt eius opinio in varios sensus fuerit distracta, quam fortasse quispiam existimabit hunc in modum posse explicari. Animæ rationis compotes apud superos vitam agunt summè beatam, nulliusq; corporis ministerio addictam, in hunc verò aspectabilem mundum profectæ corporibus vtuntur, & quodam modo per corpora diuidantur; enimuero quamquam anima à corpore separata vitam degentes ex nullis locorum interuallis distantiam patiantur, sintq; impartibiles, attamen vitam hanc exuentes possunt corporibus coniungi, & nonnihil partitionis accipere, si quidem earū natura aliquo pacto est capax diuisionis. Cæterùm corporibus copulatæ suæ perfectionis iacturā faciunt, & in primis suæ ætatis temporibus nihil prorsus intelligunt, neque vti valent rationibus siue ideis, ac speciebus sibi ingeneratis, quæ corporis contagione sunt obscuratæ: In hoc autem statu existens anima vocatur mens potestate, quoniam & si nihil intelligat, sua tamē naturà comparata est, vt à rebus sensibilibus sensu apprehensis excitata ad seipsam conuertatur, specierumq; in sua substantia insitarum contemplatione fruatur: Ad hunc statum vbi peruenerit, si eam fuerit perfectionem consequuta, vt ad sensus sese conuertere non habeat necesse, sed per se ipsam queat intelligere, efficitur mens habitu; quoniam verò totam & integram nondum adepta est perfectionem, aliquo pacto est particeps potestatis, quam penitus exuit, vbi se ipsa, suisq; speciebus contenta in se manet, seq; ipsam intelligit, non vlterius ad sensibilia sese conuertens; atque in hoc statu est mens effectrix Aristotelica. Si Simplicius ita sentit, nemo fuerit, qui non intelligat hanc eius opinionem extra scholam Aristotelis, & in Platonis Academia audiendam esse; vt interim mittam ijs quoque exagitari, quibus Plutarchi, & Philoponi dogma fuit exagitatum; & esse intellectu difficile, quo pacto anima rationis compos possit in nobis

bis quippiam intelligere ſine vlla ad phantaſmata conuerſione. Quòd ſi dixerit Simplicius hunc intelligendi modum ſibi arduum non eſſe ad intelligendum, ſuamq; animam in ſe manentem, neque phantaſmata curantem contemplari ſpecies & ideas in ſua ſubſtantia innatas, eum ſinemus gaudere hac ſua commentitia idearum contemplatione, quæ adeo eſt abſtruſa, vt eam nemo vnquam fuerit in ſe ipſo expertus. Et hæc de priori aſſeueratione,

Mens effectrix non eſt aliquid animæ noſtræ, neque in anima noſtra vlla perennis intelligentia eſt ponenda, Cap. XVIII.

SEquitur poſterior aſſeueratio, quæ eſt: Mens effectrix non eſt pars, vel aliquid omnino animæ noſtræ. Mentem effectricem non eſſe mentis humanæ partem, quæ in compoſitione ſuſtinet actus formamq; rationem, vt putat Auerroes, ita oſtenditur; Propria muneris functio naturæ compoſitæ fluit à forma, huicq; accepta eſt referenda; ſed propria noſtræ mentis functio eſt intelligentia, cuius principium eſt mens materialis, nam hac intelligimus, & ſapimus initio lib. 3. de anima; non igitur mens effectrix eſt pars noſtræ mentis, quæ gerit formæ ſimilitudinem. Eandem non eſſe in nobis mentem à materiali mente diuerſam, vt Plotinus exiſtimat, illud perſuadet, quòd cùm mens nobis fuerit data, qua intelligamus, ſi præter mentem materialem, qua intelligimus, altera eſſet in nobis mens, qua intelligeremus, aut hæc, aut illa fruſtra nobis fuiſſet conceſſa; id quod non conſentit cum naturæ legibus. Quinetiam eandem non eſſe aliquid omnino animæ noſtræ hinc intelligitur; Si mens effectrix eſſet aliquid & pars animæ noſtræ, conficitur mentem materialem non eſſe partem hominis animæ præſtantiſſimam, quia mens effectrix huic anteſtat dignitate lib. 3. de anima 19. Id autem non probatur Ariſtoteli, qui cùm in lib. 10. Ethic. ad Nicom.

summum hominis bonum posuerit in actu contemplandi veluti in præstantissimæ animæ partis functione, atque hic sit proprius mentis materialis, qua intelligimus & contemplamur, perspicuè significauit primas dignitatis partes menti materiali esse impertiendas. Scribit præterea Aristoteles in lib. 3. de anima 20. mentem effectricem perpetuò intelligere, atque suâ substantiâ esse actionem: atqui nulla perennis intelligentia est in nobis: non igitur mens efficiens est aliquid animæ nostræ: Et sanè mirum esset nos possidere præstantissimum nunquam cessantis intelligentiæ thesaurum, atque huius nullam habere comprehensionem. Platonici cùm arbitrentur partem animæ nostræ superiorem assiduè accipere à Deo intelligentiam, duas causas afferunt, quibus fit, ne percipiamus hanc admirabilem nostræ mentis intelligentiam vna est, quoniam mediæ animi vires, ratio videlicet, ac imaginatrix in vitæ negotijs defixæ mentis functiones non apprehendunt, quapropter quoniam nos sic sumus naturâ comparati, vt nihil animaduertamus, nisi id ad medias animæ vires priùs perueniat, (atque hinc fit, vt quamuis appetendi vis esuriat, & sitiat, id tamen non antea à nobis apprehendatur, quàm eius notio deferatur ad imaginationem) non est, vt mirum videatur, si nunquam cessantem mentis nostræ intelligentiam nequaquam animo comprehensam habeamus. Quæ Platonicos induxerunt, vt nostræ menti tribuerent perpetuam Dei intelligentiam, multa sunt, quæ latè persequitur Fecinus in lib. 12. Theol. cap. 4. sed his contenti erimus: Quicquid suâ essentiâ intelligit, perpetuò intelligat, oportet; suprema nostræ animæ pars, quam appellamus mentem, suâ essentiâ intelligit, quippe quæ suâ naturâ est intelligens, & intelligibilis; ergo mens nostra in perenni intelligentia versatur. Nec quispiam respondeat hanc intelligentiam quandoque cessare, quòd obiectum aliquando absit; quoniam mens intelligendo nequaquam vtitur mutabilibus obiectorum simulachris, sed rebus ipsis intelligibilibus, cum quibus perpetuò cùm sit connexa & copulata,

num-

nunquam intermittit actum intelligendi. Præterea animæ pars infima, cui nomen est vis alendi, agit perpetuò, & quodam modo suâ essentiâ operatur; multò igitur magis mens pars animæ suprema, & omnium præstantissima in suo munere assiduè versabitur, suâq; essentiâ operabitur. Postremò quemadmodum quæ sunt in tempore, & naturam habent mutabilem, cognitione temporaria, atque mutabili apprehendimus, eodem modo quæ necessaria, æternaq; sunt, immutabili ac perpetua intelligentia accipiamus oportet: ergo Dei cognitio in nostra mente viget perpetuò, nec vnquam intermittitur, tametsi obscura sit, fugiatq; nostram comprehensionem. Hæc facilem habent dissolutionem, nam causa prior reijcitur, quòd ea, quibus assueti sumus, nobis sunt maximè nota: quocirca improbabile est huius modi intelligentiam nos latere ob diuturnam consuetudinem: Causa verò posterior tollitur, quoniam si caduca & interrupta intelligentia, quæ est in nobis, vsque ad medias vires potest peruenire sic, vt eam comprehendamus, & animaduertamus nos in ea versari, nulla est causa, cur altera intelligentia, quæ perpetua est, ad has vsque nequeat pertinere. Accedit, quòd quæ maximè nos delectant, in his libenter, diutius, atque maiore studio animam soliti sumus occupare: quocirca cùm hic perennis actus intelligendi sit iucunditatis plenus, par est animam nostram in eo attentissimè occupari. Itaque tantùm abest, vt anima nostra nequeat hanc intelligentiam animaduertere ab alijs functionibus, quibus operam dat, impedita, vt contrà quia in hanc totis viribus debet incumbere ob eius præstantiam, & iucunditatem, ipsa impedimento sit futura, ne aliæ functiones minus nobiles, minusq; iucundæ percipiantur. Amplius si hæc singularis intelligentia non animaduertitur ab imaginandi, & ratiocinandi facultatibus, quod hæ à sensibus ad alia trahantur, & ab ijs negotijs, quæ in vita occurrunt, prohibeantur, saltem eo tempore hæc poterit apprehendi, quo animus noster curis vacuus in otio consistit, nec quicquam operæ impendit vitæ negotijs.

Ad

Ad primum argumentum, quo fuit hoc Platonicum decretum confirmatum, respondemus, nostram mentem non intelligere suâ essentiâ, ita vt in ipsa idem sit essentia, quod actus intelligendi, nam id soli Deo conuenit: Et licèt nostra mens sit substantia intellectualis, hoc est vis & natura vi intelligendi prædita, attamen suâ natur non est actu mens, actuq; intelligibilis; id quod postulatur, vt mens possit suâ essentiâ intelligere. Alterius leuitas intelligitur ex sensu, qui licèt virtute altrice sit præstabilior, attamen vti hac in suo munere nequaquam assidue positus est. Caussa cur alendi sit perpetuo opere detenta, ea est, quia more naturæ suum munus exequitur, (ex quo factum est, vt à Stoicis, & à Medicis virtus naturalis appelletur) & ei præstò sunt omnia, quæ ad sui muneris expletionem requiruntur: at vero mens nostra cùm sit libera, suiq; iuris in sua functione, nec semper habeat præsentia, quæ ad intelligentiam obeundam postulantur, efficitur, vt non semper intelligat, ipsiq; integrum sit modò esse in opere, modò ab hoc cessare. Postremum reprehenditur, quoniam cognitio naturam faculatatis cognoscentis perpetuò sequitur, & nunquam rei in cognitionem cadentis conditionem. Id maximè in Deo elucet, qui cùm suâ naturâ sit æternus, atque immutabilis, intelligit caduca & mutabilia intelligentiâ non caduca & mutabili, sed æterna & immutabili, vt ait Iamblicus in lib. de myst. Aegyptiorum, à quo cæteri Platonici non dissentiunt: Quocirca non est necesse nostram mentem intelligentiâ æternâ percipere æterna, si intelligentiâ tempori subiectâ comprehendit ea quæ sunt in tempore, nam hæc & illa accipit intelligentiâ finitâ, nec perpetuo tempore constante. Enimuero nostra mens virtutis est finitæ, & potestate continetur; ex quo fit, vt sine labore & molestia nequeat diu suum munus obire, quòd virtus omnis finita, quæ in actum ducitur de potestate, perfacilè debilitetur, & frangatur lib. 12. post nat. 51. Sed de his hactenus.

Con-

Confutatio argumentorum, quibus fuit perſuaſum mentem effectricem eſſe aliquid animæ noſtræ. Cap. XIX.

His hunc in modum explicatis nunc ea ſunt refellenda, quæ videntur has aſſeverationes oppugnare. Primum argumentum, quo Ariſtotelis teſtimonio confirmatur mentem effectricem eſſe aliquid & differentiam animæ humanæ, diſſoluitur, quoniam falſum eſt Ariſtotelem ſcribere mentem effectricem eſſe animæ differentiam, nam ſcribit neceſſarium eſſe in anima ponere differentias illius, quod eſt poteſtate, & illius, quod eſt actu, ſiue patientis & perficientis differentias, quæ ſunt mens patibilis, & mens efficiens; ex hac verò dicendi forma nequaquam colligitur has differentias eſſe aliquid animæ, quoniã ſic in anima poſſunt eſſe, vt illi extrinſecus accedant, quo pacto mens effectrix eſt in anima, nam illa non ſecus eſt in hac, ac lumen in corpore perſpicuo, & in corporibus colore affectis. Itaque cùm Ariſtoteles concludit has differentias in ānima exiſtere, id ita eſt accipiendum, non vt ſententia ſit mentem poteſtate & mentem effectricem eſſe animæ differentias, ſed vt ſententia ſit has differentias, hasq; mentes inter ſe differentes in anima exiſtere; quamquam illud interſit, quòd altera & mens poteſtate eſt animæ ingenerata, & altera, quæ eſt mens effectrix, eſt aduentitia, extrinſecusq; accedit: neque hoc mirum videatur, nam & in aere inſunt lumen ac perſpicuitas, quorum hęc eſt aliquid aeris, & aeri inſita, illud verò aduentitium, & extrinſecus veniens. Et ſanè cùm hæ differentiæ non aliter in anima ſint ab Ariſtotele poſitæ, ac in omni natura reperiantur, atque in natura non ita cernantur, vt ſint vni eidemq; rei ingenerata, (non enim fieri poteſt, vt vna eademq; res ſimul ſit agens & patiens reſpectu eiuſdem) nec etiam eo pacto in anima ſunt ponendæ, vt amba ſint animæ vires, animæq; ingenerata. Quod non-

nulli

nulli adiungunt ex initio lib.3.de anima desumptum, id explicamus asseuerantes Aristotelem nomine differentia intelligere non illas agentis, & patientis differentias, quarum fit mentio in tex.17. sed nostra mentis naturam, vel differentiam, quæ in nostra perspicitur, dum in duobus statibus existit, qui sunt status imperfectionis ac potestatis, & status perfectionis ac habitus, in quorum altero posita vocatur mens potestate, & in altero mens habitu; ita vt Aristoteles proponat aperiendam esse nostræ mentis naturam, vel considerandos esse diuersos differentesq; status, qui in nostra mente apparent modò potestate, & modo habitu præditæ existenti. Quod affertur ex tex. 20. non est, vt multi æstimetur, quoniam, vt paulò post dicemus, mentem effectricem esse solam immortalem significat Aristoteli hanc mentem solam esse perpetuò actu mentem, actuq; intelligibilem, & à nobis à nostraq; intelligentia disiunctam nequaquam desinere esse actu mentem, actuq; intelligibilem, quemadmodum cadit in formas materiatas, quæ à nobis intelliguntur. Quod si ita est, meritò quærit Aristoteles, cùm hæc mens, quam vocamus effectricem, sit in nobis, cur non semper reminiscamur, hoc est, cur non semper intelligamus; Verùm hæc à nobis alio idoneoq; loco tractata nihil est opus, vt iterum tractentur. Proximum argumentum non habere pondus constat ex ijs, quæ de officio mentis effectricis fuerunt disputata. Restant Philoponi argumentationes, quibus fuit persuasum mentem effectricem non re, sed ratione duntaxat diuersam esse à mente potestatis: Prima conuellitur, quòd Philoponus absit ab huius loci sententia, quæ est: Aristoteles naturam mentis effectricis patefecit varijs huius attributis expositis, quorum eam rationem reddidit, quia mens effectrix suâ naturâ est actio, sutq; muneris functio; idq; confirmauit, quoniam cùm agens semper sit præstabilius eo, quod patitur, & principium efficiens eo, quod est materia, aut materiæ instar, scientia quæ est actu, idem est, quod res; quæ verò est potestate, tempore prior in vno, absolutè autem neque tempore: eius confir-

mationis

mationis explicationem eſſe hanc arbitror: Cauſſa & ratio propter quam id, quod agit, anteſtat patienti, & principium efficiens materiæ, in eo conſiſtit, quoniam agens principium q; efficiens tale actu eſt, quale erit id, quod patitur, & materia, quando fuerit actu: quòd ſi ex ſe ſua q; vi agat, ſit q; principium efficiens, ſuà quoque naturà eſt actu huius modi: Verùm ſcientia, quæ eſt actu, hoc eſt mens noſtra patibilis, in quam agit mens efficiens, quæque reſpectu mentis effectricis eſt veluti materia, quando eſt actu ſciens & contemplans, eſt idem, quod res, quæ cadit in ſcientiam, & contemplationem, eſt q; ſua contemplatio: ergo mens efficiens ſuà naturà eſt ſua actio, ſua q; muneris functio, & in ipſa idem prorſus ſunt natura intelligens, id, quod cadit in intelligentiam, & actus ipſe intelligendi. Porrò & ſi mens noſtra patibilis, quando eſt actu, idem ſit, quod res, cuius eſt ſcientia, & contemplatio, attamen quando eſt poteſtate, non eſt idem, ſed in vnoquoque noſtrum tempore illam prægreditur, nam in nobis prius eſt mens, quàm hæc efficiatur id, quod ſcientiâ, intelligentiâq; comprehenditur: quamquam ſimpliciter & abſolutè non eſt prior, quippe quæ nobiſcum oritur, & illa multis ſeculis anteuertit noſtram generationem coharens in hac rerum vniuerſitate. Caterùm quamuis in his interpretandis nomine ſcientiæ actu mens noſtra, quando eſt actu ſciens & contemplans, fuerit ſignificata, poſſumus tamen & actum ipſũ ſciẽdi, ac contemplandi intelligere, ſenſuſq; erit huiuſmodi: Actus ſciendi & contemplandi eſt idem, quod id, cuius eſt ſcientia & contemplatio: atqui noſtra mens actu ſciens & contemplans fit, et eſt id, quod actu ſcitur, et intelligitur; noſtra igitur mens actu ſciens & contemplans eſt idem, quod eius actus & contemplatio: Quapropter & mens efficiens ſuà naturà eſt ſua actio, ſua q; muneris functio. Porrò licèt ſcientia, quæ eſt actu, ſit idem, quod res ipſa, quæ ſcientia comprehenditur, ea tamen, quæ eſt poteſtate, non eſt idem, ſed in vnoquoque noſtrum tempore illam prægreditur, nos q; prius ſumus poteſtate ſcientes, quàm actu

comprehenſum habeamus id, cuius eſt ſcientia; quamquam ſimpliciter & abſolutè non eſt prior, quoniam ſcientia, quæ eſt poteſtate, non fit actu, niſi id, cuius eſt ſcientia, actu antegrediatur. Sed & verba hæc: Quæ verò poteſtate eſt, prior tempore eſt in vno: *ſic poſſunt explicari, vt fiat comparatio inter ſcientiã actu, & ſcientiam, quæ eſt poteſtate; atque aſſeueretur hanc illa tempore eſſe priorem in ſingulis hominibus, quamquam abſolutè ac ſimpliciter non ſit prior, nam cùm de ſententia Ariſtotelis mundus nunquam ſuæ originis habuerit initium, exiſtimandũ eſt nullam ſcientiam ſic oriri, vt aniè non extiterit, artesq; ſcientiasq; omnes, vt ſcribitur in lib. 12. poſtnat. 50. ſæpius inuentas, extinctasq; eſſe, nec ſemel aut bis, ſed infinities eaſdem in hominibus generari lib. 1. de cælo 22. lib. 1. meteor. cap. 3. & lib. 7. polit. cap. 10. Si igitur hæc eſt ſententia huius loci, inanis eſt Philoponus, dum ſcribit hoc in loco ſignificari mentem materialem, & mentem effectricem ſubſtantiâ, & ſubiecto eſſe eandem mentem, ſolumq; temporis diſcrimen eſſe inter eas. Nec preterea eſt minus fruſtra in altera argumentatione, cùm non intelligat, quid ſignificet Ariſtoteli ſolam mentem effectricem eſſe immortalem, atque perpetuam, de qua re in iis, quæ proximè ſequuntur, diſſeremus. Argumentum, quod fuit adiunctum, diluitur, quòd munera mentis poteſtatis, & mentis effectricis adeo ſunt inter ſe diſcrepantia, vt ab vna eademq; mente non poſſint exerceri: Cùm enim munus mentis effectricis ſit transferre mentem noſtram patibilem de poteſtate in actum, atque nihil à ſe ipſo in actum transferatur, neceſſe eſt mentem effectricem eſſe aliam atque diuerſam à mente noſtra patibili, ſiue materiali. Nec quicquam faciunt oculi felium, nam hi ſuo lumine illuſtrant colores, quos illuſtratos, actuq; viſibiles reddítos apprehendunt videndi facultate, quam re ipſa differre à lumine non nemini eſt exploratum: Mitto interim huius argumenti authores non ſatis tenere munus mentis effectricis, dum cenſent hoc in phantaſmatis illuſtrandis conſumi, id quod fuit à*

nobis

nobis refutatum. Præter hæc argumenta fuerunt alia recitata, ſed cùm hæc aut noſtras aſſeuerationes confirment, aut noſtris aſſeuerationibus moleſtiam non exhibeant, non eſt, vt in eis conſiderandis aliquid operæ ponamus.

Mens effectrix eſt mens à materia ſeparata. Cap. XX.

CVm mens effectrix non ſit aliquid animæ noſtræ, relinquitur hanc eſſe mentem & ſubſtantiam à materia ſegregatam, atque id confirmant attributa, quæ huic menti ab Ariſtotele impertiuntur in lib. 3. de anima 19. quæ ſunt; mens efficiens eſt ſeparabilis, immixta, & impatibilis. Hæc attributa ſi eo ſenſu accipiantur, quo hìc capiuntur ab Ariſtotele, ita ſunt propria mentis à materia ſeparatæ, vt hac excepta nihil in rerum vniuerſitate reperiatur, cui poſſint congruere; id autem erit perſpicuum, ſi eorum ratio fuerit explicata. Hæc in eo eſt poſita, quoniam mens efficiens ſuâ ſubſtantiâ eſt actio: enimuerò quod eſt huius modi, id ſemper actu operatur, & quod actu ſemper operatur, id oportet eſſe à materia diſiunctum, nam cùm materia, cuius eſt poteſtas, præſtet ne id, cuius eſt, perpetuò ſit actu, & operetur, fieri nequit, vt id, cui ſuâ naturâ adiuncta eſt materia, ſuâ ſubſtantiâ ſit actio. Idem præterea neceſſe eſt immixtum, atque impatibile eſſe, quoniam eius natura omni materia vacans eſt penitus ſimplex, nec quicquam in ſe admixtum habet diſpar ſui, ac diſſimile; & cùm actu ſolùm contineatur, vacuum eſt ab omni poteſtate, quæ eſt fons & radix cuiusq; perpeſſionis. Nec verò aliquis commoueatur, quòd ex his attributis concludatur mentem effectricem eſſe à materia ſeparatam, cùm eadem fuerint data ab Ariſtotele menti materiali, quæ non eſt poſita in numero mentium à materia ſeparatarum, quoniam hæc attributa licèt harum ambarum mentium ſint communia, in eadem tamen ſignificatione non conuentunt ambabus, nam

mens materialis est separabilis, quia nulla vtitur corporis parte tanquam instrumento ad suum munus obeundum; at mens efficiens dicitur separabilis, quoniam per se constat suâ naturâ disiuncta à materia. Rursus mens materialis est immixta, quòd nullam habeat communitatem cum formis in sensum cadentibus, nec vlla est ex his; at mens efficiens est immixta, quòd habeat naturam simplicem, neque vlli rei aliquo pacto admixtam: Demum mens materialis est impatibilis, quia dum intelligit, speciesq; suscipit, has ita suscipit, vt ab eis non afficiatur, neque incurrat in vllam veram propriamque affectionem: at mens efficiens nullo prorsus modo est capax affectionis, quandoquidem semper est actu, nec vnquam ex potestate in actum traducitur: Quapropter quoniam hæc attributa multò perfectiùs, modoque nobiliori tribuuntur menti effectrici, quàm menti materiali, illa poterit esse in numero mentium à materia separatarum, quamuis hæc in harum collegium non sit cooptata. Sed & mentem effectricem esse mentem separatam non solùm confirmant tria proximè exposita attributa, sed praterea testantur ea, quibus illa differt & à mente nostra materiali, & à reliquis mentibus, hoc est à formis rerum materiatarum, quando sunt actu mentes, actuque intelligibiles, propterea quòd intelligantur, quæ quidem opinor explicari ab Aristotele in lib. 3. de anima 20. his verbis: Sed non nunc quidem intelligit, nunc autem non intelligit: Separata autem est solum hoc, quod est, atque hæc sola est immortalis, & æterna. *Quorum verborum hæc est sententia: Differt mens efficiens à nostra mente materiali, quòd ipsa nunquam non fungitur intelligendi munere, nec modò intelligit, modò non intelligit: enimuerò cùm suâ naturâ sit actu mens, & actu intelligibilis; atque mens actu posita sit in actu intelligendi, & actu intelligibile actu intelligentiâ comprehendatur, conficitur mentem effectricem perpetuò intelligere, perpetuòq; intelligi: Intelligit verò semetipsam, ipsaque versans in perenni sui ipsius intelligentia vitâ viuit, qua nulla bea-*

beatior poteſt reperiri: At verò mens noſtra materialis quãdoq; intelligit, & quandoq; non intelligit, quia ſemper non eſt actu mens, ſed interdum actu, & interdum poteſtate continetur; ac primùm quidem eſt poteſtate, deinde actu, quòd in omnibus, in quibus ſunt actus & poteſtas, hæc illum tempore ſemper prægrediatur. Quinetiam mens efficiens differt à reliquis mentibus, hoc eſt à formis rerum corporearum & materiatarum, quæ ſunt actu mentes, actuq; intelligibiles, cùm actu intelliguntur, q mens efficiens ſeparata à noſtra intelligentia eſt ſolum hoc, quod eſt, id eſt actu mens, actuq; intelligibilis, nam hæc ex noſtra intelligentia nequaquam conſequitur, quòd ſit actu mens, actuq; intelligibilis, ſed ſuà naturà eſt huius modi: quocirca etiam ſi à nobis non intelligatur, nihilo minus eſt actu mens, & actu intelligibilis; ex quo fit. vt hæc ſola ſit immortalis, perpetuaq; mens, quia ſuà naturà eſt actu mens, nec quippiam ei cauſſa eſt, quòd huius ſit modi; at verò mentes aliæ à noſtra intelligentia ſeparatæ non ſunt actu mentes, neque actu intelligibiles, quoniam tandiu ſunt mentes, quandiu intelliguntur; & ſi non intelligantur, non ſunt mentes; quapropter ſeparatæ & abiunctæ à noſtra mente, quæ illas intelligit, & illas intelligendo præſtat, vt ſint actu mentes, actuque intelligibiles, intereunt, deſinuntq; eſſe actu mentes, actuque intelligibiles. Cùm hæc igitur ab Ariſtotele fuerint menti effectrici tributa, nemo fuerit tam craſſis tenebris circunfuſus, qui non perſpiciat Ariſtotelem ſenſiſſe hanc mentem eſſe mentem beatam, & à materia ſegregatam, ſiue quod idem eſt, ſuà naturà actu mentem, actuq; intelligibilem. Et ſanè ſi mens efficiens non eſſet in numero mentiũ à materia ſeparatarum, ipſa non ſecus ac mens noſtra materialis patiendo intelligeret; & quod ſequens eſt, præcipuum ſuum munus in eo, quod eſt pati, conſiſteret; quapropter quoniam a præcipuo munere omnia ſuis nominibus nuncupantur, hæc mens verius patiens, quam efficiens ab Ariſtotelicis nominareiur.

Mens efficiens non est Dæmon, neque Colcodea ab Auicenna posita. Cap. XXI.

CVm mentium à materia separatarum magnus sit numerus, nunc perquiramus, quæ mens separata sit statuenda, mens efficiens, cuius naturam indagamus. In hac quæstione tres præcipuæ opiniones inueniuntur, vna Alexandri, altera Auicennę, tertia Marini veteris Aristotelis interpretis. Hunc scribit Philoponus in com. lib. 3. de anima sensisse mentem effectricẽ esse Angelũ siue Dęmonẽ persuasũ à verbis Aristotelicis, quibus mens efficiens lumini fit persimilis: enim verò cùm lumen sit medium interiectum inter id, quod illuminatur, & id, quod illuminat, consentaneum videtur mentem effectricem, quę luminis habet similitudinem, mediam interiici inter mentem primam omnia illuminantem, & mentem humanam illuminatam, ac propterea esse Dęmonem, cuius natura est media interiecta inter Deum immortalem, & homines mortales. Cęterùm Marini persuasio non est admodum firma, quoniam si quis cum Alexandro statuat mentem effectricem esse primam supremamq; mentem, poterit respondere primam mentem, qua ex parte mens efficiens nuncupatur, lumen probè assimilare, quippe quæ cùm in nobis sit, & à nobis disiuncta, media possit videri inter mentem humanam, quæ non est à materia separata per se constans, & semetipsam, si propria ipsius substantia spectetur, quæ simpliciter & absoluiè per se considerata est à materia, & à nobis prorsus segregata. Respondebit alius, cùm mens efficiens inducitur lumini similis, id non ita accipiendum est, vt similitudini nulla sit admixta dissimilitudo, & in omnibus luminis similitudo appareat. Themistius scribit Aristotelem dixisse mentem effectricem esse instar luminis, vt hinc intelligeremus huius mentis in plures propemodum distributionem, quod ipsi

accidit,

accidit, quatenus coniungitur hominibus, ſic enim Sol, cùm ipſe vnus ſit, ex ſe fundit lumen, quod in multos aſpectus quodam modo diſtribuitur. Sed quid opus eſt multis? Ex ipſo Ariſtotele intelligitur mentem effectricem eſſe veluti lumen, quoniam quemadmodum lumen facit colores, qui ſunt poteſtate aſpectabiles, actu aſpectabiles, eodem modo mens effectrix facit mentem noſtram, quæ eſt poteſtate mens & intelligibilis, actu mentem & intelligibilem. Hanc Marini opinionem accuſant præterea recentes Peripatetici, quia non conſentit cum Ariſtotelis doctrina, in qua Dæmonum nulla vnquam habita eſt ratio. Verùm & ſi dubitandum non ſit mentem effectricem non eſſe Dæmonem, tum quia huic non conueniunt attributa, quibus illa fuit donata ab Ariſtotele; tum etiam quoniam hic à veteribus non fuit introductus ſine corpore, & illa ab Ariſtotele eſt poſita non habens vllius corporis communionem; attamen in quæſtione ſint ne Dæmones in rerum natura ponendi, incertum eſt, quid Ariſtoteli ſit adſcribendum, nam cùm hic Dæmonum naturam, & officia nunquam fuerit contemplatus, de his quid ipſe ſenſerit, & hos animo an admiſerit, dubium eſt: non enim quòd de natura Dæmonum nihil ſit ab Ariſtotele traditum, neceſſariè concluditur Dæmones non fuiſſe ab eo amplexatos, cùm nemo neſciat multa ab Ariſtotele non fuiſſe tractata, quibus ipſum ſuam fidem non adiunxiſſe turpe eſt ſibi perſuadere: quemadmodum quoque ex ijs, quæ Dæmonum effecta exiſtimantur, non eſt neceſſariò colligendum Ariſtotelem hos animo imbibiſſe; quoniam quiſquis ex effectis conatur demonſtrare quippiam, quod eſt horum cauſſa, in rerum natura haberi, hic quia ſumit veluti notum hoc eſſe illorum cauſſam, & quod ſequitur in rerum natura conſtare, petit, vt id, quod concluditur, ſibi concedatur; id quod non eſt ſine reprehenſione. Profectò effecta multum conferunt ad cauſſam inueſtigandam, verùm niſi fuerit perſpicuum id, quod ponitur cauſſa, in rerum natura reperiri, & niſi in hoc incumba-

tur,

tur, vt ostendatur effectum non aliunde quàm ab eo posse deriuari, inanis erit argumentatio, quoniam aduersarius effectum quidem non diffitebitur, dabitque aliquod esse inducendum, quod huius sit causa, verùm non ad id, quod concluditur, sed ad aliud esse referendum asseuerabit. Atque id in illud, de quo agimus, videtur cadere, quòd Aristoteles Pythiæ, Baccarum, & Sybillarum afflatum, qui tribuitur Dæmoni, quique propterea poterat ipsi persuadere Dæmones esse introducendos, in probl. 1. sect. 30. retulit in naturalem intemperiem, & in humorem melancholicum. Atqui exquirere, quid de Dæmonibus sit Aristotelicè sentiendum, satis longum esset, & ad id diuertere huius non est loci. Sequitur Auicennas: Hic statuens decem esse corporum globos, quibus tota mundi machina est distincta, atque horum nouem superiores esse cœlestes, immortalesque simpliciter, decimum ac inferiorem elementarem, atque in perenni ortu ac interitu versantem, singulis singulas menies materiæ expertes præfecit, atque harum nouissimam rerum mortalium globo præsidentem, quam Colcodeam, hoc est formarum datricem nominauit, esse mentem effectricem Aristotelicam existimauit. Cum Auicenna consenserunt Algazeles, Auempace, Abubacherus, & Alpharabius, sed planè non sine crimine, quoniam iuxta dogmata Aristotelis nulla mens à materia segregata est inducenda, quæ sit mortalium corporum globo præfixa. Verùm hanc Auicennæ opinionem abesse ab Aristotelis doctrina, sic omnibus huius ætatis philosophis persuasum est, vt eam nemo non contemnat.

Mens

Mens efficiens eſt prima, ſupremaque mens à materia ſegregata. Cap. XXII.

REſtat opinio Alexandri, quam Priſcianus Lydus fuit amplexus, quamq; arbitror fuiſſe Ariſtotelis: ea eſt primam mentem, & Deum immortalem eſſe mentem effectricem: Hanc ſuam opinionem ſcribit Philoponus Alexandrum eo argumento confirmaſſe, quòd Ariſtoteles hanc mentem inducat, quæ efficiat omnia lib 3. de anima 18. & nihil præter Deum efficiat omnia; quam argumentationem Philoponus, & alij leuem, parumque firmam eſſe arbitrantur, quoniam Ariſtoteles vult mentem effectricem efficere non res, & ſubſtantias rerum, quod eſt Dei, primæq; cauſſæ munus, ſed actu intelligibilia, atque ſic efficere omnia actu intelligibilia, ſicut lumen facit colores eſſe actu mouentes viſum; hoc enim colores facit non ſimpliciter colores, ſed actu aſpectabiles, & idoneos ad mouendum perſpicuum & aſpectum. Hi, vt arbitror, non probè tenent mentem Alexandri, nec ſatis intelligunt id, in quo vis conſiſtit huius argumentationis: Enimuero Alexander cùm nequaquam illius ſit opinionis, quæ ſtatuit Deum eſſe cauſſam rerum omnium effectricem, quippe qui vnà cum Eudemo putat Deum vacare omni vera effectione, quæ ſit propria veræ cauſſæ effectricis, & veluti finem eſſe præpoſitum rebus cunctis huius vniuerſitatis; concluſit Deum eſſe mentem effectricem non ex eo, quòd ſimpliciter efficiat omnia, rerumq; ſubſtantias, ſed ex eo, quòd efficiat actu mentes, actuq; intelligibilia, quæcunq; ſunt poteſtate mentes, & poteſtate intelligibilia; & nulla mens præter primam, quæ eſt Deus immortalis, poſſit in hoc munere verſari. Hanc fuiſſe Alexandri ſententiam ex lib. 1. de anima cap. de mente effectrice poteſt ſciri, quo in loco Alexander huiuſmodi argumento ſuam opinionem videtur confirmare: Id eſt apud Ariſtotelem

mens efficiens, quod primùm, propriè, per ſe, ſuàq; naturà eſt actu mens, actuq; intelligibile: Deus eſt huiuſmodi, hocq; ſoli Deo tribuitur; ergo Deus eſt mens efficiens. Minor propoſitio nullam habet dubitationem; maior confirmatur: Quod efficit ea, quæ ſunt participatione, ac poteſtate mentes, & poteſtate intelligibilia, vt ſint actu mentes & actu intelligibilia, id eſt mens efficiens Ariſtotelis: atqui quod primùm, propriè, per ſe, ſuàq; naturà eſt actu mens, actuq; intelligibile, id officio fungitur efficiendi ea, quæ ſunt participatione ac poteſtate mentes & poteſtate intelligibilia, actu mentes & actu intelligibilia; ergo id, quod primùm, propriè, per ſe, ſuàq; naturà eſt actu mens, actuq; intelligibile, eſt mens efficiens. Prior huius confirmationis aſſumptio ab omnibus conceditur; poſterior declaratur, quoniam in quouis genere id, quod primùm, propriè, & per ſe continetur in genere, cæteris, quæ illius generis ſunt participatione, cauſſa eſt, vt eius ſint generis, veluti in genere calidorum quod primùm, propriè, & per ſe calidum eſt, id cæteris, quæ ſunt huius generis participatione, cauſſa eſt, quòd calida ſint: itaque in genere mentium & rerum intelligibilium id, quòd primùm & per ſe mens, ac intelligibile eſt, efficit, vt quæcunque ſunt participatione & poteſtate mentes, ac intelligibilia, efficiantur actu mentes & intelligibilia. Hæc eſt Alexandri argumentatio, quæ egregiè confirmat hanc ſuam de natura mentis effectricis opinionem, cui ego ſic accedo, vt agrè poſſim ab ea dimoueri, & præſertim cùm exiſtimem de ſententia Ariſtotelis vnicam duntaxat ponendam eſſe mentem à materia ſeparatã, atque hanc eſſe Deum præpotentem: quapropter cùm Ariſtoteles apertiſſimè poſuerit mentem effectricem eſſe mentem à materia ſolutam, neceſſe habeo fateri eum voluiſſe Deum eſſe mentem effectricem. Quæ mihi perſuaſerunt, vt in hanc opinionem deſcenderem de vnitate mentis à materia ſeparatæ, multa ſunt, ad quæ non eſt, vt in præſenti diſputatione diuertamus. Hanc Alexandri opinionem confirmant ea, quæ habentur à D. Tho-

ma

ma in 1. par. quæſt. 79. art. 4. quibuſq; ſtatuitur ſupra animam noſtram intelligentem ponendam eſſe aliquam mentem diuiniorem, à qua iuuetur ad intelligendum, atque hanc mentem eſſe Deum, à quo anima humana donatur lumine intellectuali iuxta illud Pſal. 4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine. *Eādem Priſcianus Lydus putauit e Platonis doctrina dimanaſſe perſuaſus ab ijs, quæ in lib. 6. de Rep. de Idea Boni tradita ſunt. Hoc in loco ſcribit Plato mentem noſtram ab Idea Boni vim intelligendi accipere, & eidem intelligibilia acceptā ferre veritatem; (quippe quæ ſcientiæ, & veritatis cauſſa ſit) eòq; ipſam Soli ſimilem eſſe, cognitionem verò ac veritatem lumini; nam veluti lumen & viſus quandam Solis ſpeciem obtinent, cùm minimè ſint Sol, haud diſſimiliter cognitionem & veritatem habere ſpeciem ideæ Boni, & non eſſe ipſum Bonum, cuius maieſtas eſt multò auguſtior : Et paucis interiectis ſubiungit, quemadmodum Sol præbet non ſolùm videndi poteſtatem, ſed etiam generationem, incrementum, nutritionemq;, cùm ipſe tamen nihil horum ſit, eodem modo Bonum ijs, quæ cognoſcuntur, tribuere non ſolùm vt cognitione accipiantur, ſed etiam vt ſint, cùm ipſum tamen non ſit eſſentia, ſed hanc ſuperet authoritate, dignitate, ac poteſtate. Hæc Priſcianus Lydus cùm exiſtimaret in mentem effectricem Ariſtotelis quadrare, credidit hanc eſſe Platonis ideam Boni, quod alijs Platonicis non probatur, qui ſtatuunt mentem effectricem Ariſtotelicam ideæ Boni cedere dignitate, eſſeq; illam mentem, quæ tenet ſecundum diuinitatis gradum, vocaturq; tum Verbum, Deiq; Filius, tum mundus intelligibilis, idearumq; locus, quæq; vt ſcriptum eſt in cap. 1. Ioannis, cum ſit lux vera, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum : Quapropter inquiunt Platonem hoc in loco lib. 6. de Rep. cognitionis & veritatis cauſſam primam, & communiſſimam aperuiſſe, atque ideo hanc cum Sole comparaſſe, & non cum lumine, cuius mens effectrix habet ſimilitudinem. Sed cùm hæc controuerſia ſit aliena ab Ariſtote-*

lis doctrina, cuius hoc tempore sumus explicatores, illam omittemus, & dubitationes considerabimus, quibus premitur Alexandri opinio de natura mentis effectricis.

Argumenta refelluntur Philoponi, & Ammonij, quibus Alexandri opinio exagitatur. Cap. XXIII.

ADuersus Alexandrum statuentem Deum esse mentem effectricem Philoponus multa argumenta congessit eruta ex verbis Aristotelis de mente effectrice differentis: sed quoniã horum nonnulla in eo potissimum versantur, vt ostendant mentem effectricem esse aliquid anima nostræ, quæ supra fuerunt à nobis exposita, & confutata, his omissis reliqua perpendemus. Ex comparatione mentis efficientis cum lumine in lib. 3. de anima 18. probat Philoponus contra Alexadrum duobus argumentis mentem effectricem non esse Deum; Alterum est, quia Deus Solis, & non luminis gerit similitudinem; Alterum, quoniam Deus rerum substantias procreat, nihilq; in hac rerum vniuersitate existit, quod ille non efficiat: & mens efficiens consequuta est talem efficientiam, qualis tribuitur lumini, quod non simpliciter colores efficit, sed tales, vt queant aspectum mouere. Insuper mentem effectricem non esse numerandam in mentibus separatis ex eo hic vir argumentatur, quòd Aristoteles scribat hanc mentem esse separabilem, quod attributum propriè significat, id quod cùm rei alicui sit copulatum, ab hoc potest disiungi; & non id, quod iam est separatum. Deinde paucis interiectis cùm statuat Aristoteles iuxta eius interpretationem mentem effectricem obliuisci, & sine imaginatione nihil intelligere, colligit mentem effectricem non esse mentem primam. Ammonius præterea contra Alexandrum ita fuit argumentatus. Contemplatio mentis effectricis est omnino naturalis, atque huius argumento est, quòd in lib. 3. de anima huius natura inuestigatur, &

alii.

attributa explicantur, quem librum nemo non reponit in numero librorum ad naturalem philoſophiam pertinentium; atquì cùm naturalis philoſophi nequaquam intereſſe contemplari mentes à materia ſeparatas multis in locis Ariſtoteles fuerit atteſtatus, mens efficiens non erit mens à materia ſoluta. Ad primum Philoponi argumentum non eſt reſponſio difficilis, nam Deus & Solis, & luminis habet ſimilitudinem: Solis ſi propria ipſius ſubſtantia ſpectetur; luminis qua ex parte fungitur officio mentis efficitricis noſtras mentes perficiendo, & ex poteſtate in actum transferendo; quocirca quoniam Ariſtoteles contemplatur Deum in eo, quòd vocatur mens efficiens, non ab re neglexit Solis ſimilitudinem, & eam, quæ luminis eſt, fuit amplexus. In proximo argumento non poſſum non admirari de hoc viro, qui ex Alexandro non intellexerit Deum nullum munus exequi, quod ſit veræ efficientis cauſſæ proprium, ſolùmq; eſſe finem ſupremum, quem omnia petunt, cuiuſq; gratia agunt, quæcunq; ſecundum naturam in aliquo opere verſantur. Tertium argumentum concidit, quia vox, ſeparabilis, non ſemper ſignificat id, quod poteſt ſeperari, cùm nondum ſit ſeparatum, ſed quandoque etiam pro ſeparato vſurpatur, vt conſtat ex lib. 6. poſtnat. 2. & ex lib 11. eiuſdem operis 26. iuxta Alexandri diuiſionem, quibus in locis illæ ſubſtantiæ à materia ſeparatæ, in quibus perſpiciendis & contemplandis verſatur prima philoſophia, appellantur ſubſtantiæ ſeparabiles. Poſtremum argumentum ruit, quoniam quæ Philoponus putat ab Ariſtotele tribui menti efficitrici, ea nobis mentiq; noſtræ tribuuntur. Argumentum Ammonij conuellitur, quoniam mens ſeparata bifariam poteſt conſiderari, vno modo abſolutè, & vt ſubſtantia ſeparata; altero comparatè, & vt refertur ad noſtram mentem, vocaturq; mens efficiens; prior conſideratio eſt primi philoſophi, poſterior philoſophi naturalis: Itaque Ariſtoteli non eſt in crimine ponendũ, ſi mentem ſeparatam fuit in ſcientia naturali contemplatus, quoniam non ſimpliciter & abſolutè fuit hanc intuitus, ſed qua

ex parte refertur ad noſtram mentem, atque huius gratia illius naturam & attributa inueſtigauit: Cùm enim noſtra mens in primis ſuæ ætatis temporibus ſit poteſtate, & nihil à ſe ipſo ex poteſtate in actum ducatur, operæ pretium fuit inuenire propriam, veramq; cauſſam, quæ hanc de poteſtate in actum traduceret, atque ob id de mente effectrice inſtituere diſputationem, cui hoc munus eſt impertitum. Ita ſanè de prima cauſſa mouente, quę eſt mens ſeparata, tractatur in lib. 8. phyſ. non vt eſt mens ſoluta à materia, ſed vt eſt prima cauſſa mouens, primumq; principium, vnde pendet motus æternitas. Quòd ſi aduerſarius obÿciat Ariſtotelem in li. 3. de anima propriè ac per ſe mentem effectricem contemplari, quippe qui ſtudiosè aperiat naturam huius mentis, & propria attributa, reſpondebo Ariſtotelem propriè, ac per ſe patefacere naturam mentis effectricis in eo, quòd eſt mens efficiens, & non in eo, quòd eſt mens ſeparata. Neque conturbetur Ammonius, quòd Ariſtoteles dum mentis effectricis naturam aperit, huic largiatur quædam attributa, quæ ſolius mentis à materia ſeparatæ propria ſunt, quæq; in mentem effectricem videntur quadrare, vt eſt mens ſeparata, nam quemadmodum qui primum motorem contemplatur, quædam huius attributa conſiderat immutabilitatem, æternitatem, vnitatem, impartibilitatem, & cætera eiuſdem generis, quæ ſimpliciter etiam accommodantur illi ſubſtantiæ, in qua ineſt ratio primi mouentis, propterea quòd illa attributa ad hanc ipſam rationem primi mouentis ſunt neceſſaria veluti fundamenta & initia, ſine quibus hæc non exiſteret, ita quoque mentem effectricem contemplanti neceſſe eſt illa explicare quæ in hanc mentem, quatenus eſt mens efficiens, propriè conueniunt, ac præterea peruenire ad illa, quæ eandem mentem, non modò vt eſt mens efficiens, ſed vt quædam etiam huiuſmodi ſubſtantia eſt, quacunq; ipſa fuerit, cui conuenit ratio mentis effectricis, ſimpliciter comitantur.

Alia

Alia referuntur argumenta, quibus Alexandri ſententia reprehenditur. Cap. XXIIII.

PRæter Philoponum atque Ammonium alij quoque Alexandri opinionem accuſarunt, quorum argumenta non ſunt ſilentio prætereunda: Si mens efficiens, inquiunt accuſatores, eſt Deus, quoniam magna inter hunc & noſtram mentem eſt naturæ diſſimilitudo, ratio erit afferenda, cur ille immortalis iungatur nobis mortalibus; explicandumq; erit, nunquid ille nobiſcum copuletur per ſubſtantiæ propriæ præſentiam, an potiùs quia diuina eius virtus noſtram mentem attingat. Rurſus qui tuentur hanc opinionem Alexandri, ſentiuntq; Deum nobiſcum copulari ad formandum intelligentiam, noſtramq; mentem complendam, neceſſariò ſtatuunt effectum nouum à Deo proximè fieri, deſtruuntq; illud tritum àpud Peripateticos enunciatum; Quicquid Deus in hoc mundo elementali producit, id cœli lumine motuq; miniſtrantibus efficit. Et profectò qua ratione Deus noſtram mentem illuminando perficiat non cœleſti lumine, ſed diuino ac peculiari ſuæ ſubſtantiæ lumine, arduum eſt intelligere. Præterea ſi Deus ſtatuatur mens efficiens, hæc cùm ſit in nobis, Deus quoque erit in nobis, qui ab Ariſtotele in lib. 8. phyſ. 84. in extremo huius vniuerſi circulo fuit conſtitutus; & motis nobis Deus mouebitur, atque in ortu ad nos accedens, & in interitu à nobis recedens non vſquequaque erit mutationis expers. Deinde mens efficiens eſt animæ noſtræ propria; Deus verò eſt communis rerum omnium illuſtrator: non igitur hic fuerit mens efficiens. Mentem effectricem eſſe propriam animæ, mentisq; noſtræ id declarat, quòd noſtra mens habeat rationem materiæ, quæ formatur & abſoluitur à mente effectrice, & cuiusq; materiæ proprius formator eſt inducendus: quare tot erunt mentes effectrices, quot mentes humanæ, ſingulæ ſingularum propriæ.

priæ. Postremò cùm in lib. 3. de anima 20. tributum sit menti effectrici, vt à nobis separata sit illud ipsum, quod est, sequitur, si Deus statuatur mens effectrix, vt hic nobis coniunctus suum statum amittat, suumq; esse; quin immo vt suum esse, suumq; statum nunquam teneat, quòd mens efficiens nunquam non est hominibus coniuncta. De prima difficultate dicendum est Deum, qui suâ naturâ est actu mens, actuq; intelligibilis, nobis coniungi, vt nostra mens, quæ est potestate mens & intelligibilis, sui copulatione & participatione fiat actu mens & intelligibilis, nam in omni natura quod est potestate cuiusdam modi, id non fit actu huius modi, nisi opera & participatione illius, q̃ per se, suâ ꝙ natura est huius modi. Deus autem est in nobis, & nobis iungitur duobus modis, vno cùm mentem nostrã, quæ est potestate mens, sua copulatione facit, vt euadat actu mens; altero, cùm præstat, vt eadem nostra mens actu intelligat, atque ex actu primo in actum secundum promoueatur. Priore modo est in nobis per suam essentiam, neque tamen vt nos loco clauditur, aut locum mutat, quoniam vbique est, & vt cecinit Poeta, Iouis omnia plena: Itaque Deus cùm sit vbique, ad nos non accedit, neque à nobis recedit, sed omnia permeans omnia implet, mentesque nostras complens facit, vt hæ, quæ sunt potestate mentes, efficiantur actu mentes. Nõ sum nescius Auerroem sub exitum disput. 14. contra Algazelem illos in pueris numerare, qui statuunt Deum in rebus omnibus reperiri; sed mihi quoque conscius sum hoc dogma fuisse ab Alexandro grauissimo Peripateco approbatum, et Aristote li non displicuisse sub exitum lib. 1. de part. animal. atque in eo veteres omnes consensisse; id quod testatur Hospes Athenienſis apud Platonem in lib. 4. de legibus, & confirmat author libri de mundo ab Alexandrum, dum scribit Deum, vt vetusto sermone proditum, est principium, finem, & media rerum omnium continere. Quod nonnulli conficiane hoc dogma non esse Aristotelicum, quoniam Deus ab Aristotele est introductus viribus, & essentiâ terminatus; & quod est huius

modi

modi, id minimè poteſt vbique eſſe, hos arbitror fruſtra eſſe, nam diuina eſſentia ad ſententiam Ariſtotelis nullis finibus continetur, eaq; prædita eſt infinitate, quæ tota ſimul eſt in ſeſe collecta, vt cum Alexandro ſentit Simplicius in com. lib. 8. phyſ. Atqui de Dei infinitate diſſercre huius non eſt loci, & præſertim cum ſine hac Deus vbiq; poſſit eſſe, quòd mundus, qui eſt finitæ capacitatis, vt compleatur, non requirat naturæ implentis immenſitatem. Quòd præterea Auguſtinus Steuchus in Pſal. 138. timens ne puriſſima Dei ſubſtantia vitium aliquod accipiat, ſi omnia & ſordidiſſima quæque permeet, aſſeueraucrit, quemadmodum Sol ſitu & corpore tantùm in cælo poſitus eſt, & illuminatione cuncta peruadit, eodem modo Deum ſuâ eſſentiâ atque præſentiâ in cælo ſolùm eſſe, ac cognitione rebus cunctis, & vbiq; adeſſe, omniaq; perluſtrare; atque propterea ab his inferis, in quibus eſt, nulla labe contaminari, quòd non ſubſtantiâ & præſentiâ, ſed ſola cognitione & notitia in his ſit; hic vano timore perculſus aberrat à ſacris literis, & à præclariſſimis noſtræ religionis proceribus, à quibus docemur Deum ſic eſſe vbiq;, vt in omnibus ſit ſuâ eſſentiâ, & præſentiâ. Id D. Auguſtinus, vt aliquo exemplo nobis ante oculos poneret, in lib. 7. confeſſionum cap. 5. finxit in mari immenſo, nullisq; finibus terminato eſſe ſpongiam, magnam quidem, ſed finita magnitudine præditam, ſtatuitq;, vt hæc vndique plena eſt immenſo mari, eodem modo vniuerſam rerum creatarum conſtitutionem Deo infinito plenã eſſe, neque huius partem vllam reperiri, cui præſtò non ſit Deus. Cæterùm eſt adiungendum illud intereſſe, quòd mare immenſum non ſit totum in quauis parte ſpongiæ, & Deus totus ſit in quacunque re creata, quantacunque hæc fuerit, vt idem D. Auguſtinus in lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 29. & in epiſt. 57. ad Dardanum. & alibi ſæpè fuit atteſtatus. Nec verendum eſt, ne ſummæ Dei dignitati vlla labes aſpergatur, quoniam cùm huius natura ſit ſummè ſpiritalis, nullius q; capax mutationis, nullum vitium, nullumq; dammum poteſt contrahere ex iis, quæ penetrat

ac continet. Verùm ſi quiſpiam voluerit Scotum audire, hic non habebit neceſſe in nobis Deum collocare, nam Scotus in lib. 1. ſentent. diſt. 37. quæſt. 1. putat Deum, quæ ipſius vis eſt prapotens, ac infinita, agere poſſe non ſolùm in id, cui præſens adeſt, ſed etiã in illud, à quo abeſt longiſſimè: Itaque ſi quis voluerit huius viri doctrinam ſequi, reſpondebit Deum noſtras mentes illuminare, tametſi non reperiatur in nobis. Atqui id magnam habet dubitationem propter ea, quæ diſputantur ab Ariſtotele in lib. 7. phyſ. cùm oſtendit quod mouet, id ſimul eſſe cum eo, quod mouetur; nam licèt Ariſtoteles hoc in loco propoſita habeat corpora, quorum eſt mouere & moueri, difficile tamen videtur cogitatione complecti, quo pacto actio poſſit ab agente, quale quale hoc fuerit, emanare, atque attingere id, quod procul eſt diſiunctum, medio non affecto. Planè cauſſa agens quo vires habuerit ampliores, eò longiùs actionem ex ſe mittit, ſed fieri non poſſe videtur, vt medio non interiecto, ac medio non affecto id afficiat, quod eſt remotum. Quapropter exiſtimandum eſt Deum, dum ipſe noſtras mentes in actum ex poteſtate ducit, nobis adeſſe, & ſuæ ſubſtantiæ præſentiâ in nobis reperiri. At verò cùm idem præſtat, vt actu intelligamus, noſtraq; mens ſuo fungatur officio, nobis iungitur non per ſuam præſentiam, & eſſentiam, ſed per modum cognitionis; & eatenus in nobis eſt, quatenus ipſum intelligimus: atque id bifariam contingit, vno modo cùm res haſce corporeas intelligimus; altero cùm ipſum Deum contemplamur. Enimuerò cùm res corporeas materiatasue intelligere nihil aliud ſit, quàm harum formas citra materiam, & materiæ conditiones ſuſcipere, atque mens noſtra intelligendo fiat id, quod cadit in intelligentiam, conficitur, vt mens noſtra intelligendo fiat forma ſoluta à materia, atque hoc pacto efficiatur particeps Dei naturæ, & in eo, quòd huius eſt particeps, ſit actu mens, actuque intelligibilis. Multò autem explicatiùs fit huius particeps, hicque arctiori vinculo nobis coniungitur, & in nobis gignitur, cùm ipſum propriè ac verè intelligimus; atque id ſignificauit

ſicauit Alexander, qui in lib. 2. de anima cap. 15. habet hæc: Hoc autem intelligibile ſuapte naturà & actu mens, quæ facit, vt mens materialis per relationem ad eiuſmodi formam ſeparet, imitetur, & intelligat, ac ſingulas materiales formas, ſeque ipſam intelligibilem reddat, eſt mens, quæ extrinſecus aduenire dicitur, ipſa inquam mens agens, quæ non eſt pars, neque facultas aliqua animæ noſtrę, ſed à rebus externis in nobis gignitur, quoties ipſam intelligimus. *Et in cap. 23. ita ſcribit* : Separabilis verò dicitur mens extrinſecus, & ſeparatur à nobis, non tanquam aliò migrans, locumque mutans, ſed ſeparabilis quidem dicitur tanquam per ſe exiſtens, & non cum materia: Separatur autem à nobis, quoniam non intelligitur, non quòd aliò demigret, ita enim in nobis quoque gignebatur. *In lib. 1. autem cap. de intellectu agente hæc tradit*: At verò mens efficiens cum materiali idem efficitur, vbi ipſam conſiderat, ob id, quòd ſingulis rebus intellectis idem fit, cùm res eædem intelliguntur; & qualecunque illud eſt, quod intelligitur, tale, cùm illud ipſum intelligit, fit: *Ex his conſtat Alexandrum velle mentem effectricem nobiſcũ coniungi quoque, & in nobis gigni, cùm eam intelligimus. Atq; hæc de prima difficultate; ſequitur ſecunda, quam declinamus, quoniam à mente effectrice nihil noui fit, dum mentes noſtras complet ac illuminat, quippe quæ perpetuo illuſtrat, nec vnquam id munus intermittit quamuis nunc in me, cras in te, poſtridie in alio videatur ſuum lumen collocare, nam quemadmodum lumen Solis perpetuò illuſtrat aerem, nec vnquam nouum effectũ dicimus ab eo dimanare, tametſi modò huic aeris parti, modò illi porrigat lumen, ita mentis effectricis officium complendi, & perficiendi mentes noſtras perpetuum eſt, nec aliquid noui ab hac vnquam defluit. Nec præterea deſtruitur illud tritum apud Peripateticos enunciatum, quod eſt: Deus abſque cęli motu, & lumine nihil efficit in rebus caducis; quoniam hoc arctandum*

eſt ad corpora, & ad ea, quæ in ſenſum cadunt, in quibus efficiendis Deus ſuſtinet rationem cauſæ communis; neque tam latè patet, vt pertineat ad mentes noſtras, quæ à Deo proximè ac nulla re, nullaque cauſſa ſecunda ſuam operam conferente illuſtrantur. Neque moleſtiam cuiquam exhibeat, quòd hic poſitus ſit ab Ariſtotele in extremo huius vniuerſitatis globo, quoniam Ariſtoteles eum intuebatur, qua ex parte ſuſtinet rationem primi motoris, qui ſi inſpicitur, vt eſt mens efficiens, in nobis eſt ponendus, vt eius opera mens noſtra efficiatur actu mens, actuque intelligibilis. Nobis autem intereuntibus mens efficiens non recedit, ſed manet immutabilis, & apud alium diuinum ſuum & immortale beneficium collocat, nam vt lumen, quo varia corpora infecta colore illuſtrantur, nullum accipit detrimentum, cùm intereunt hæc corpora, aut in tenebras abeunt, eodem modo mens efficiens nobis intereuntibus nulla afficitur labe, nec vllam ſentit mutationem. Et quamuis nos moueamur, & ex alio in alium locum progrediamur, illa tamen manet ſine vllo motu, ſineque vlla mutatione, quippe quæ non ſic nobis iungitur, vt ſit aliquid noſtri, aut ex nobis pendeat, & ea ſola motis nobis mouentur, quæ ſic ſunt in nobis, vt ſint aliquid noſtri, aut ex nobis pendeant. Proximam difficultatem ita tollimus: Mens efficiens bifariam poteſt inſpici, vno modo abſolutè, ſoliusque ſubſtantiæ ipſius habita ratione; altero in eo, quòd complet mentem humanam, & ab hac intelligitur: ſi priore modo ſpectetur, vna ſimplexq; exiſtit, & communis eſt omnium mentium noſtrarum illuminatrix; ſin poſteriore, ſit quodam modo multiplex, & in multas diſtribuitur. Id vt intelligeretur, mens efficiens, vt ait Themiſtius, fuit cum lumine comparata, quod in Sole vnum ſimplexque eſt, & varia corpora illuminans in multa diſpertitur. Mens igitur efficiens partim in ſe vna eſt, & partim in multas diſtributa, atque eo pacto vt ſingularum mentium humanarum ſingulæ ſint menies effectrices. Accedit, quòd non eſt perpetuò verum vnius materiæ vnum eſſe propriũ

forma-

formatorem, & multarum multos, nam fieri potest, vt ab vno & eodem formatore multæ materię compleantur, & commutentur; id quod possumus cernere in artibus. Et si vnus Sol multos colores illustrat, & vnus color multorum oculos mouet, non intelligo, cur vna eademq; mens effectrix non possit multas hominum mentes absoluere, & in actum de potestate ducere? Sed hæc ita sunt perspicua, vt in controuersiam non sint vocanda. Postremum argumentum diluitur, quòd sententia illius loci lib. 3. de anima 20. in quo mens effectrix à nobis, separata est illud ipsum, quod est; longè sit diuersa ab ea, quã aduersarij approbant; idq; cùm abundè fuerit à nobis declaratum persuadentibus mentem effectricem ęsse mentem à materia solutam, non est, vt hic locus iterum explicetur à nobis. Cùm igitur mens Aristotelis effectrix sit Deus immortalis, planè vt eius naturam inuestigemus, nihil est opus, vt longiùs progrediamur, quòd Dei naturam inuenire arduum est, & si quid huius fuerit inuentum, id verbis explicare, vt inquit Plato in Timæo, est penitus impossibile.

ALOYSIO BEVILAQVÆ
MARCHIONI ILLVSTRISS.
ET GYMNASII FERRARIENSIS MODERATORI.

THOMAS GIANNINIVS F.

DAEMONIS nomine & si nostri Theologi illam naturam appellent, quæ in prima sui origine à Deo immortali perfectissima ratione, & absolutissima intelligentia donata suo peccato de dignitate deiecta, Cœloque depulsa nobis est infesta, attamen Aloysi Marchio Illustrissime nomen hoc magni est à Platonicis habitum, ijsque positum, quos sacræ litteræ Angelos vocant, quosque illa ætas vetusta induxit, vt Dijs obsequium nauarent, ac veluti horum nuncij occultas ipsorum voluntates, sensusque inexplicabiles hominibus nunciarent. De his cum quid Aristotelicè sentiendum sit, habuerim disputationem, hanc Tibi dicandam esse putaui, nam cum me multis, magnisque beneficijs auxeris, merito ingrati nomine accusarer, si nulla memoris in Te animi mei significatio extaret. Accedit, quòd cum hæc disputatio sit de Dęmonibus instituta, qui ab ætatis priscæ

priſcę Philoſophis Deorum Legati fuerunt crediti, ea mihi viſa eſt apta, quæ Tibi nuncupetur, quem rerum vſu, & conſilio mirificè præſtantem, atque ſingulari eruditione, & eximijs animi virtutibus egregiè ornatum Magnus Hetruriæ Dux ingens Italiæ numen non ratò delegit, quem ad principes, regeſque maximos legatum de ſuis maximis rebus mitteret. Patiare igitur Vir præſtantiſſime hanc meam qualemcunq; diſputationem cum Tui nominis inſcriptione publicari, quam ſi aliqua ex parte probaueris, hoc nihil gratius mihi poterit contingere. Vale, & me, de quo bene ſentias, non indignum exiſtima.

mon eſt animal intelligens, immortale, patibile, aerium, hominum cuſtos, atque inter Deos & homines interiectum, vt hos inter ſe conciliet, nuntiusq; ſit, qui Deorum mandata ad homines, & hominum preces ad Deos perferat. Damon finitur animal, quoniam non caret ſenſu, quo animal conſtituitur, quamquam eius ſenſus ſit multo præſtabilior eo, qui fuit conceſſus caducis animalibus. Quoniam verò præter ſenſum habet mentem, vimq; intelligendi, is non eſt animal ſimpliciter, ſed animal intelligens. Præter ſenſum Damoni vim intelligendi fuiſſe impertitam id teſtatur, quòd Dæmon homini, cui data eſt mens, ac vis intelligendi, dignitate anteeat & nihil mentis expers honore anteſtet illi, cui donata eſt mens & virtus intelligendi. Eſſe verò animal intelligens commune eſt Damoni cum homine ac Dijs, (Deorum nomine intelliguntur ſtellæ cœlicolæ, quæ quod in perenni curſu poſitæ conſpicerentur, Deorum appellationem reportarunt Platone in Cratylo atteſtante) quamuis illud interſit, quòd Dij ſimplici intuitu ſine vllo diſcurſu fungantur intelligendi munere; homo non ſine longo diſcurſu, in hoc munere verſatur; & Dæmon diſcurſu quidem vtitur, ſed adeo celeri, vt ferè ſine diſcurſu videatur intelligere. Huius varietatis ea eſt ratio, quoniam cùm animalium intelligentium natura tribus gradibus ſit diſtincta, quorum ſummus continet Deos ſiue ſtellas, infimus homines, & medius Dæmones, hi prout nobilitate ignobilitatiue inter ſe differunt, ita & munere intelligendi diſſident inter ſe animalia, quæ his in gradibus continentur. Eſt præterea Dæmon animal immortale, non quidem ſuâ naturâ, ſed Deo volente, nam, vt inquit Plato in Timæo, omne, quod eſt vinctum, poteſt diſſolui, & Dæmon ex corporis & animæ coniunctione exiſtit; verùm hic nunquam diſſoluetur, nec mortem ſubibit, quod Dei voluntas maius præſtantiusq; illi eſt vinculum ad vitæ cuſtodiam, quàm nexus ille, quo iunc, cùm gigneba tur, fuit colligatus; atque id Dæmon cum Dijs habet commune, à quibus differt, & cum hominibus congruit, quia eſt pa-

tibilis; nam cùm duplex ſit paſſionum genus, alterumq; turbet animum, & alterum corpus, Dij corpore & animo ſunt impatibiles, quoniam cùm corpore ſint immortales, nullas eos oportuit ſentire corporis affectiones, quibus quæcunque ſunt obnoxia, aliquando in interitum labuntur; & cùm ipſorum vita ſit beata, par fuit eos longè abeſſe ab animi perturbationibus, quæ nos interdum ſic afficiunt, vt vitam efficiant amariſſimam. At verò homines cùm ſint mortales, incurrunt in omnes corporis paſſiones; & ne perpetuo viuant in otio diſſidia dediti, animi affectiones patiuntur, quibus ad agendum excitantur: Dæmones autem ſunt corpore impatibiles, quia immortalem vitam viuunt, & animo patibiles, quoniam voluptatibus doloribusq; obnoxij amant, timent, lætantur, cæteriſq; afficiuntur animi perturbationibus. Iidem ſunt corpore aerij, nam cùm animalibus ea corpora fuerint à natura data, quæ apta ſunt & accommodata ad eorum munera obeunda, atque Dæmon, vt ſuum munus exequatur, neceſſe habeat huc & illuc moueri, modoq; aſcendere, modo deſcendere, & in varias mundi regiones excurrere, inter omnia corpora aer eſt maximè idoneus, quo hæc munera impleantur, nam eſt mobilitate celerrimus, & leuitatis ac grauitatis particeps accommodatus eſt ad aſcenſum, & deſcenſum accipiendum. Verùm enim verò quoniam natura generis humani labilis eſt, & à recto itinere facilè aberrat, rerum omnium conditor Deus huic præfecit Dæmones, qui in rebus dubijs eſſent monitores, ad finesq; præſtitutos directores, atque humanarum actionum inſpectores corpore diſſoluto animis aſſiſterent, eosq; ad iudicem perducerent ſingula ſuo vel approbantes, vel diluentes teſtimonio. Demum inter Deos, & homines Dæmon eſt medius interiectus, & vt hos naturâ magnopere diſcordes inter ſe conciliet, quippe qui cũ vtriſq; aliquam habeat naturæ cognationem; & vt inter ipſos ſit nuntius, atque interpres, nam cùm homines ad vitæ commoditatem & incolumitatem multorum bonorum indigeant, Deorumq; ſit indigentibus ſuppetias ferre,

bonaq;

bonaq́ tribuere profectò quoniam homines nequeunt quicquam proximè à Dijs accipere, à quibus longiſſimè abſunt, conſentaneũ fuit Damones inuehere, quorum miniſterio homines quicquid boni ac commodi eis accedit diuinitùs, conſequerentur, quiq́ veluti inter Deos & homines vectores hinc hominum petitiones Dijs interpretarentur, ac nunciarent, & illinc bona commodaq́ diuina ad homines traducerent. Atque hæc de natura Damonum fuerunt à Platone, & à Platonicis memoriæ tradita, ex quibus quid Damonis nomine ſignificetur, perſpicuum eſt. Quæ verò induxerunt eoſdem vt Damones amplexarentur, hæc vel maximè fuerunt. Principio hic eſt conſtans naturæ progreſſus, vt ab altero extremo ad alterum, quod maximè diſtet, nunquam progrediatur, niſi per aliquod medium ſibi aperiat aditum; de quo ſi quippiam dubitat, is ſibi ante oculos ponat omnia huius vniuerſitatis corpora, nam planè perſpiciet inter ſimplicia corpora, & mixta ſuis numeris abſoluta interijci nubem, pluuiam, grandinem ac reliqua huius generis leuiter mixta; inter inanima et corpora animata curalium eſſe poſitum, quod anima expers gerit fructicis formam; & à Græcis quæcunque vocantur ζωοφυτα & à Latinis plantanimalia, hæc medium ſibi locum aſſerere inter plantas & animalia. Quòd ſi in his hic eſt ordo naturæ, planè quoniam natura eſt prorſus immutabilis, eademq́ in omnibus, atque inter Deos & homines maxima eſt naturæ diſtantia, nunquam ex his erit ad illos aſcenſus, niſi Damones inducantur, qui naturæ ex hominibus ad Deos aſcendentiũ viam aperiant, ſintq́ veluti vinculum, quo Dij & homines inter ſe coniunguntur. Quæ enim à natura Damonibus fuerunt impertita, eorum alia ſunt illis cum hominibus & Dijs communia, vti animal & intelligens; aliud Damones conciliat cum Dijs, veluti immortale; aliud eoſdem efficit hominibus cognatos nempe patibile; & alia ſunt ipſorum naturæ propria, nimirum quæ his exceptis fuerunt in eis definiendis aſſumpta. Amplius niſi Damones locum obtinuerint in rerum vniuerſitate, hæc non

rectè vniuerſum, & mundus nuncupabitur: Huius conſequutio-ea eſt ratio, quia rerum vniuerſitas appellationem vniuerſi inde ſibi comparauit, quòd ab ipſa rerum omnium ſpecies continẽtur, at vero dæmonibus eiectis locus non erit in hac vniuerſitate rerum omnium ſpeciebus. Eadem mundi nomine fuit obſignata, quia pulcherrima eſt iyſq; omnibus donata, quæ ipſi & omnibus ipſius partibus poſſunt eſſe ornamento: verùm cùm ignis terra & aqua ex animalibus, quæ habitant in eis, magnum accipiant ornamentum plane niſi dæmones introducantur, qui ſint incolæ aeris, hic deſertus à proprijs animalibus ſuo carebit ornamento. Et fanè veri multò ſimilius eſt aerem potius, quàm terram & aquam coli à proprijs animalibus, tum quod is ſpiritu ductus tueatur vitam eorum omnium quibus ſpiratio fuit à natura conceſſa; tum etiam quod is inter elementa ad vitam afferendam eſt accommodatiſſimus, quippe qui ſuâ naturâ calidus eſt ac humidus & calore ac humore vita continetur. Nec verò quiſpiam exiſtimet volucres eſſe propria aeris animalia, quoniã quæ ſunt propria elementi alicuius animalia, ea hoc elemento nutriuntur, in hoc elemento requieſcunt labore fatigata; & volucres neque aluntur ex aere, neque in aere quieſcunt, ſed in yis, & ex yis quæ oriuntur e terra, quietem ac alimentum capiunt. Et cùm nulla auis vltra montium vertices efferatur, quis non ſentiat fore, vt maxima pars aeris vſque ad Lunæ globum careat animalibus? Poſtremò exploſis dæmonibus nulla ratio, quæ ſit probabilis, poteſt afferri multorum euentorum, quæ ab hiſtoryis memoriæ conſecrata leguntur, atque non raro ſenſibus accipiuntur; ea namque ſunt effecta magiæ naturalis, vt interim magiæ ab Imperatoribus, & legibus damnatæ opera prætermittantur, vt ſolis dæmonibus ſint accepta referenda quando quidẽ hi in inueſtigandis, & perſpiciendis rerum naturalium viribus indagatores ſolertiſſimi (ex quo Græcè dicuntur δαίμονες quaſi δαήμονες hoc eſt ſapientes & periti) optimè teneant, qualis ſit rerum naturalium vis & facultas, qualis conſenſus & diſ-

ſenſus,

ſenſus, quid cuique conueniat, quid repugnet, qua ratione quę ſunt inter ſe aduerſa in concordiam redigantur, quæ viciſſim agere ac pati ſunt aptè natæ, quidue ex his inter ſe agentibus, ac patientibus oriri eſt natura comparatum. Itaque cùm hæc omnia ſint dæmonibus explorata, non ſolùm ipſi per ſe multa efficiunt, poſſuntq; efficere, quę hominum ſuperat cognitionem, naturæ tamen poteſtati ſubijciuntur, verùm etiam quicunque illis aliquo pacto ſunt coniuncti, eiſdem docentibus ac miniſtrantibus multa poſſunt edere magicæ artis opera, hisq; cæteris hominibus ſeſe admirabiles præbere. Sed longiùs progrediamur: Rerum vniuerſitate dæmonibus interdicta quis vnquam inueniet cauſſam, cur olim ſtatuæ interrogatæ reſponderint? cur priſcis temporibus Pythia cæteræq; mulieres templis, ac oraculis præpoſitæ, quæ futura erant, certò diuinauerint? & ne ſingula commemorentur, cur his temporibus mulieres omnium literarum imperitiſſimæ quandoq; audiantur græcè, latinè, & hebraicè loqui? Hæc ſunt huiuſmodi, vt ſine opera dæmonum perfici nequeant, eumq; ſit neceſſe oleum & operam perdere, qui poſthabitis dæmonibus illa ad alias cauſſas retulerit. Atque hæc ſunt ea, quæ veteres ac Platonicos induxerunt, vt Dæmones amplexarentur.

De Dæmonibus quid Ariſtotelicè ſentiendum ſit, Ariſtoteleſque de Dæmonibus, vel nunquam eſt loquutus, vel non ita, vt eos aut putauerit, aut non putauerit eſſe. Cap. 11.

His de Dęmonibus ad veterum, & Platonicorum ſententiam expoſitis deinceps quid de his Ariſtotelicè ſentiendum ſit, tribus enunciationibus aperiemus. quarum prima eſt: Ariſtoteles de Dęmonibus vel nunquam eſt loquutus, vel non ita eſt loquutus, vt exiſtimandum ſit hos ab eo aut poſitos, aut

iectos

eiectos fuiße. Equidem in lib.4.de ſecretiore ſecundum Aegyptios philoſophia nonnulla de Dæmonibus Spirituum nomine ſignificatis habentur, verùm opus hoc aut non eſt Ariſtotelis, aut non ex animi ſententia ſcriptum fuit ab Ariſtotele; huiuſq; libri inſcriptio fidem facit non obſcuram. Porrò cùm Dæmones duobus modis poſſint induci, vno modo corpus & magnitudinem habentes, altero ab omni corpore & magnitudine vacui, ſi priore modo inducantur, quo à veteribus & à Platonicis fuerunt inducti, ſecunda enunciatio eſt: Dæmones, qui corporis & magnitudinis ſint participes, nulla poteſt ratione fieri, vt cũ doctrina Ariſtotelica conſentiant. Sin verò poſteriore modo introducantur, quo pacto introducendos eſſe demonſtrant omnes ſcholaſticæ Theologiæ magiſtri, tertia eſt enunciatio. Dæmones corpore & magnitudine carentes obſcuri, & ignoti fuerunt Ariſtoteli, quamquam hi ijs, quę ab Ariſtotele tradita ſunt, haudquaquam ſint aduerſi. Hę enunciationes quoniam multis affluunt dubitationibus, ſeorſum ſingulę ſunt conſiderandę, & à dubitationibus vendicandæ. Prima enunciatio diſplicet Auguſtino Steucho in lib.8.de perenni philoſophia, atque ijs omnibus, quibus placuit ex dictis Ariſtotelicis Dæmones extorquere; quocirca ne ſit dubia, hæc Ariſtotelis dicta ſunt afferenda & explicanda. In lib. 2. rhetor. cap. de locis enthymematum Dæmon nihil aliud eſt, quàm vel Deus, vel Dei opus; & ad calcem ferè lib. 3. eiuſdem operis Dæmones vel Deorum filij ſunt, vel aliquid in ſe diuinum habent. In lib.2. top. cap.2. εὐδαίμων eſt is, cui Dæmon eſt bonus. In lib. 1. Eudemiorum cap. 1. conſiderandum proponitur, an ad vitam beatam perueniatur vel Dæmonis afflatu, vel fortunà. In lib.de diuinatione per ſomnum cap.2. ſomnia à Deo non ſunt quidem miſſa, cęterum dæmonia ſunt, hoc eſt Dæmonum opera, nam & natura non diuina, ſed Dæmonia eſt, hoc eſt non proximè regitur à Deo, atque aaminiſtratur, ſed ipſius curatio tradita eſt Dæmonibus, quorum illa ſubiecta eſt poteſtati. In lib. 5. poſtnat. 15. in ſubſtantijs dæmones numerantur.

Atque

Atque hi ſunt loci, in quibus habita eſt de dęmonibus mentio ab Ariſtotele; pręter hos alij ſunt, in quibus dęmones fuerunt ſignificati, atque hi ſunt: In lib. 2. de anima 15. pars animę vegetalis à reliquis animæ partibus ſeparatur, & hę in mortalibus nequeunt ab illa ſeparari. Hìc non obſcurè ſignificatur præter mortales animantes reperiri immortales, quibus pręter vegetalem datę ſunt reliquę animi partes; hi verò ſunt dęmones, qui vegetali excepta donati ſunt omnibus animę facultatibus. Optima autem ratione caruerunt virtute vegetali, quoniam ſunt immortales, & huius animę partis opera, & officia, quę ſunt alì, creſcere, & quod ſimile eſt, generare, ſolis mortalibus ſunt neceſſaria, quorum corpora, quòd continenter diſſoluantur, indigent nutritione, qua quod eſt diſſolutum, reſtituitur; quòd puſilla & imperfecta naſcantur, deſiderant incrementum, quo ad perfectam magnitudinem perueniant; & quòd interitui ſint obnoxia, neceſſe habent ſui ſimile procreare, vt eo, quo fieri poteſt, modo conſequantur immortalitatem, cuius deſiderio trahuntur omnia quęcunque ſunt in rerum vniuerſitate. In eodem lib. 29. mens data eſt hominibus, aut ſi quid aliud eſt eiuſdem generis, aut etiam honorabilius: Hoc quoque in loco Ariſtoteles ſignificauit dęmones, in quibus non ſecus ac in hominibus ineſt vis intelligendi, & propterea ſunt animantes intelligentes, quamquam hominibus multo pręſtabiliores. Demum in lib. 3. de gen. animal. cap. 11. cùm plantę ſint terrę incolę, aquę aquatile animalium genus, & aeris pedeſtre, pręter hęc tria animantium genera, quartum, quod eſt ignis, inducendum eſt, illudq; apud Lunam quęrere oportet. Verùm quoniam exceptis dęmonibus nullum eſt animal, quod in igne poſſit viuere, Ariſtoteles ſanè hoc in loco dęmones ſignificauit, hosq; eſſe putauit. Atque hæc ſunt ea, quę multos induxerunt, vt crederent dęmones Ariſtoteli non diſplicuiſſe; Quòd ſi roges, ecquid fuerit cauſſę, cur Ariſtoteles in horum natura, & officijs explicandis ſuum ſtudium non poſuerit, reſpondent ab his illum abſtinuiſſe, quòd arbitratus

fuerit

fuerit ſibi eſſe acquieſcendum ijs, quę de natura & officijs dæmonum ſatis abundè fuerunt ſcripta à Platone, idq; confirmant, quia alioquin Ariſtoteles illud ſubiret crimen, quo veteres ab ipſo damnantur in lib. 2. phyſ. 43. quòd de caſu & fortuna nihil literis tradiderint, nam cum Ariſtoteles accuſet hos, quia cùm multa fieri à caſu & à fortuna dicantur, abſurdum eſt caſus & fortunę diſquiſitionē ab eis fuiſſe prętermiſſam, ſiue caſum & fortunam nō eſſe putauerint, ſiue aliquid eſſe habuerint perſuaſum, pręſertim cùm interdum his vtantur; haud diſſimiliter ipſe vituperandus eſſet, qui cùm non ignoraret dæmones omnium ferè ſuę ętatis hominum animos occupaſſe, in his contemplandis nunquam fuerit verſatus, hos ſiue eſſe, ſiue non eſſe exiſtimauerit, & pręſertim cùm interdum his fuerit vſus. Prętermiſſa igitur fuit dæmonum contemplatio ab Ariſtotele, quoniam cùm is dæmones eſſe putaret, quod conſtat ex locis nuper recitatis, atq; in his contemplandis nihil poſſet afferre, quod antea non eſſet à Platone traditum, ſtatuit de his nihil ſibi dicendum eſſe, atque ea eſſe tenenda, quę de dæmonum natura, & officijs fuerunt a Platone literis conſignata. Hi dæmonum amatores nihil proficiunt, & loci recitati ſi legitimè interpretentur, non iuuant ipſorum opinionem, id quod nunc fiet manifeſtum. In loco lib. 2. Rhetor. cùm Ariſtoteles verſaretur in explicandis enthymematum locis illuſtrans eum, qui ſumitur ex definitione, vſus eſt exemplo dæmonis definitionis, quę habetur in Socratis Apologia ſcripta à Platone; id autem vt intelligatur, afferenda eſt Socratis accuſatio, & defenſio. Melitus Socratem accuſauit, quòd Deos negando corrumperet iuuentutem, hic ſeſe defendens rogauit Melitum, num exiſtimaret ſe putare aliquid dæmonium eſſe; aſſentiente autem Melito, quippe qui ex Socrate ſępenumero audiuerat ipſum cunctis in rebus dæmonium ſequi, ſubiunxit, neceſſarium eſt igitur putare me dæmones quoque eſſe, quòd quiſpiam non eſt, qui dæmonum opera opinetur eſſe,, dæmones autem minimè; atqui omnes arbitrantur dæmones aut Deos eſſe, aut

Deorum

Deorum filios; qui fieri igitur poteſt, vt putem non eſſe Deos? Eodem exemplo vſus eſt Ariſtoteles in lib. 3. eiuſdem operis cùm ageret de interrogatione; quocirca hi loci nullum habent momentum ad perſuadendum Ariſtotelem dæmones adamaſſe, quòd exempla, quibus vtimur, non proponuntur, quoniam vera credantur, ſed vt id, de quo agitur, apertatur, & illuſtretur. In lib. 2. Top. cap. 2. Damon Ariſtoteli eſt animus; idq; ſignificant, quæ continuò ſubiunguntur, & ſunt: Quemadmodum Xenocrates inquit εὐδαίμονα eum eſſe, qui animum ſortitus eſt bonum, ipſum enim vnicuiq; eſſe dæmonem. Quòd in lib. 1. Eudemiorum proponatur conſiderandum, nunquid vita beata hominibus contingat vel adflatu alicuius dæmonis, vel fortunâ, id non facit, vt credamus Ariſtotelem animo admiſiſſe dæmones, tum quia hic in his libris, dum loquitur de ijs, quæ ſunt præter morum conſiderationem, ſæpenumero ſeſe accommodat ad vulgi opinionem; tum etiam quoniam videtur hos libros non multis feciſſe poſt ſcriptionem illorum, qui ſunt ad Nicomachum miſſi; qua de re exiſtimandum eſt ea ſola fuiſſe ipſi probata, quorum in libris Nicomachijs habita eſt ratio: In primo autem librorum horum cap. 10. hæc quæſtio proponitur, atque ſic explicatur, vt ne quidem verbum ſit de dæmonibus factum. Locus libri de diuinitate per ſomnum perperam explicatur non enim ſomnia poſſunt appellari dæmonia, quia ſint opera dæmonum, & miſſa à dæmonibus; atque huius ea eſt ratio, quoniam argumentis, quibus concluditur à Deo ſomnia non mitti, poteſt quoque concludi eadem non eſſe à dæmonibus miſſa; ea verò ſunt, quòd abſurdum eſt ſomnia, ſi mittuntur à Deo, non optimis, ſapientiſſimiſq;, ſed quibuſuis ſine diſcrimine mitti; & quòd e cæteris quoque animantibus aliqua ſomniant, quibus turpe eſt ſomnia Deum impartire. Nec rurſus natura vocatur dæmonia, quia dæmonum poteſtati ſubijciatur, atque à dæmonibus regatur, nam ſub exitum lib. 2. phyſ. dum monſtratur quæcunque natura agunt, finem aliquem habere præſtitutum, atque hunc

ſemper aſſequi, niſi quippiam fuerit impedimento, id ita monſtratur, vt nulla habeatur ratio dæmonum, qui præſideant cauſſis agentibus naturalibus, hisq; duces ſint ad ſuos fines obtinendos. Ego arbitror ſomnia vocari damonia, hoc eſt admirabilia, nam ſomnia tametſi à Deo non ſint miſſa, digna tamen ſunt admiratione, quippe quorum nonnulla huius modi ſunt, vt captum ingenij noſtri videantur excedere; idq; ſcriptum eſt initio huius libri. In eadem ſignificatione accipio idem vocabulum naturæ tributum, nam natura non eſt quidem diuina, ſed admirabilis, cùm nulla ſit res naturę, quamuis minima, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur ſub exitum lib. 1. de part. animalium. In lib. 5. poſtnat. 15. damonia, quæ inter ſubſtantias numerantur, non ſunt dæmones, qui græcè nõ δαιμόνια ſed δαίμονες appellari conſueuerunt, ſed corpora cæleſtia, quæ loco numinum habebantur à veteribus. Hanc explicationem eſſe legitimam argumento eſt, quòd cùm hoc in loco, & initio lib. 8. eiuſdem operis ſubſtantiæ enumerentur, damonia in loco poſteriore omittuntur, horumq; loco habentur cæli, quorum in loco priore nulla eſt ratio habita; quapropter vt his in locis ſubſtantiarum enumeratio integra ſit, & non diſſimilis, exiſtimandum eſt damonia Ariſtoteli eſſe corpora cæleſtia. In lib. 2. de anima 15. aſſeueratur in mortalibus animantibus à vi anima vegetali non ſeparari reliquas animæ vires, non vt dæmones ſignificentur, ſed vt cæli excipiantur. qui mente præditi carent facultate vegetali. Idem Ariſtoteli fuerunt in animo propoſiti, cùm paulò poſt in tex 29. aſſeueratur non ſolùm homines habere mentẽ, verùm & ſi quid aliud eſt eiuſdem generis, aut etiam præſtabilius; nam cæli ſunt verè animati anima intelligente de ſententia Ariſtotelis, vt aliàs declaraui, & declarabo, cùm dabitur occaſio. Demum in lib. 3. de gen. animal. cap. 11. quartum genus non ſignificat Ariſtoteli dæmones, ſed vel ignem, qui eſt quartum elementum, quiq; cùm his in locis propriam formam habere non cernatur, nam aut aer, aut fumus, aut terra eſſe videtur,

quod

quod ignitum eſt, apud Lunam eſt quærendus; vel genus quoddam animalium in igne degentium, cuius generis poſſunt videri beſtiolæ illæ, quæ, vt ſcribitur in lib. 5. de hiſt. animal. cap. 19. in Cypro inſula æraryis fornacibus, vbi chalcites Lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, in medio igne naſcuntur pennatæ, paulò muſcis grandibus maiores, quæ per ignem ſaliunt, atq; ambulant, & emoriuntur, cùm ab igne dimouentur. Cęterùm hoc beſtiolarum genus non caret dubitatione, quoniam in lib. 2. de gen. & int. nihil ex igne aut glacie naſci poteſt, quòd vtrumque exceſſus eſt quidam, glacies frigoris, ignis caloris. An has beſtiolas reſpondendum eſt non ex igne oriri, ſed ex aliqua materia in chalcite reperta ad eas procreandas idonea, quæ vbi natæ ſunt, continuò dant operam, vt ab igne ſeſe dimoueant, ne pereant; verùm nihil proficiunt, quoniam mox intereunt, quòd humiditas ipſarum ferè vniuerſa ſit ab igne conſumpta. Sed quicquid ſit de hoc beſtiolarũ genere, Ariſtoteli quid hoc quartum genus ſignificet, valde obſcurum eſt, nec quid is habuerit in animo propoſitum, facile eſt diuinare. Ex his liquet Ariſtotelem his in locis nequaquam eſſe damones putaſſe. Quòd ſi aliquis petat, cur Ariſtoteles nullam fecerit mentionem damonum, non reſpondebo cum aduerſarijs, quia Ariſtoteles ſibi acquieſcendum eſſe putauerit, quæ fuerunt à Platone de damonibus ſcripta, quoniam Ariſtoteles ea, quæ ſunt ſcientia naturalis, ſic eſt perſequutus, vt nihil eorum omiſerit, quæ ad cognoſcenda ea, in quibus contemplandis fuit verſatus, momentum habere intelligeret; integram enim & nõ mutilatam ſtuduit ſcientiam de natura perſcribere: ſed dicam Ariſtotelem nullam habuiſſe occaſionem ad dęmones diuertendi, quippe qui non ſint corpora naturalia ſenſibilia, neque horum affectiones, ac principia, in quibus cognoſcendis tota conſumitur ſcientia naturalis initio lib. 1. de cæl. Iure autem & merito veteres fuerunt caſtigati, quòd de caſu & fortuna quicquam non ſcripſerint, quoniam cùm caſus & fortuna de numero cauſarum eſſe dicantur, mul-

taq; à caſu & fortuna fieri plerique veterum exiſtimauerint, non ſine crimine horum contemplatio negligitur ab eo, qui in inueſtigandis rerum naturalium cauſſis & principijs ſuam operam locat, & præſertim ſi his quandoq; vtatur: quapropter ſi Ariſtoteles de dæmonibus quicquam ſcribere prætermiſit, non incurrit in crimen, quo non iniuria veteres fuerunt ab ipſa damnati.

Dæmones corporis & magnitudinis participes non conſentiunt cum Ariſtotelis doctrina. Cap. III.

SEquitur ſecunda enunciatio, qua vt perſpicua efficiatur, qua fuerunt corporeis dæmonibus impertita in medium afferemus, & nunquid his conſentiant Ariſtotelis doctrina, conſiderabimus. Et primùm hi finiuntur animalia; atqui quoniam ab Ariſtotele animal ſenſu definitur & conſtituitur, dæmones planè non erunt ſine ſenſu; verùm cum per rationem & ſine ratione conſtet actum ſentiendi non ſine aliqua corporis parte, qua miniſtret, obiiri lib. de ſen. & ſenſibilibus cap. 1. atque Dæmonum corpora nullis partibus inſtrumentarijs ſint diſtincta, nam lib. 1. de hiſt. animal. cap. 1. illæ ſunt partes inſtrumentariæ, quæ cùm totius integritate deſcribantur, habent intra ſe partes diuerſas, vt caput, brachium, & pectus, quì fieri poteſt, vt de ſententia Ariſtotelis ſenſus ſit dæmonibus impertitus? Et cùm ſenſus tutelæ, ac ſalutis gratia dati ſint à natura lib. de ſen. & ſenſib. cap. 1. atque dæmonum corpora inducantur immortalia, nulliſq; paſſionibus obnoxia, quis non ſentiat, dæmones ſi ſenſus habeant, fore, vt fruſtra ac temere his onerentur? Hi præterea ſic ſunt animantes, vt etiam vi intelligendi ac ratiocinandi ſint decorati, id autem non conſentit cum Ariſtotele, qui in lib. de Rep. cap. 13. ſolum hominem agnoſcit rationis participem; & in lib. 2. de part. animal. cap. 10. teſtatur humanum genus, aut

vnum

vnum ex omnibus animalibus diuinitatis eſſe particeps, aut omnium maximè. Quinetiam Ariſtoteli eſt improbabile quippiam, quod ſit aereum, eſſe immortale, nam aer qualitatibus contrarium habentibus deſinitur, & cui aliquid eſt aduerſum, id aliquando eſt interiturum; hinc cælum, quod ſeculis immortalibus erat manſurum, ab omnibus contrarijs fuit exemptum lib. 1. de cælo 20. Dicere damonum corpora poſſe diſſolui, ſed nunquam iri diſſolutum Deo volente, non eſt illius, qui Ariſtotelis doctrinam ſequatur, in qua quod ſuà naturà eſt capax interitus, id ne intereat, nequit prohiberi ſub exitum tum lib. 1. de cælo, tum etiam lib. 10. poſtnat. Stoicos itaque melius ſenſiſſe exiſtimandum eſt, qui dæmones induxerunt certis temporum ſpacijs mortem oppetere, à quibus Plutarchus non videtur diſſentire, qui in lib. de oraculorum defectu ſcriptum reliquit tempore Tiberij Caſaris magnum dæmonem, cui nomen erat Pan, interijſſe; atque Demetrium ad inſulas quaſdam circa Britaniam, quæ dæmonum & Heroum dicebantur, profectum ab harum incolis fuiſſe admonitum dæmones e vita excedere, quod cum contingit magnam in aere confuſionem exiſtere, & portenta multa; At verò ſi dæmonibus ſenſum tribuere Ariſtoteli eſt abſurdum, huic quoque abſurdum ſit, oportet dæmones affici animi perturbationibus, nam hæ ſunt animæ appetentis commotiones, quæ nunquam eſt diſiuncta à ſenſu lib. 2. anima 27. Quinetiam eidem placere non poteſt dæmonum corpora eſſe aerea, cui lib. 4. meteor. cap. 4. placuit animantes in terra & aqua ſolùm degere, in aere autem & igne minimè, propterea quòd terra & aqua corporum materia exiſtunt; in cuius loci enarratione Olympiodorus adnotauit id dictum eſſe propter Platonem, qui animalia quædam ignea, & alia aerea eſſe tradidit. Et ſi nullum eſt animal, cui non ſit tangendi ſenſus; atque nullum ſimplex corpus poſſit habere tactum, ex quo in lib. 3. de anima 66. concluditur fieri non poſſe, vt corpus animalis ſit ſimplex, vt igneum aut aereum, quì poterit Ariſtoteles concedere Dæmones

cor-

corpus aereum habentes? Et si aer ob fluxam inconstantemq; naturam inhabilis est, ex quo instrumentum seruiens progressui conficiatur, qua ratione Aristoteles poterit ex aere Dæmonum corpora constituere, qui in lib. 2. de cælo 50. statuit à ratione abesse ys, quæ per se ipsa possunt progredi, nullum instrumentum ad motum tribuisse naturam? Adhæc si dæmones sunt aerei, in quæstionem cadit, nunquid anima dæmonica sit in aere per modum formæ animantis, atque naturam essentiamq; complentis, an per modum formæ assidentis, motumq; tribuentis: Si prior modus accipiatur, aer erit animal, & in aere anima erit, quod esse præter rationem putauit Aristoteles in lib. 1. de anima 87. Sin posteriore, id quanquam Platoni fuerit probatum existimanti animam rationis participem esse in corpore non secus, ac nauta sit in nauigio, non erit tamen Aristotelis doctrina consentiens, in qua anima non ita est actus corporis, vt nauta nauis. Accedit, quòd si anima dæmonis duntaxat corpore vtatur, & non verè animet, in eius facultate positum erit suum corpus deserere, & aliò commigrare; qua re & dæmonum corpora non erunt immortalia, & natura dæmonum sine corpore constabit. Et si corpora dæmonibus fuerunt adiuncta, vt possent progredi, ingredi, in variasq; mundi partes excurrere, planè si dæmonum animis integrum esset à suis corporibus digredi, & aliò migrare, præter hæc illæ alia postularent corpora, quibus à corporibus decedere, aliòque progredi possint, quod si detur, locus erit quæstioni, cuius sint generis hæc corpora, & in his quo sint modo, eademq; prorsus emergent difficultates. Dæmones deinde præficiuntur hominum custodiæ; at si corporei sunt, quo pacto in hominibus poterunt esse? Et si homo est ab Aristotele positus diuinitatis maximè particeps, mente præditus, cuius est ratiocinari, ac abditissima quæq; rimari, & libera voluntate donatus ita, vt possit sibi ipse dux esse ad fines eligendos, & ad hos consequendos, qui fieri potest, vt is Dæmones tanquam custodes hominibus dederit? Equi-

dem

dem Ariſtoteles in lib. 2. Top. cap. 2. εὐδαίμονα *inquit eſſet eum, cui dæmon ſit bonus, verùm continuò ſubiungit de Xenocratis ſententia* εὐδαίμονα *eſſe eum, cui animus bonus datus ſit, eum enim dæmonem eſſe cuiq;: Atque in hanc ſententiam Porphyrius quandoq; putauit cuiuſque mentem eſſe dæmonem præſidentem, eumq; hominem eſſe* εὐδαίμονα, *qui mentem habeat ſapientia præditam; id quod etiam fuit Timarcho Chæronenſi probatum, qui apud Plutarchum in lib. de Socratis Dæmone vocat dæmonem illam animi noſtri partem, quæ ab interitu eſt immunis, & à pleriſque mens nuncupatur. Id quinetiam arriſit aliquo pacto Platoni, qui ſcripſit in Timæo Deum nobis ſupremam animæ partem, vt dæmonem conceſſiſſe. Nec deſunt, & qui cum Heraclito voluerint mores dæmones eſſe, quòd homines ſuis moribus reganur, eaq; agant, ad quæ moribus propendent; & qui animi affectiones, à quibus nonnunquam, velimus aut nolimus, rapimur, dæmonis nomine obſignauerint, & propterea cenſuerint duos dæmones fuiſſe nobis à natura impertitos, quorum alter eſt ratio, quæ de fugiendis expetendisq; rebus nos admonet, & alter animi affectio, quæ ſi audiatur à nobis, ad iniqua & flagitioſa nos trahit. Verùm hi dæmones non ſunt veri proprijq; dæmones à Platonicis adamati, quos nunquid Ariſtotelis doctrina admittat, inueſtigamus. Et ſanè Ariſtoteli non placuiſſe hos eſſe hominum præſides, ac cuſtodes præter hæc illud quoque oſtendit, quòd dæmones numero ſolùm inter ſe differre oporteret, quòd par non ſit homines, quorum vna & eadem eſt ſpecies, ac natura, habere cuſtodes ſpecie & natura differentes; verùm quæcunque corpora poſita ſub eadem ſpecie numerantur multa, naturam habent fragilem & caducam, nam cùm eorum ſpecies in vno individuo interitui obnoxio non poſſet perpetua ſeruari, multa individua fuerunt à natura ei ſubdita, vt horum alijs occidentibus, & alijs orientibus ipſa fieret perennis ac immortalis; ergo dæmones, ſi hominum fuerint cuſtodes, immortalitate non continerentur. Nec præterea neceſſarium fuit dæmones in-*

uehere,

uehere, vt his tanquam medijs interiectis inter Deos & homines aliquod vinculum extaret, quo animantes naturà valde distantes coniungerentur, quoniam si sequamur Aristotelis doctrinam, homines magnam habent naturæ coniunctionem cum his Platonicis Dijs, suntq; medij interiecti inter bruta animantia rationis expertia, & cælestes animantes mentis participes, & sensu cum illis, mente cum his coniunguntur ratiocinandi munere ab vtriſq; diuersi. Quemadmodum verò homines inter cælestes animantes & bruta animalia interijciuntur, ita cæli inter mentem ab omni materia segregatam & corpora caduca medium sibi vendicant locum, nam cùm illa sit penitus immutabilis, & hæc omnibus exposita mutationibus, ipsi non prorsus materia expertes perenniter circumuoluuntur nullam in substantia mutationem accipientes. Itaque si quis probet, quæ in scientia diuina & in philosophia naturali tradita sunt ab Aristotele, is necessum non habebit dæmones introducere, qui fungantur munere alicuius vinculi. Nec denique dæmones de sententia Aristotelis possunt esse medij, à quibus hominum preces ad Deos, & Deorum munera ad homines perferantur, quoniam dæmones propter hominum commoditates essent parati, & quod sequitur his dignitate cederent; id quod displicet dæmonum amasijs. Et si Platonici Dij in suprema cælorum parte conspiciuntur, atque dæmones nequeant hanc altissimam partem ascendere, nisi penetrent ac diuidant cælos, quo pacto per hos, quos statuit Aristoteles nullam excipere diuisionem, aditus erit dæmonibus ad Deos contendentibus? Et quì fieri potest, vt aer, ex quo dæmonum corpora sunt compacta, supra ignem & cælum efferatur? Postremò, vt hanc disputationem aliquando concludam, si stellæ propijs animis non reguntur, quorsum introducere Dæmones, qui hominum petitiones his nuncient, atque interpretentur? Sanè mundus hic elementaris proximè subijcitur cælis, vt omnis ipsius virtus ab his regatur lib. 1. Meteor. cap. 2. verùm Aristoteli non est opus vectoribus, à quibus quæcunque

cælitus

cœlitus manant, ad nos perducantur, quòd cœlorum motus ſatis ſuperq; ſunt ad vires cœleſtes in vniuerſum terrarum orbem diſſeminandas. Quòd nonnulli ſentiant dæmones nunciandi, interpretandique munus exercere, non quia indicibus opus ſit Dijs, qui rerum omnium habent explicatiſſimam cognitionem, ſed quoniam habere hos meditatores conducit nobis mortalibus, qui, quæ noſtra eſt imbecillitas, & quæ magna eſt Deorum vis; nequeamus diuina beneficia capere, ſi ea Dij per ſe ipſi ſine alijs miniſtris conferant; hi & de nobis nimis exiliter ſentiunt, & Stellis, quibus dæmones dicuntur miniſtrare, plus tribuunt, quàm natura patiatur ipſarum. Atque his, & ſimilibus poteſt perſuaderi Ariſtotelicis decretis non eſſe conſona, quæ corporeis dæmonibus à Platonicis fuerunt tributa; ex quibus quoque intelligitur inanes eſſe argumentationes primam & alteram, quæ in Platonicorum animis dæmones excitarunt; nam prima, quæ Plutarcho in lib. de oracul. defectu, Chalcidio in com. in Timæum, Maximo Tyrio in ſerm. 27. & Apuleio in lib. de Deo Socratis mirificè fuit probata, diluitur, quoniam, vt declarauimus, nullo eſt opus vinculo aut medio, quo homines cum Dijs cœleſtibus concilientur, ſed homines ipſi ſunt vinculum, quo quæ ſunt ſupra eos, & quæ infra, inter ſe copulantur. His, quæ diximus, poteſt adiungi, cùm Dij cœleſtes corpore & animo ſint æterni, & animantia rationis expertia corpore, & animo intereant, hominum genus videri poſſe ad hæc coniungenda vinculum aptiſſimum, cuius corpus eſt caducum, & anima immortalis. Secunda argumentatio concidit, quòd cùm dæmones corporei ſint inanes, nullaq; ſpeciem conficiant, non eſt verendum, ne his explosis mundus iacturam faciat vniuerſi nomenclationis, nam ſine dæmonibus omnia ſuo amplexu continet corpora, quæ eſſe in ipſo ſunt apiè nata. Nec rurſus imminet periculum, ne aer ſuo priuetur ornamento, ſi dæmones ex ipſo ejiciantur, nam ſi animalia quicquam ei poſſunt afferre ornamenti, illius animalia erunt, quæcunque pulmonem habentia accipiunt reddunt q; aerem, quippe

quæ ſine aeris inſpiratione nequeunt vitam viuere: Et Ariſtoteles in lib. 3. de gen. animal. cap. 11. cùm terræ plantas, & aquæ aquatilia tribueret, aeris eſſe ſtatuit genus animalium pedeſtre: Verùm elementa ſine animalibus ſatis habent ornamenti, quoniam cùm in rerum vniuerſitate locum obtinuerint, vt ex ipſis & vniuerſum exiſteret, & mixta corpora fierent, vt ſingula ſint ornata, nullis opus eſt animalibus, quæ ex ſingulis nata ſingulorum ſint incolæ. Ratione autem optima accidit, vt ſolùm in terris degant animantes rationis participes in hac regione elementari habitatrices, quoniam anima rationis compos, quæ illius eſt dignitas, poſtulat perfectiſſimam primarum qualitatum temperationem, & elementorum commixtionem; non enim ſimplex corpus poteſt illi ſeruire, quia multis facultatibus prædita requirit corpus multis variisq; inſtrumentis diſtinctum, quo poſſint omnia ipſius officia explere: Quapropter quoniam nullus locus in vniuerſo eſt elementorum mixtioni accommodatior eo, qui eſt circa terram, conficitur, vt mixta corpora ſolùm in locis circa terram gignantur, & quod ſequens eſt, in terris duntaxat animalia ratione vtentia diuerſentur. Hæc verò licèt terræ ſint tributa, minimè tamen ſequitur, vt eadem ratione ſimiles animantes ſedem habeant in reliquis elementis, quoniam in his nullus eſt locus, qui ſit aptus generationi illius corporis, quod animæ ſeruit rationem exercenti. De tertia & poſtrema argumentatione, non eſt, vt quicquam dicamus, quoniam illam explicabimus tertiam, ac poſtremam enunciationem tractantes, ad quam nunc aggredimur.

Dæmones corporis expertes Ariſtoteli fuerunt incogniti. Cap. 1111.

TErtia & poſtrema enunciatio in duas partes diſtribuitur, quarum altera eſt, dæmones incorporei ab Ariſtotele fuerunt ignorati; altera; Dæmones incorporei non ſunt aduerſa Ari-

Ariſtotelis doctrina; priorem partem primùm explicabimus, & dubitationibus ex hac profligatis poſteriorem mox tractabimus. Priori parti aduerſantur nonnulli, quorum alij exiſtimant menes *à materia ſeparatas, quas Ariſtotelis globis cœleſtibus præfecit, eſſe dæmones, qui in ſacris literis Philone monitore in lib. de Gigantibus appellantur Angeli, quiq; eodem authore in lib. de mundo nomine tantùm ſunt ab Angelis differentes; autumantiq; iuxta Ariſtotelis ſententiam ad has tanquam ad cauſſas eſſe referenda, quæcunque fuerunt in tertia argumentatione commemorata ad perſuadendum dæmones e naturæ finibus non eſſe eiciendos. At verò alij putantes has menes in cœleſtibus corporibus mouendis ſolùm fuiſſe ab Ariſtotele occupatas præter has ſentiunt alias eſſe inducendas, quibus datum ſit ea, quæ ſunt dæmonum, exequi, atque has Ariſtotelem cognitas habuiſſe in lib. 1. de cælo 100. vbi facta eſt mentio quorundam numinum, quæ non ſunt in loco, nec tempore ſeneſcunt, ſed ab omni mutatione libera vitam viuunt optimam, bonisq; omnibus cumulatam. Hi omnes egregiè falluntur, ac priores quidem non rectam habent opinionem, quoniam dæmonum & Angelorum officia ſunt indigna, in quibus obeundis verſentur menes Ariſtotelicæ orbium cœleſtium præſides: Angeli enim ſiue dæmones, vt ſcribit Philo in lib. de ſomnijs exiſtentes Dei miniſtri, & tanquam magni regis aures, & oculi audientes, & videntes omnia ſunt internuncij, patris & Dei mandata perferentes ad filios, & ad illum vicißim præces filiorum: Hi præterea, vt inquit Gregorius Nazianzenus ſub exitum orat. 2. de Theol. diuinæ voluntatis miniſtri, roboreq; non ſolùm naturali, ſed etiam aduentitio præditi loca omnia peragrant, & omnibus vbique impigri adſunt tum obſequij miniſterijq; promptitudine, tum naturæ agilitate. Quòd ſi hæc ſunt dæmonum & Angelorum munera, planè fieri nequit, vt à mentibus tractentur cœleſtium corporum motricibus, quæ ab Ariſtotele poſitæ ſunt penitus immobiles, & Dei ſociæ, non miniſtræ; Nihil enim his tribuum*

eſt ab illo, quod Deo non conueniat, & nihil huic, quod ad ipſas non accommodetur. Nec rurſus ad has menies ea ſunt referenda, quorum effectio tribuitur dęmonibus, quòd in doctrina Ariſtotelica mens à materia ſeparata non habeat vim mutandi materiam: Huius ea eſt ratio, quoniam quod immutat materiam, id eſt corpus, vel corporis virtus; mutat enim materiam tangendo, quòd mouens & id, quod mouetur, neceſsariò ſimul ſint, ac ſeſe tangant lib. 7. phyſ. 12. & tactus eſt corporum proprius lib. 1. de gen. & int. 44. Quòd ſi aduerſarij eò ſe contulerint, vt dicant materiam ab agentibus naturalibus mutari, apiamq́ reddi ad formam excipiendam, quæ, vt primùm illa fuerit parata, probeq́ affecta, à mente ſeparata producitur, aduerſum habebunt Auerroem in lib. 7. poſtnat. com. 31. & in com. lib. 2 de gen animal. cap. 3 perſuadentem idem eſſe agens, quod materiã immutat, & formam educit. At verò poſteriores aberrant ab Ariſtotelis ſententia, quoniam ſi vlla numina à materia ſecreta in loco recitato Ariſtoteli ſunt propoſita, ea non poſſunt eſſe dęmones, quoniam hi infra cœlum vagantur, & de illis ſic loquitur Ariſtoteles, vt ea videatur extra cœlum collocare. Verùm nullæ menies à materia ſecretæ ſunt Ariſtoteli propoſitæ, illiq́ omnes decipiuntur, qui cum Simplicio quę hoc in loco traduntur, tribuunt mentibus à materia ſeparatis, nam vt rectè Alexander interpretatur, hæc ſunt cœlorum, ac ſtellarum attributa, & de his enunciantur, quod vt fiat manifeſtum, non erit ab re, ſi in huius loci explanatione aliquid temporis ponamus. Ariſtotelem hoc in loco contemplari cœlos, & ea, quæ ſunt in cœlis, ſed non ea, quæ ſunt extra cœlum, vt Simplicius & ſectatores arbitrantur, argumento eſt, quoniam is poſtquam monſtrauit extra cœlum non eſſe corpus, neque locum, neque vacuum, neque tempus, continuò ſubiungit: Quocirca neque apta ſunt ea, quæ illic ſunt, eſſe in loco: *Verùm cùm eſſe illic dicatur de ijs, quæ alicubi ſunt, & habent poſitionem atque extra cœlum non eſſe locum, neque poſitionem fuerit oſtenſum, quo pacto de ijs, quæ*

extra

extra cælum continentur, enunciabitur eſſe illic? Rurſus æuum, quo hæc dicuntur perſeuerare, cæleſtium eſt corporum, & non mentium beatarum, quarum de ſententia Ariſtotelis eſt æternitas: Etenim cùm Ariſtoteles idem ſemper iudicium fecerit de Deo, & de mentibus à materia ſeparatis, atque Dei ſit æternitas, quæ definitore Boethio ſub exitum lib. 5. de conſol. phil. eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio, eadem quoque erit reliquarum mentium à materia ſeparatarum. Non ſum neſcius pleroſque putare inter æuum, ac æternitatem nihil intereſſe ad ſententiam Ariſtotelis, ſed hos fálli declarant ea, quæ de æuo ac æternitate à Theologiæ magiſtris diſputantur. Sed de hoc quicquid ſit, æuum, cuius hoc in loco mentio fit, non eſſe ad mentes à materia ſeparatas accommodandum illud perſuadet, quòd harum æuum eſt indiuiduum, ſimulq; totum exiſtens, eſt enim idem, quod eſſentia ipſarum; & cùum hoc in loco Ariſtoteli propoſitum eſt diuiduum, conſtatq; ex partibus, quarum altera alteri ſuccedit, eo enim dicuntur illa, quibus tribuitur, perſeuerare, quod verbum ſignificat ſucceſſionem. Et verò idem ad corpora cæleſtia pertinere tum conſtat ex his; tum etiã ex ijs, quæ mox adÿciuntur, perſpici poteſt; nam æuum, quo quę ſupra extimam lationem ſunt diſpoſita, dictum eſt perſeuerare, Ariſtoteles exponens habet hęc: Secundum eandem rationem & totius cœli finis infinitum, ac omne tempus continens æuum eſt, ab eo, quòd ſit ſemper, ſumpta denominatione. *Si igitur Ariſtoteles ſenſit æuum, quo hę res diuinę dicuntur perſeuerare, eſſe finem totius cœli omne tempus, ac infinitatem complectentem, idem quoque ſentiat, par eſt, haſce res eſſe corpora cæleſtia; quod & ea, quę continuò ſubiunguntur, clarè teſtantur, quęq; ſunt:* Vnde & alijs communicatum eſt eſſe, ac viuere his quidem clariùs, his autem obſcuriùs. *Hęc non eſt, vt de beatis mentibus enuncientur, quę non habent rationem aut cauſſæ efficientis, aut formę, à quibus cauſſis eſſe communicatur, ſed accommodantur cœlis, quę in caducis corporibus*

bus gignendis ſubeunt rationem cauſſæ effectricis longinquæ & communis. Huius quin etiam fidem faciunt, quæ paucis interiectis adduntur, & ſunt: Et inceſſabili vtiq; motu mouetur rationabiliter, omnia enim, quæ mouẽtur, quieſcunt, cùm venerint in proprium locum, eius autem corporis, quod circulariter mouetur, idem eſt locus, vnde incępit, & in quem finit. *Hęc nemo fuerit tam rudis, qui de corpore cæleſti non putet eſſe accipienda: Neque Simplicius eſt audiendus, qui admonitus à quibuſdam exemplaribus legit:* Et inceſſabili vtique motu mouet: *quoniam hæc lectio non cohęret cum proximè ſequentibus, in quibus ratio redditur, cur cœlum poſſit moueri perpetuò; & non cur in huius numinis poteſtate poſitum ſit perennem motum abſq; vlla intermiſſione tribuere. Adiungite nihil eſſe, cur Ariſtoteles ſermonem ad mentes à materia ſolutas conuertat, de quibus docere non eſſe munus philoſophi naturalis multis in locis aſſeuerauit, hisq; tribuat illa, quæ conueniant eis nec ne, nulla exiſtit dubitatio: Etenim non nemini exploratum eſt mentes diuinas à nullo loco contineri, quoniam corpore vacant; neque pati temporis iniurias, neque tempore compelli ad ſenectutem, quippe quæ ſunt ſupra tempus, & non ſub tempore; & denique eſſe immutabiles, ac impatibiles, & vitam degere omnium optimam ac præſtantiſſimam. Et verò hæc num cœlis, & ſtellis congruant, non eſt ſine dubitatione, & de hoc magna eſt inter eruditos controuerſia: Itaque non iniuria ex iis, quæ dicta ſunt, colligit Ariſtoteles hæc in cœlis eſſe, quibus quoque ſupra in tex. 22. ferè omnia fuerunt conceſſa. Nec verò aliquis perturbetur, quòd hæc ſuper extimam lationem ſtatuantur, ipſaq; nullo in loco contineri affirmetur, quod eſt mentium à materia ſeparatarum; & paucis interpoſitis adiungatur non eſſe quippiam, quod hæc moueat, illud enim fore diuinius, quæ ratio de mente ſeparata videtur accipienda, quæ nihil eſt diuinius: his inquam aliquis non commoueatur, quoniã hæc in corpora quoque cæleſtia poſſunt quadrare. Et primùm*

cùm

cùm hoc, quod eſt non eſſe in loco, poſſit tribui, & ſphæræ octauæ, & omnibus cælis, ſi tribuatur ſphæræ octauæ, hæc non eſt in loco, quoniam cùm de ſententia Ariſtotelis ſit prima, ſupra ipſam nullum eſt corpus, cuius amplexu coerceatur: Sin omnibus cælis, hi quoque propriè ac per ſe non ſunt in loco, quòd ea corpora ſola continentur in loco quæ recta latione mouentur toto egredientia loco; & nullus cæleſtis globus ſic motu cietur, vt totum ſuum deſerat locum, & alium ingrediatur. Atque id perſpicuè ſenſerunt Themiſtius, & Simplicius, qui illud Ariſtotelis pronunciatum. Omne corpus ſenſibile eſt aptè natum in loco eſſe; poſitum in lib. 3. phyſ. 48. ad ſola corpora natiua, & caduca coarctarunt. Simplicius præterea in com 46. lib. 4. eiuſdem operis ad initium digreſſionis de natura loci docuit ea ſola in loco eſſe de ſententia Ariſtotelis, quæ recta mouentur. Quinetiam corpora cæleſtia ſupra lationem extimam poſita ſunt, hoc eſt ſupra ea, quæ extimum tenent locum inter ea, quæ latione feruntur, quando quidem quæ propriè feruntur latione, ea ſunt corpora grauia & leuia, ſupra quæ cæli ſunt collocati. Lationis vocabulo propriè ſignificari rectam lationem teſtes ſunt omnes Græci explicatores interpretantes tex. 39. lib. 4. phyſ. in quo cùm hæc habeat Ariſtoteles; Dico autem contentum corpus, quod eſt mobile ſecundum lationem: *Alexander, Themiſtius, Philoponus, Simplicius, & Pſellus inquiunt hæc ab Ariſtotele fuiſſe addita, vt corpus cæleſte exciperetur, quod circunferitur, & aliud eſt ferri latione, & circunferri; enimuero illa corpora latione ferri, quæ quandoq; mouentur, & quandoq; non mouentur, quæq; in aliquem locum poſſunt ferri, indeq; aliò concedere. Eiuſdem præterea Ariſtoteles fidem facit, qui in lib. 5. phyſ. 18. ſcribit ea propri. ferri latione, quæ non mouent ſeipſa, & in quibus cùm mutant locum, non eſt poſitum ſtare, ac ceſſare à motu: & in lib. 1. de gen. & int. tradit id, quod latione mouetur, totum mutare locum. Quòd ſi quiſpiam contendat lationis vocabulo circularem motum eſſe quoque intelligendum, hic locus*

ita

ita erit explicandus, vt ſignificentur ſtellæ infixæ in octauæ ſphæra, nam hęc de veterum ſententia eſt omnium extima, & ſtellæ, quòd propriis animis regi crederentur, ac mente viq; intelligendi præditæ, loco numinum à priſcæ ætatis hominibus fuerunt habitæ. Nihil denique eſt cælo ſtellisq; diuinius, quod veluti cauſſa efficiens cælum ſtellasq; mutet; quoniam nullum corpus adhuc compertum eſt, quod ſtellis & cælo ſit præſtabilius, & quicquid mutat corpus ſuſtinens rationem cauſſæ efficientis, id omne de ſententia Ariſtotelica eſt corpus, aut corporis virtus. Sed hactenus de huius loci explicatione, ex qua perſpicuum eſt nulla diuina numina à materia ſecreta hoc in loco Ariſtoteli eſſe propoſita.

Ariſtoteles quid fuiſſet reſponſurus de ijs, quæ Dæmonum effecta exiſtimantur, interrogatus. Cap. V.

HOc loco aliquis quæret: Si Ariſtoteles, Dęmones ignorauit corporis expertes, & eius doctrina non excipit illos, qui corpus habent, quid is reſponſurus fuiſſet de ys, quę dęmonum effecta exiſtimantur, interrogatus. In re difficili, multùmq; expetita nobis eſt verſandum; quapropter non erit, vt cuiquam mirandum accidat, ſi probatiſſima exactiſſimaq; rationes non afferentur, nam cùm ſimus homines, nihil quod ſit ſupra hominem, eſt à nobis requirendum, æquumq; eſt putare ſatis à nobis factum eſſe, ſi probabilia dixerimus. Quæ dęmonum effecta exiſtimantur, ea in magna ſunt multitudine, nam quicquid euenit, quod moueat admirationem, cauſſamq; lateniem habeat, id vulgò ſolet ad dęmones referri, verùm multis omiſſis in ijs ſolis verſabimur, quorum ſuprà habita eſt ratio in explicanda tertia argumentatione, qua dęmones eſſe inducendos fuit perſuaſum Horum primum complectitur artis magicę opera, quorum magna eſt varietas, ac multitudo, nam cùm ars magica tri-

partito

partitò diuidatur, vnaq; pars ſit ſupernaturalis, cuius effecta creduntur omnes naturæ vires excedere; altera naturalis, quæ eſt miniſtra naturæ; & tertia mathematica, in qua Archimedes maximè excelluit, nulla eſt pars, quæ non polliceatur admirabilia. Cæterùm quæcunque ſunt mathematicæ effecta, his nulla eſt vis ad Dæmones inducendos, & horum cauſſas magna ex parte Ariſtoteles fuit perſequutus in quæſtionibus mechanicis; ſecus eſt de ijs, quæ magijs naturali, & ſupernaturali tribuuntur, nam incantationes, quæ ſunt opera magiæ ſupernaturalis, putant omnes magnum habere momentum ad dæmones perſuadendos, atque has non eſſe contemnendas grauiſſimorum virorum conſenſus atteſtatur; & vſus atque experimentum videtur confirmare: Et primùm elementa verbis incantatorum parere ſignificant antiqua illa Tuſcorum verba, Arſe Verſe, hoc eſt Feſto interpretante, Auerte ignem, qua, vt ſcripſit Afranius, in oſtio inſcripta prohibent, ne flamma longiùs euageatur; Idem declarant precationes duarum Virginum Romanarum, quarum alteram inceſti accuſatam aquam e Tiberi hauſtam cribro detuliſſe; & alteram carbaſum foculo impoſuiſſe, & ignem ſubitò emicuiſſe literis proditum eſt: Aduerſus fruges valere verba teſtatur lex duodecim tabularum, qua pœna ſegetes excantantibus ſunt conſtitutæ: Eadem eſſe animantibus noxia teſtis eſt Plinius, qui in lib 28. nat. hiſt. cap. 2. ſcribit ſi quis viſo ſcorpione proferat vocem, duo, ſcorpionem prohiberi, ne poſſit ictus vibrare; ac præterea aſpis, quem ferunt ſibi aures obturare, ne his vocem incantatoris accipiat. Demum aduerſus morbos carmina valere non ſolùm Theophraſtus, Cato, Homerus, & M. Varro Plinio auctore in loco memorato prodiderunt, ſed etiam præclari Medici ſenſerunt, nam, vt mittam Aetium, Q. Serenum, & alios, Alexander Trallianus multus eſt in morborum curationibus per incantationes, hasq; non eſſe negligendas in lib. 9. cap. 4. confirmat teſtimonio Galeni, quem aſſeuerat in lib. de medica Homeri tractatione ſcripſiſſe cum incantationes eſſe fabulis anicula-

cularum ſimiles diu exiſtimaßet, temporis proceſſu ab ijs, quæ euidenter apparent, perſuaſum fuiſſe magnam his vim ineße; nam in percuſſis à ſcorpione experium eſſe adiumentum, & in eſſibus gutturi infixis, quæ incantatione ſtatim expuebantur. Si igitur conſtat incantationes eße, atque hæ ſunt dęmonum opera, quì potuiſſet Ariſtoteles harum caußas & rationes reddere, ſi dęmones aut neglexit, aut ignorauit? Neque credendum eſt eum fuiße amplexurum opinionem Cabaliſtarum, qui opinantur vim incantationum ex verbis exiſtere non quidem quibuſuis, ſed primæuis, & ex illis, quibus Adamus fuit vſus, cùm rebus cunctis dedit nomina; nam ab eo vis agendi nullis qualitatibus fuit conceſſa, quæ non ſint primæ, aut ex primis ortæ, in quibus verba non numerantur, quæ fiunt aere ad aſperam arteriam percuſſo: Vt interim mittam, voces ac verba, quæ ſub auditus obiecto poſita ſunt, ea ſola mouere poſſe, quibus data eſt facultas audiendi; & plurima eorum, quæ incantationibus creduntur mutari, ſine auditu reperiri: nec viros præſtantiſſimos deeße, qui putant linguam Hebraicam, qua vſus fuit Adamus, his temporibus incognitam eſſe, Hebraicoſq; characteres non eße linguæ Hebraicæ proprios. Nec rurſus exiſtimandum eſt Ariſtotelem Auicennæ huiuſq; aſſeclis omnino aſſenſurum fuiſſe, qui omnium incantationum cauſſam ſtatuunt eſſe vehementem imaginationem, idq; vt ſit hoc modo explicant: licèt animis humanis vna & eadem ſit natura, in his tamen magna eſt virtutum naturalium diſſimilitudo, nam cùm virtutes animis innatę fluant à ſtellis, quarum vires ſunt variæ ac innumerabiles, atq; alia ſtella huic animæ orienti præſideat, & alia illi, neceßariò efficitur, vt virtutes à ſtellis impertitæ animabus ſint diſſimiles. Ex his autem virtutibus nonnullæ adeo ſunt præſtabiles, vt his animæ, quibus fuerunt datæ, valeant imaginatione miniſtrāte opera mirifica edere, atque in aere ventos, pluuias, grandines, aliaq; id genus excitare; etenim hæ animæ quamuis materiam forment, ſic tamen formant, vt nullis materiæ ſordibus inquinentur;

nentur; quæ de re vt animæ, quæ vitia materiæ contraxerunt, ſequuntur materiam, & ex materia pendent, ita par eſt animas à materiæ ſordibus liberas dominari materiæ, atque hanc, vt fuerit collibitum, immutare; & quemadmodum mentes à materia ſegregatæ in res omnes naturales exercent imperium, ita conſentaneum eſt animas, quæ ad has quamproximè accedunt, imperare ijs, quæ infra ipſas poſita cohærent in rerum vniuerſitate, atque hæc medio non affecto pro ſententia variè afficere. Neque id videatur mirum, quòd rationi conſonum ſit, quæ naturam habent præſtabiliorem, ijs imperium eſſe datum in ea, quæ dignitate cedunt; & quæ ſunt virtutis infirmæ, ijs ſeruire, à quibus virtute ſuperantur: atque hac lege ſi quis animum aduertat, facilè intelliget vniuerſum continere, eaq; ſublata fore, vt rerum vniuerſitas perturbetur. Porrò vt animæ, quibus cælitus conceſſæ ſunt virtutes ſingulares, commutent ea, quæ ab ipſis mutari ſunt aptè nata, (non enim anima quæuis agere in quoduis eſt aptè nata; neque quoduis à quauis anima poteſt pati) oportet id, quod eſt efficiendum, in ipſarum imaginatione ſic hærere, vt hæc tota ac penitus in eo ſit defixa; hinc mulieres vtero gerentes, ſi magno alicuius rei teneantur deſiderio, & ad hanc applicent totam imaginationem, fœtum, quem vtero gerunt, ſimili nota obſignant miniſtris ſpiritibus, qui vehementi imaginatione commoti eidem parere ſunt parati. Vt autem hi ſpiritus obediunt imaginationi, ita quæ extrinſecus poſita ſunt, eidem obſequuntur, & his imperium facultatis imaginatrices non recuſantibus multa poſſunt fieri, quæ licèt videantur hominum vires ſuperare, ſunt tamen opera virtutis imaginatricis, cui obediunt non ſolùm ea, quæ ipſi & corpori ipſius ſunt coniuncta, ſed etiam ea, quæ procul poſita ſunt, ſi aptè fuerint idonea id accipere, quod eſt imaginatione comprehenſum. Atque hæc de cauſſis incantationum ab Auicenna, & eius aſſeclis tradita ſunt, quibus exiſtimandum eſt Ariſtotelem non fuiſſe omnino acceſſurum, tum quia is nunquam ſignificauit à ſtellis animas vir-

tute aliqua donari; quin immo ſi præclariſſimis Peripateticis habeatur fides, omnes virtutes habuit pro nihilo, quas à ſtellis demitti Aſtrologi comminiſcuntur: tum etiam quoniam actio imaginatricis cùm ſit cognitio, eſt actio immanens; & is actione immanente non effici quippiam, quod ſit ab ipſa actione diuerſum, docuit nos in lib. 9 poſtnat. 16 Accedit, quòd cùm in lib. 7. phyſ. 10 eſtentum ſit omne, quod mouet & alterat, ſimul eſſe cum eo, quod mouetur, ac alteratur, nulla ratione is poteſt concedere, ab imaginatione moueri id quod procul eſt abiunctum: Et ſi illi abſurdum eſt quippiam viſibile mouere aſpectum medio nihil patiente lib. 2. de anima 74. quo pacto ad illius ſententiam vis imaginandi id, quod eſt ab ipſa remotum, commutabit medio in nullam affectionem incurrente? Neque id eſſe poſitum in facultate virtutis imaginatricis intelligitur ex faſcinatione, quoniã hæc quamuis ſit opus imaginatricis, non fit tamen ſine ſpiritibus, qui vi imaginatricis commoti, & ex oculis emiſſi afficiunt id, in quod fuerunt immiſſi, ſi vt ab eis patiatur, aptum fuerit & accommodatum. Opinor Ariſtotelem ex his euaſurum fuiſſe aſſeuerando quę incantationibus tribuuntur, ea vel mendacio conſtare, & eſſe impoſturas, vel ſi quid habent veritatis, aut eorum cauſſas poſitas eſſe partim in conſenſu & diſſenſu eorum, quę naturà conſtant; partim in ijs proprietatibus, quę ſequuntur formam, exiſtuntq; ex primarum qualitatum temperatione; aut eſſe imaginationis effecta. Incantationes vt plurimum fraude, ac malitia fictas eſſe teſtis eſt Plinius, qui initio lib. 30. Magiæ artis vanitatem oſtendit, eaq; vnde habuerit originem declarat; & in cap. 2. eiuſdem lib. ſcribit Neronem Imperatorem eam vanam falſamq; comperiſſe. Earundem operum nonnulla oriri ex conſenſu, & diſſenſu rerum naturalium illud perſuadet, quòd certum eſt dæmones, ad quos hæc referuntur, quia probè cognoſcunt, quę res ſuà naturà ſint amicę, & inimicę, in his efficiendis ſuam operã locare; quocirca quoniam hæc cognitio non ita abdita arduaq; eſt, vt homo eã ſibi nequeat polliceri, nõ

eſt,

eſt, vt illi eripiatur. Sed & earundem aliqua opera poſſe ex proprietatibus naturalibus fluere nemo non dabit, qui in his proprietatibus perſpiciendis fuerit verſatus, nam multis in rebus, quę naturà conſtant, admirabiles cernuntur proprietates, veluti in lapide herculeo ferri attractio, & ad Cynoſuram conuerſio. Id cum Pomponatius non ignoraret, ſenſit nihil prohibere, quin virtus morborum profligandorum fuerit naturali proprietate quibuſdam hominibus impertita. Nec ſanè id debet mouere admirationem, nam Pſyllis, Marſiſq; populis virus exitiale ſerpentibus fuiſſe à natura ingenitum Plinius, Plutarchus, Celſus, Gellius, Aelianus & alij ſcripſerunt; & Crates Pergamenus homines quoſdam Ophiogenes vocatos fuiſſe tradidit, quibus datum fuit à natura ſerpentium ictus contactu leuare, & manu impoſita venena extrahere. Caterum quamuis huius modi proprietates quibuſdam hominibus fuiſſe à natura datas plerique ſentiant cum Pomponatio, has tamen inquiunt quandoq; ſopitas, ac veluti ſomno vinctas iacere, & propterea deſiderare quippiam, cuius vi actuoſæ efficiantur, idq; eſſe vim imaginatricem, quę ſi fuerit vehemens, has proprietates excitat; ſin leuis, nequit has in actum transferre, ac præſtare, vt euentum conſequātur. Demum quę tribuuntur incantationibus poſſe interdum fieri virtute imaginatricis is facilè ſibi perſuadebit, qui non ignorauerit imaginatione ſpiritus commoueri, hiſq; commotis varias in corpore fieri mutationes ad frigus, ad calorem, & ad alias qualitates. Et ſi quiſpiam roget, cur id non fuerit conceſſum menti, quę dignitate antecellit imaginatrici, reſponſio erit in promptu, quoniam mens ad ſuam functionem obeundam nulla vtitur corporis parte tanquam inſtrumento; ex quo fit, vt in eius poteſtate non ſit poſitum corpus ita mouere, atque ita afficere, vt mouetur ac afficitur ab imaginatrice. Cęterùm quamuis non ignorem magnam eſſe vim imaginatricis, attamen hanc non facio tanti, vt exiſtimem illius virtute effici poſſe, quęcunque ab Auicenna & huius ſectatoribus prædicantur.

Equidem

Equidem non dubito, quin quandoq; cauſſa ſit morborum curationis, nam cùm anima & corpus eam habeant naturæ coniunctionem, vt ſibi mutuò ſuas communicent affectiones initio lib. phyſiognom. non eſt, vt quiſquam traducatur in admirationem, ſi ſanitas arctè & intentè imaginatione concepta corpori reſtituatur; atque id perſpicuè legitur in lib. de incantatione Galeno adſcripto, & euentu confirmatur: Cùm enim vir non ignobilis putaret ſe veneficio affectum non poſſe cum mulieribus vti venere, atque huius libri auctor multam operam poſuiſſet, variaq; adhibuiſſet argumenta, vt hunc à ſua falſa exiſtimatione auocaret, nihilq; profeciſſet, rationem iniuit eius opinionem approbandi, atque vt eum curaret, librum obtulit Cleopatræ de formanda fœminarum pulchritudine, in quo cùm is legiſſet medicamentum contra huius modi veneficium ipſiq; fidem ſuam adiunxiſſet, eo vſus conualuit, non medicamenti opera, ſed auxilium ferente imaginandi facultate. Porrò & ſi docti viri arbitrentur hunc librum nunquam fuiſſe compoſitum à Galeno, hunc tamen cenſeo, quicquid ſcribat Trallianus, incantationes omnes pro nihilo habuiſſe, quippe qui in lib. 10. de ſimpl. medicam. facult. ſcripſerit periaptis, & amuletis ſic eſſe fidendum, vt ſubſtantia atque virtutes illorum inſitæ, & non incantationis Magorum verba iuuent. At inſtabit aliquis. ſi inania ſunt Magorum verba, cur interdum accidit agrum ſanari? Reſpondeo id caſui eſſe adſcribendum, quoniam ægri morbi diuturnitatem pertæſi, atque ob id medicinas eſſe inanes exiſtimantes morbo ad exitum properante, & iam iam abire parato hos impoſtores aduocant quo fit, vt morbo breui tempore profligato quod eſt medicamentis dandum, id commentitijs futilibusq; verbis adſcribatur; verùm ſi morbi initio hi fuiſſent accerſiti, promptum fuiſſet cognoſcere temerariam ipſorum fallaciam. Nec quicquam facit, quòd his ſuſurrantibus ægritudine illi videantur leuari, nam id tribuendum eſt ipſorum imaginationi, quæ quandoque etiam in cauſſa eſt, vt dolores & grauiora

morbi

morbi ſymptomata non ſentiantur. Atqui morborum curationes non eſſe dæmonibus tribuendas putauit quoque Plotinus in lib. contra Gnoſticos, in quo caſtigat hos, quòd ſenſerint morbos eſſe dæmones, verbisq; expelli, quoniam cùm omnia morborum genera certas euidentesq; cauſſas habeant, quod ipſorum morborum curationes declarant, nihil eſt opus cauſſas eorum in dæmones conijcere. Sed de ijs, quæ creduntur effecta magiæ ſuperſtitioſæ, hactenus. Quæ verò naturalis magiæ ſunt opera, in his multò eſt minus ponderis ad dæmones perſuadendos, nam ſi horum effectio poſita eſt in cognoſcendis rerum naturalium conſenſibus atque diſſenſibus, atque horum notitia poſſit longo vſu ab hominibus acquiri, quippe qui mente, cuius eſt omnia intelligere lib. 3 de anima 4. præditi ſunt, non eſt, vt auxilium petatur à dæmonibus: Ac perfectò ſi ars medendi pars naturalis magiæ præſtantiſſima diuturnis experimentis abſq; vlla dæmonum ope fuit ab hominibus inuenta, exculta, & ad ſummum faſtigium perducta. non ab re dixiſſet Ariſtoteles nihil vetare, quin reliquæ naturalis magiæ partes dæmonibus poſthabitis acceptæ referantur hominibus. Oracula maiorem afferunt dubitationem, quorum rationem Pomponatius vt redderet, influxus aſtrologicos fuit amplexatus, ſtatuitq; cœlitus manaſſe, quod vates funderent oracula; atqui reſponſionem hanc non fuiſſe daturum Ariſtotelem is facilè habebit perſuaſum, qui ex præclariſſimis Peripateticis intellexerit ſyderum influxus ab Astrologis adamatos Ariſtoteli fuiſſe obſcuros, atque indignos, quibus ipſe aſſentiretur. Equidem hic non diffitetur magnam eſſe vim cœli atque ſtellarum in ijs, quæ naturâ fiunt, gignendis, quando quidem ſcripſerit lib. 1. meteor. cap. 2. mundum elementarem neceſſariò cæleſtibus corporibus eſſe aliquo modo continuum, vt inde vniuerſa ipſius virtus regatur, attamen ſtellas cælumq; putauit ſubire rationem cauſſæ communis & longinquæ, idq; fuit atteſtatus ad calcem lib. 2. de gen. & int. quapropter quoniam cauſſa communis eſt inanis, rebusq; gignendis nullam afferet

fert vtilitatem, niſi cauſſa propria interſit, Pomponatio laborandum erat, vt hanc cauſſam aperiret, quam ſemper eſſe quærendam & nos admonuit Ariſtoteles in lib. 2. phyſ. 38. & illud declarat, quòd ea plus afferat momenti ad rerum generationem, quàm cauſſa communis, cùm id, quod gignitur, perpetuo ſequatur, & imitetur cauſſam propriam, & non communem, cum qua nullam habet naturæ coniunctionem. Placuit alijs cauſſam oraculorum tribuere humori melancholico, quo omnes illi abundarunt, qui diuino ſpiraculo inſtigati antiquitùs credebantur, atq; id Ariſtoteli probatum fuiſſe intellexerunt ex ſect. 30. probl. 1. in quo hæc habentur : In quibus multa & frigida bilis eſt atra, hi ſtolidi ſunt & ignaui; in quibus permulta & calida, ij perciti & ingenioſi, amaſij, propenſi ad omnem excandeſcentiam, & cupiditatem; nonnulli etiam loquaciores: Multi etiam propterea quòd ille calor ſedi mentis in vicino eſt, morbis veſaniæ implicantur, aut inſtinctu lymphatico inferueſcunt; ex quo ſybillæ efficiuntur, & bacchæ, & omnes, qui diuino ſpiraculo inſtigati creduntur, cùm ſcilicet id non morbo, ſed naturali intemperie accidit: Maracus ciuis Syracuſanus poeta etiam præſtantior erat, dum mente alienaretur: At quibus minus ille calor remiſſus ad mediocritatem ſit, hi prorſus melancholici quidem, ſed longè prudentiores. *Habitui corporis melancholico addiderunt alij halitus quoſdam, & vapores e terra exhalantes, qui in corpus admiſſi temperiem generabant inſolentem, atque vim præſtabant ad futura præſentienda; atque huius argumento eſſe dixerunt, quod ijs in locis, in quibus oracula fundebantur, e terra exhalatio efferebatur, quam ſacerdos oraculo præpoſita excipiens aliqua corporis parte furore corripiebatur, & in furorem acta futuros rerum euentus prædicebat. Hinc veteres, vt in Phædro ſcriptum eſt à Platone, diuinationem non μαντικὴν, ſed μανίαν appellarunt, quippe qui cernerent vates, cum oracula funderent, ea corporis & animi commotione*

affici,

affici, vt inſanire, ac furere omnibus viderentur. Porrò vates ad oracula reddenda halitum hauſiſſe teſtis eſt Strabo, qui in lib. 9. Geographiæ de Pythia Delphico oraculo præpoſita habet hæc: Auctores certi memorant diuinum ipſum domicilium profundam & curuam eſſe ſpeluncam non admodum lato patentem ore, atque hinc auram reddi ſacro efflante numine: Excelſum autem oſtio imminere tripodem, quem ſimul atque Pythia vates inſcenderit hauſto diuinitatis ſpiritu reſponſa edit partim metro, partim oratione libera. *Nec alicui ſit incredibile terram fundere vaporem, qui animis enthuſiaſmum & futurorum præſenſionem inferat, nam vſu compertum eſt in terris multa fieri, & e terris multa manare; quæ cuiuis non leuem poſſunt afferre admirationem. Id ſanè non fuit incredibile auctori lib. de mundo ad Alexandrum, cuius hæc ſunt in cap. 4.* Multis in locis orbis exitus ſpirituum pari ratione patefacti ſunt, qui partim fanatico furore afficiunt homines propiùs accedentes, partim tabifica vi abſumunt, partim fatidicos efficiunt, vt Delphici & Lebadici, ſunt & qui prorſus enecẽt, vt in Phrygia *Hanc opinionem Cicero in iis, quæ ſcripſit de diuinatione ſignificauit & Plutarchus fuit amplexatus, qui in lib. de oracul. defectu ſentiens eſſe nimis puerile, ac fatuum opinari Deum in corpora vatum ſe immittere, horumq; ore loqui, & voce pro inſtrumento vti, (Deum enim qui humanis admiſcet neceſſitatibus, is nullam habet Dei maieſtatis rationem, neque eius dignitatem & magnitudinem conſeruat) ſtatuit diuinationis principium in halitus, ac vapores eſſe referendum, qui ex terra, cui vi Solis ingeneratum eſt, vt ab ea exhalent vapores ad diuinandum facientes, qui elati atque in corpus admiſſi temperiem in animis ingenerant, qua ipſi excitantur ad futurorum diuinationem. Animi enim (vt idem inquit) in corporibus degentes vim habent, qua futura præſcire, ac prædicere poſſunt, quamquam vis huiuſmodi aliquid fecerit detrimenti ob confuſionem & per-*

mixtionem cum natura mortali, ex quo efficitur, vt egeat ſpiritu & exhalatione, à qua excitetur, & in actum transferatur. Ex his rationem afferunt huius opinionis amasij oraculorum defectus, namilla vis terræ, atque exhalatio, qua mentem furore concitabat, vetuſtate fuit abſumpta, quemadmodum multis in locis metallorum venas defeciſſe, amnes exaruiſſe, & montes euanuiſſe hiſtoriæ atteſtantur. Caterum quamuis hæc multis idonea fuerint viſa, quibus Ariſtoteles oracula defendiſſet, ego tamen arbitror eum fuiſſe reſponſurum oracula eſſe hominum commenta, aſtu & fraude reddita; idq; ipſe ſignificauit in lib. 3. Rhetor. cap. 5. & confirmauit Euſebius Caſarienſis, qui in lib. 4. de præparat. euangel. cap. 1. ſcribit Peripateticos ſentire nec dæmones oracula conſtituiſſe, ſed ſeductorum atque improborum hominum ad turpes quæſtus fuiſſe excogitationem. His conſentit tum Demoſthenes, qui dixit Pythiam ſuis temporibus philippizare, hoc eſt à Philippo corruptam oracula fundere; tum etiam Pauſanias, à quo in Laconicis traditum eſt Delphicam vatem à Cleomene fuiſſe corruptam, vt quod ipſe præſcriberet, Lacedæmonijs conſulentibus reſponderet. Quinetiam Oenomaus vir apud Græcos philoſophia nobilis reſponſis Delphici Apollinis deluſus oracula eſſe hominum figmenta putauit, idq; multis fuit perſequutus in lib. de oraculorum falſitate, quorum pars non minima habetur apud Euſebium in lib. 5. de præparat. euangel. Ac profectò ſi oraculorum reſponſa ad æquitatis, & veritatis examen reuocentur, in promptu erit cognoſcere illa fuiſſe perplexa, obſcura, & haud rarò expreſsè falſa, id quod argumentum eſt euidentiſſimum hæc ad quæſtum, & lucrum fuiſſe dolo, ac fraude ficta ab illis, qui antiquitus templis præſidebant. Oraculis autem reddendis hi aptam eſſe putabant mulierem melancholicam, quòd qui habitu huiuſmodi ſunt præditi, hi & flatibus abundent, quibus commotis, mentiſq; ſedem petentibus, in furorem aguntur, & inter omnes ad futura præſentienda videntur accommodati, quippe qui, vt inquit Ariſtot. in lib. de

diui-

diuinatione per ſomnum, ob ſuæ naturæ vehementiam, & mobilitatem ocyſſimè quod conſequens annexumq; eſt, imaginatione apprehenduntur, & cùm eis multa variaq; phantaſmata offerantur, aliàs aliò vim imaginandi conuertentes non rarò in id, quod futurum eſt, incurrunt; quis enim eſt, qui totum diem iaculans non aliquando collineet? Sequuntur ſtatuarum reſponſiones. De his arbitror idem iudicium Ariſtotelem fuiſſe facturum, quod de oraculis, dicturumq; eas eſſe improborum hominum impoſturam ad quæſtum excogitatam, datasq; ab aliquo, qui in occulta templi parte latebat; atque id confirmaturum, quoniam reſponſa petentes modo genibus flexis oculos in terram coniectos habebant, modò humi ſtrati veluti ſomno correpti iacebãt vel ducti veneratione, vel à templorum præſidibus moniti, ne ipſorum fraudes deprehenderent, vt & reſponſiones ex ore latentium erumpentes ab idolis dari exiſtimarent. Quòd Aſclepius voluerit D. Auguſtino in lib. 8. de Ciuit. Dei referente homines poſſe ſtatuas conficere, quas aut dæmones, aut animæ ab inferis deductæ ingrederentur, nam quemadmodum quod naturà conſtat, id quandoque arte trahitur, veluti cum flamma trahitur ad lignum pice, aut bitumine illitum, eodem modo quod diuinum eſt, id vi naturæ allici; atque hoc pacto artis magicæ vi ſtatuas fieri, quæ exÿs, quæ dæmonibus congruunt, conflatæ ſunt aptæ & idoneæ haurire dæmones, à quibus quodam modo animatæ efficiuntur idola, quæ veluti Deos coluit cæca illa antiquitas decepta, quòd ab illis diuinationes, euentuumq; futurorum præſagitiones exhiberentur, id prorſus eſt nefarium, & indignum, cui aures præbeantur. Reſtant mulieres, quæ in dæmonum poteſtate poſitæ Græcè, Latinè, & Hebraicè loquuntur, cùmq; ſint imperitiſſimæ, omniũ literarum videntur peritiſſimæ. Quibus dæmones in odio ſunt, inquiunt hi Ariſtotelem dicturum fuiſſe harum mulierum loquutionem non eſſe dæmonis opus, quia cùm ea ſit functio vitalis, fluatq; propterea ab innato principio, non eſt ad dæmonem referenda, qui, quòd extrinſecus

mixtionem cum natura mortali, ex quo efficitur, vt egeat ſpiritu & exhalatione, à qua excitetur, & in actum transferatur. Ex his rationem afferunt huius opinionis amasij oraculorum defectus, nam illa vis terræ, atque exhalatio, qua mentem furore concitabat, vetuſtate fuit abſumpta, quemadmodum multis in locis metallorum venas defeciſſe, amnes exaruiſſe, & montes euanuiſſe hiſtoriæ atteſtantur. Caterùm quamuis hæc multis idonea fuerint viſa, quibus Ariſtoteles oracula defendiſſet, ego tamen arbitror eum fuiſſe reſponſurum oracula eſſe hominum commenta, aſtu & fraude reddita; idq; ipſe ſignificauit in lib. 3. Rhetor. cap. 5. & confirmauit Euſebius Cæſarienſis, qui in lib. 4. de præparat. euangel. cap. 1. ſcribit Peripateticos ſentire nec dæmones oracula conſtituiſſe, ſed ſeductorum atque improborum hominum ad turpes quæſtus fuiſſe excogitationem. His conſentit tum Demoſthenes, qui dixit Pythiam ſuis temporibus philippizare, hoc eſt à Philippo corruptam oracula fundere; tum etiam Pauſanias, à quo in Laconicis traditum eſt Delphicam vatem à Cleomene fuiſſe corruptam, vt quod ipſe præſcriberet, Lacedæmonijs conſulentibus reſponderet. Quinetiam Oenomaus vir apud Græcos philoſophia nobilis reſponſis Delphici Apollinis deluſus oracula eſſe hominum figmenta putauit, idq; multis fuit perſequutus in lib. de oraculorum falſitate, quorum pars non minima habetur apud Euſebium in lib. 5. de præparat. euangel. Ac profectò ſi oraculorum reſponſa ad æquitatis, & veritatis examen reuocentur, in promptu erit cognoſcere illa fuiſſe perplexa, obſcura, & haud rarò expreſsè falſa, id quod argumentum eſt euidentiſſimum hæc ad quæſtum, & lucrum fuiſſe dolo, ac fraude ficta ab illis, qui antiquitus templis præſidebant. Oraculis autem reddendis hi aptam eſſe putabant mulierem melancholicam, quòd qui habitu huiuſmodi ſunt præditi, hi & flatibus abundent, quibus commotis, mentiſq; ſedem petentibus, in furorem aguntur, & inter omnes ad futura præſentienda videntur accommodati, quippe qui, vt inquit Ariſtot. in lib. de

diui-

diuinatione per ſomnum, ob ſuæ naturæ vehementiam, & mobilitatem ocyſſimè quod conſequens annexumq; eſt, imaginatione apprehendunt, & cùm eis multa variaq; phantaſmata offeruntur, aliàs aliò vim imaginandi conuertentes non rarò in id, quod futurum eſt, incurrunt; quis enim eſt, qui totum diem iaculans non aliquando collineet? Sequuntur ſtatuarum r ſponſiones. De his arbitror idem iudicium Ariſtotelem fuiſſe facturum, quod de oraculis, dicturumq; eas eſſe improborum hominum impoſturam ad quæſtum excogitatam, datasq; ab aliquo, qui in occulta templi parte latebat; atque id confirmaturum, quoniam reſponſa petentes modo genibus flexis oculos in terram conjectos habebant, modo humi ſtrati veluti ſomno correpti iacebãt vel ducti veneratione, vel à templorum præſidibus moniti, ne ipſorum fraudes deprehenderent, vt & reſponſiones ex ore latentium erumpentes ab idolis dari exiſtimarent. Quòd Aſclepius voluerit D. Auguſtino in lib. 8. de Ciuit. Dei referente homines poſſe ſtatuas conficere, quas aut dæmones, aut animæ ab inferis deductæ ingrederentur, nam quemadmodum quod naturà conſtat, id quandoque arte trahitur, veluti cum flamma trahitur ad lignum pice, aut bitumine illitum, eodem modo quod diuinum eſt, id vi naturæ allici; atque hoc pacto artis magicæ vi ſtatuas fieri, quæ ex ijs, quæ dæmonibus congruunt, conflatæ ſunt aptæ & idoneæ haurire dæmones, à quibus quodam modo animatæ efficiuntur idola, quæ veluti Deos coluit cæca illa antiquitas decepta, quòd ab illis diuinationes, euentuumq; futurorum præſagitiones exhiberentur, id prorſus eſt nefarium, & indignum, cui aures præbeantur. Reſtant mulieres, quæ in dæmonum poteſtate poſita Græcè, Latinè, & Hebraicè loquuntur, cùmq; ſint imperitiſſimæ, omniũ literarum videntur peritiſſimæ. Quibus dæmones in odio ſunt, inquiunt hi Ariſtotelem dicturum fuiſſe harum mulierum loquutionem non eſſe dæmonis opus, quia cùm ea ſit functio vitalis, fluatq; propterea ab innato principio, non eſt ad dæmonem referenda, qui, quòd extrinſecus

accedat, neque ſit ingenitus, nequit eſſe principium alicuius operis vitæ: & additurum eandem, quia non eſt functio propria dęmonis, cui deſunt inſtrumenta à natura condita ad vocem edendam, non habere vim ad dęmones perſuadendos; & præſertim quia cùm intelligi non poſſit hanc loquutionem fieri à dęmonibus, niſi an è hi fuerint in rerum natura poſiti, vanum eſt dęmones eſſe ex eo perſuadere, cuius fundamentum in eo eſt collocatum, quod cadit in quæſtionem. Quòd ſi aduerſarius inſtet, ſi dęmon non eſt huius effectus auctor, id vnde exiſtit, hi ita reſpondent: Ariſtoteles cùm in ſect. 30. probl. 1. voluerit omnes, qui diuino ſpiraculo inſtigari exiſtimantur, quòd ſint huius modi, acceptum ferre humori melancholico, putandum eſt eum id, de quo agitur, ad eundem humorem fuiſſe relaturum; idq; non abeſſe à probabilitate Petrus Apponenſis in com. recitati problematis, Cardanus in lib. 19. de ſubtilitate, & in lib. 16. de rerum varietate, Pomponatius & alij intellexerunt ex eo, quòd humore melancholico medicamentis educto hę mulieres ex literatis factæ ſunt illiteratæ; qua de re ſi alicuius cauſſa penendũ eſt id, quo poſito illud ponitur, & quo ablato auferitur, conſentaneum videtur huius euentũ cauſſam humori melancholico tribuere. Accedit, quòd homines, qui ingenio claruerunt vel in ſtuarijs philoſophiæ, vel in republica adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis ſcribit Ariſtoteles in problemate recitato fuiſſe melancholicos; ex quo intelligitur ad mentis habitus magnum in hoc humore ſitum eſſe momentum. Quòd ſi aduerſarius petat, vt modus ac via monſtretur, qua humor hic poſſit id præſtare, non erit cum Leuino Lemnio in lib. 2 de occultis naturæ miraculis reſpondendum id fieri virtute humoris melancholici excitatis rationibus, quæ de ſententia Platonis ingenitæ ſunt in animis noſtris, nam hoc Platonis decretum reſpuitur ab Ariſtotele, cui noſtra mens nihil eſt actu eorum, quæ ſunt, antequam intelligat lib. 3. de anima 5 & eſt tanquam tabula carens omni pictura lib. eodem 14. ſed dicendum

dum erit non ſemper à nobis certò ſciri rationem, qua verſatur cauſſa in ſuo munere obeundo; & ne longiùs abeamus, vt ſeminis humani corpus hominis efformari varijs diſtinctum inſtrumentis ad vitam, ad ſenſum, & ad motum obeundum accommodatis perſuaſum eſt omnibus, at qua ratione illud expers animæ, & carens cognitione hoc munere fungatur, tam obſcurum eſt, quàm quod maximè. Præterea virtute imaginatricis fœtum in vtero aliqua ſapè nota obſignari conſtans eſt omnium opinio; verùm id quo fiat modo, tam ignotum eſt, quàm quod ignotiſſimũ: Equidẽ in eo explicando viri docti elaborarunt, ſed cùm poſuerint ea, quæ non expleni animum, & plena ſunt dubitationum, operam perdiderunt. Rurſus teſtatur Ariſtoteles in probl. ſæpè recitato, idq; vſus confirmat, vinum cùm bibitur, varios reddere homines, vt iracundos, humanos, miſericordes, audaces, at id quo modo præſtet, arduum eſt intelligere: Idem in alijs permultis cernitur, quæ nemo non neſcit cauſſas eſſe quorundam effectorum, quæ quo pacto ab illis efficiantur, ignoratur. Ac ſanè par eſt quandoque ingenij humani imbecillitatem cognoſcere, neque ſibi perſuadere nihil eſſe tam abditum, in quod acies mentis noſtræ non poſſit penetrare, nam id ſolius eſt Dei, cui nihil eſt occultum, & omnia ſunt aperta. Sed hactenus ſit à nobis explicatum, vel potius diuinatum, quid Ariſtoteles fuiſſet reſponſurus de ijs interrogatus quæ referuntur ad dæmones; ac licèt multa non ſine probabilitate videãtur dicta, attamen ex animis noſtris non ſic eijciunt dubitationem, vt fit, ſi horum cauſſæ inducantur dæmones; nam aſſeuerare antiqua oracula, & ſtatuarum loquutiones fuiſſe Gentium Sacerdotum commenta illius eſt, qui vt perfractè ſuam opinionem defendat, fidem hiſtorijs abrogat, id quod non abeſt à vitio: planè non eſt diffitendum oracula, & ſtatuarum reſponſiones malitia, & fraude non raro conſtitiſſe; ſed dubitandum non eſt, quin quandoque ſtatuæ ſint verè loquutæ, & oracula ſine fraude edita. Quinetiam incredibile eſt vapori e terra exhalanti, & humori melancho-

lico

licovim à natura fuisse datam, quæ ad futura præsentienda, & ad Hebreaicè, Græcè, ac Latinè loquendum valeat; quoniam hæc sunt mentis opera, neque ex vi materiata, & cognitionis expertè possunt existere. Quapropter vt hæc probè explicentur, dæmones sunt accersendi; & hi si cogniti fuissent Aristoteli, existimandum est hunc ad eos caussas eorum, quæ dicta sunt, fuisse relaturum: sed felix, cui omnia sunt explorata, atque ab omni dubitatione remota.

Dæmones incorporei an sint aduersi Aristotelis doctrinę. Cap. VI.

TErtiæ enunciationis pars posterior relinquitur, quæ, quòd statuat dæmones incorporeos non esse Aristotelicæ doctrinę aduersos, noua & inaudita potest videri, cùm omnès ferè Peripatetici consentiant dæmones, quales quales sint, nullo pacto posse cum decretis Aristotelis cohærere; Verùm si argumenta, quibus hi adducti in hoc consenserunt, attulerimus, & in nobis quantum erit, explicauerimus, forsitan eueniet, vt quod est nouum ac inauditum, id non prorsus careat amatoribus. Quæ omnes ferè & nostræ, & anteactæ ætatis Aristotelicos impulerunt, vt dicerent dæmones in hominum opinionibus nomine tantùm vagari, & nihil re ipsa penitus esse, multa variaque sunt, sed quoniam singula persequi longum esset, ac superuacuum, ea sola, quibus momenti plus inest, afferentur. Principiò in rerum vniuersitatem quippiam introducere, cuius nulla sit necessitas, nullusq; vsus, pugnat cum decretis Aristotelicis, quibus sancitum est, quicquid est huiusmodi, id esse e naturæ finibus eiciendum, quòd Deus & natura nihil temere fortuitòq; efficiant lib. 1. de cælo 32. atqui in hac rerum vniuersitate nihil occurrit, cuius gratia dæmones positi sint, quodq; videatur opus dæmonis proprium, nam quæcunque à dæmonibus dicuntur fieri, eorum omnium caussa est naturalis; non igitur dæmones cum Aristote-

lis

lis placitis conſentiunt. Deinde in doctrina Ariſtotelis, quæ ſunt numero multa, ea oriuntur ac intereunt, & ex materia conſtant, non igitur dæmones in hac ſibi locum aſſerere poſſunt, quì à materia diſiuncti ſunt numero multi, ſeculisq; conſtant ſempiternis. Rurſus quod mouetur, id eſſe diuiduum, ac magnitudinem habere oſtenſum eſt in lib. 6. phyſ. hoc autem in falſis erit ponendum, ſi locus tribuatur dæmonibus, qui impatibiles, ac magnitudinis expertes loco mouentur, in variasq; excurrunt mundi regiones. Adhæc in doctrina Ariſtotelis vna eſt via inueſtigandi ſubſtantias à materia ſeparatas, eaq; in motus æternitate conſiſtit, cum igitur ex hac nullus nobis aditus aperiatur ad dæmones introducendos, hi planè ſi fuerit introducti, non conſentient cum decretis Ariſtoteleis. Præterea in lib. 12. poſt nat. tot mentes à materia ſeparatæ ſunt ponendæ, quot cæleſtium corporum lationes: atqui dæmonibus poſitis innumerabilis erit mentium à materia ſeparatarum multitudo. Amplius mens à materia ſeparata ſe ipſa intelligit, & præterea nihil lib. 12. poſt nat. 51. & verò dæmones, qui ſunt mentes à materia ſecretę, abſque rerum caducarum cognitione otioſi ſunt futuri, idque intelligitur ex officijs, in quibus occupantur. Poſtremò quoniam ex ijs, quæ tradita ſunt ab Ariſtotele, non poteſt intelligi modus, quo dæmones in rebus caducis intelligendis verſantur, neceſſarium eſt eos ex Ariſtotelicæ doctrinæ finibus eijci. Non poſſe diſci ex Ariſtotele modum, quo res caducæ ac ſingulares intelligantur à dæmonibus, ex his poteſt perſpicuum fieri. Si dæmones rerum ſingularium haberent comprehenſionem, has haberent comprehenſus vel per propriam eſſentiam, vel per ſpecies; hoc & illud non carent reprehenſione; non igitur dæmones poſſunt res ſingulares apprehendere. Dæmonibus interdictum eſſe in hoc verſari munere per propriam eſſentiam nemo non concedit, quoniam hic modus intelligendi ſic proprius eſt diuinæ, ſupremæq; mentis, vt nefas ſit eum dæmonibus tribuere. Eoſdem nullas ſpecies habere in præſidijs ita perſuadetur. Quicunq; ſen-

tiunt

tiunt ſpecies dæmonibus ſeruire ad ſingulas res perſpiciendas, hi ſunt rogandi, nunquid putent has ſpecies extrinſecus fluere ab ipſis rebus, quarum ſunt ſpecies, an potiùs inſitas eſſe in natura dæmonum; Primùm minimè dabunt, quoniam dæmones carent ſenſu, nullaq; tenent inſtrumenta, quibus accipiuntur ſpecies, & in animæ ac in ſenſu inſculpuntur: Alterum ſi amplexi fuerint, quoniam dæmones rerum omnium ſingularium poſſunt habere cognitionem, neceſſe eſt eos per has ſpecies inſitas percipere ſingularia inſtantia, præterita, & futura, atque hoc pacto infinitum & futurum non abeſſe à dæmonum cognitione, quod non eſt ſine abſurditate. Reſpondebitur fortaſſe in harum ſpecierum natura poſitum eſſe, vt ipſis ſola ſingularia præſentia cognoſcantur; atqui ſi ita fuerit reſponſum, ſequitur dæmonem & ſingularia, quæ in dies generantur, recenti cognitione apprehendere nihil noui accipiendo; & eiſdem ſpeciebus eadem interdum cognoſcere, interdum non cognoſcere; nam cùm hæ res caducæ ſuæ generationis initium habuerint, nec valeant perpetuò manere, his nondum genitis, & pòſt interemptis nulla ipſarum notitia habebitur. Atque hæc ſunt ea, quibus dæmones ab Ariſtotelis doctrina abeſſe, nec vllo modo cum hac cohærere perſuadetur, cæterùm, vt arbitror, non concludunt neceſſariò, & ad primum reſpondetur dæmones in hac rerum vniuerſitate certos propriosq; vſus ſibi aſſerere, verùm hos à nobis ignorari; neque id videatur mirum, nam cùm certum ſit multos eſſe cæleſtes globos, duobus exceptis, quorum alter eſt ſupremus, qui ab ortu in occaſum mouetur, alter is, in quo Sol eſt infixus, quorum neceſſitas explicatur in lib. 2. de cælo 20. & ſub exitum lib. 2. de gen. & int. reliquorum omnium vſus eſt obſcurus, valdeq; incertus: Et in vniuerſo cùm plurima cernantur animantium, plantarum, & corporum inanimatorum genera, in his contemplandis quis vnquam ita profecit, vt ſingulorum vſus, officia, & neceſſitates certò ſciuerit? Quòd ſi homini conceſſum non eſt, eorum, quæ ſibi ſocia, iunctaq; ſunt, & ſenſibus apprehenduntur,

fines

fines ac neceſſitates cognoſcere, quid mirum ſi eidem non eſt datum intelligere, cuius rei gratia parati ſint dęmones, qui & naturà ſunt à nobis diſiuncti, & à noſtris ſenſibus longiſſimè diſtant? Nec ſanè Ariſtoteles vnquam putauit id non eſſe, cuius eſſet ignarus, cùm certò ſciret multa in rerum vniuerſitate reperiri, quæ cur ſint, & quo modo ſint affecta, penitus ignoratur; nec præterea ſibi vnquam aſſumpſit tantum, vt eorum omnium, quæ fuit contemplatus, ſe certas cauſſas tradidiſſe crediderit, nam dum perſequitur ea, quæ ſunt corporum cæleſtium, ſæpè ſe excuſat, ſi probabilia afferat, quando quidem pauca admodum horum accidentia ſenſui patent, quorum beneficio tum de ipſorum natura, tum de ijs, quæ noſſe cupimus, facultas nobis cogitandi, indagandiq; ſuppeditatur. In ſecundo argumento ſumitur dęmones ſolo numero inter ſe differre, quod improbabile eſſe putat D. Thomas cum ſuis amasijs; quare ſi quis fuerit aſſenſus his dęmones ſpecie inter ſe differre ſentientibus, non erit, vt vi huius argumenti eijciat dęmones ex Ariſtotelis doctrina. Deinde ex ſententia Ariſtotelis, quæ oriuntur & intereunt, ea ſanè ſunt numero multa ſub eadem ſpecie poſita, quoniam generatio eam ob cauſſam data eſt rebus caducis, vt cùm æternæ numero eſſe non poſſint, eo, quo fieri poteſt, modo conſequantur æternitatem, cuius innato deſiderio tenentur omnia, quæcunque naturà conſtant lib. 2. de anima 34. eadem præterea conſtant ex materia, quæ in omni generatione ſubijcitur; verùm an Ariſtoteles ſenſerit viciſſim retrò commeare, & quę ſunt multa numero ſub eadem ſpecie, oriri, & interire, atque ex materia conſtare habet dubitationem: Equidem in illius ſchola tritum eſt ea eſſe multa numero, quorum materia eſt multa; verùm id oportet accipere in ijs, quorum vis & eſſentia non eſt à materia diſiuncta, nam hæc non poſſunt in multa numero diuidi, niſi materia ipſis deſtinata multa ſit, & in multas partes diſtributa: hinc in lib. 1. de cælo concluditur fieri non poſſe, vt multi ſint mundi, quoniã materia, ex qua mundi poſſunt exiſtere, vna eſt, quæ vniuerſa

fuit absumpta in huius mundi constitutione. In eadem quoque peruagatum est illa esse vnum numero, quorum materia est vna; sed id ad formas & accidentia est coarctandum, quæ si multa fuerint, vnum erunt numero atque subiecto, si materia ipsorum fuerit vna, omniaq; inerint in vna & eadem materia, quo pacto accidentia pomi, quę multa sunt ratione, dicuntur vnum numero, quoniam eorum omnium vna est materia, vnumq; subiectum. Denique in eadem est decantatum, quæ differunt numero, materia differre, sed materiæ nomine significatur non solùm vera propriaq; materia, sed & id, quod huius habet similitudinem, veluti est natura generis respectu differentiæ, & natura speciei respectu proprietatum, quæ vocantur indiuiduales. De tertio dicendum est iuxta Aristotelis doctrinam fieri non posse, vt magnitudinis indiuiduum, veluti corpus impartibile à Democrito positum, moueatur motu continuo, qui est affectio corporum natura constantium, sed cùm prater hunc motum reperiatur alius, qui vocatur discretus; nihil vetat, quin hoc creantur substantiæ indiuiduæ à materia secretæ; idq; abundè fuit à nobis declaratum in disputatione de mentis humanæ statu post hominis obitum. Refellitur quartum argumentum, quòd licèt à motus æternitate ductus fuerit Aristoteles in cognitionem substantiæ à materia separatæ, is tamen nunquam professus est excepta motus æternitate nihil esse, quod sit vsui ad indagandas mentes à materia remotas; nam & idem quamuis ex contrarietate, quę cernitur in mutatione, confecerit materiam esse inducendam, quę subijciatur contrarijs, nunquam tamen nos admonuit pręter contrarietatem non esse vllam rationem materię constituendę; Quapropter vt is, qui alia vsus fuerit ratione ad materiam stabiliendam, non erit Aristotelicę doctrinę aduersus, ita is, qui posthabita motus æternitate putauerit alia ratione mentem à materia separatam esse inducendam, (quod Auicennas & alij nonnulli habuerunt persuasum) nequaquam Aristoteli repugnabit. Proximum diluitur, quoniam cùm Aristoteles non aliam

habue-

habuerit rationem inueſtigandę ſubſtantię à materia ſeparatę, quàm motus æternitatem, ſolam eam ſubſtantiam à materia remotam fuit contemplatus, cuius notitiam auxiliante motus æternitate fuit conſequutus: Quocirca quoniam motus æternitas valet ad illas ſolas ſubſtantias immaterialas inducendas, ex quibus ipſa pendet, is ſe ſuaq; principia audiens ſtatuit tot eſſe ſubſtantias à materia ſeparatas, quot ſunt corporum cœleſtium conuerſiones. Cæterùm an id ex animo ſtatuerit non caret dubitatione, & hac de re quid ipſe ſentiam, ex his argumentis expeditius declarabo; hic enim locus de numero mentium à materia ſeparatarum plenus eſt obſcuritatis, & dignus, qui ex tenebris vindicetur. Quinti argumenti ſolutio hinc intelligitur, quòd cùm Ariſtoteles docuit mentem à materia ſeparatam ſe ipſam intelligere, & præterea nihil, vnam eam mentem fuit intuitus, ex qua pendet motus perpetuitas, quamq; cognouit eſſe ponendam perſuaſus à motus ſempiternitate. Demum eleuatur poſtremum argumentum, quia turpe eſt putare ea omnia doctrinæ Ariſtotelicæ aduerſari, quorum notitia perfecta ex hac non emanet, nam maris æſtum, magnetis ad Cynoſuram conuerſionem, & alia plurima ex ijs, quæ ab Ariſtotele tradita ſunt, non poſſe ſcientia comprehendi tam certum eſt, quàm quod maximè, quæ, nemo fuerit tam ægræ mentis, qui ſentiat doctrinæ Ariſtotelicæ aduerſari. Et ſi Alexander referente Auerroe, & non diſſentiente ſub exitum tract. 4. epit. poſtnat. ac Themiſtius in lib. 3. de anima cap. 73. ſummi & grauiſſimi Peripatetici in Ariſtotelis ſchola diuulgarunt cœleſtia corpora in rebus his ſenſibilibus cognoſcendis verſari alia ratione, quàm ſenſu, quippe quę, vt inquit Themiſtius, ſunt multò nobiliora quàm ſenſum requirant; atque id, quia hæc rerum ſenſibilium cognoſcendarum ratio, & ab Ariſtotele non eſt tradita, & ex ijs, quę ab Ariſtotele tradita ſunt, non hauritur, nunquam iniecit ſuſpicionem eos Ariſtotelicam doctrinam deſeruiſſe, nec ſanè eſt, cur quiſpiam ſuſpicetur nos eſſe decretorum Ariſtotelicorum oppugnatores, ſe

dixerimus Dæmones ratione ignota, & non tradita ab Aristotele res hasce natiuas, & caducas habere comprehensas. Hac ratione in tenebris lateret, in ea illustranda nostri Theologi multum operæ posuerunt, & nos si parumper voluerimus ad hos diuertere, intelligemus non esse rerum singularium cognitionem dæmonibus adimendam, quanquam modus, quo illi hac vtuntur, ex Aristotelis doctrina non emanauerit: Ad hos igitur paululum diuertamus, atque initium ita capiamus.

Dæmones qua ratione res natiuas, & mortales habeant comprehensas. Cap. VII.

IN dæmonibus idem non esse substantiam, & actum intelligendi nemo non fatetur, & D. Thomas in 1. par. quæst. 54. art. 1. cum alijs, tùm hoc argumento persuasit: Cùm actus ac muneris functio magis ab essentia distet, quàm esse, veri est similius in dæmonibus idem esse essentiam, quod esse, quàm in his idem esse essentiam & actum intelligendi; sed in nulla re à primo effectore procreata idem est essentia, quod esse; non igitur in dæmonibus idem est actus intelligendi, quòd essentia. Argumentantur alij, quia si in dæmonibus idem esset essentia, quod actus intelligendi, hi simul omnia intelligerent, quæcunque sunt apta cadere in ipsorum intelligentiam, semperq; in eisdem percipiendis versarentur, quod falsum esse non nemini est persuasum. Cùm igitur in dæmonibus aliud sit essentia, & aliud intelligendi actus, siue intelligentia, hanc quo modo assequantur, magna est lis, nam licèt omnes ferè Theologiæ doctores vna voce consentiant dæmonem se ipsum intelligere, dum suam essentiam intuetur, nec vlla specie adiuuari, quæ ab eius essentia sit diuersa, attamen in modo explicando, quo reliqua cadunt in eius cognitionem, graues sunt dissensiones. Nonnulli, vt Guglielmus Altisiodorensis, sentiunt dæmones per suam substantiam cun-

cta

cta intelligere, quæ non ſecus, ac eſſentia diuina, poteſt videri ſpeculum, in quo res omnes elucent, cæterùm non ſemper actu intelligere cuncta, ſed tum, cùm animum appellunt ad alicuius rei contemplationem. Hæc opinio paucos inuenit ſectatores, quippe quæ nimium tribuit Angelorum ſubſtantiæ. Equidem magnam hæc habet dignitatem, verùm ipſam diuinæ ſubſtantię exæquare ſumma eſt amentia, nam inter Deum & dęmonem tantum intereſt, vt ſimilitudo infinitis partibus ſupereatur à diſſimilitudine. Henricus Gandauenſis, Durandus, & alij exiſtimantes ſpecies intelligibiles eſſe vanas, ac inutiles ad obeundam intelligentiam has ex dęmonibus eiecerunt, quos dixerunt res omnes intelligere, quæ in ipſorum conſpectu poſitæ fuerint, & à quibus non longè abfuerint, ſine vllo ſpecierum intelligibilium adiumento, nam vt quippiam accipiatur cognitione, ſatis eſſe, id ſi fuerit propinquum, & in cognoſcentis præſentia conſtitutum. Adiunxerunt ex multis ac repetitis intelligendi actibus naſci in dęmonibus vim, & habitum quẽdam, quo hi apti expeditiq; fiunt ad res percipiendas, quanquam hę ſint procul ab ipſorum conſpectu, vel etiam interierint. Ab his diſcordat magna pars Theologię doctorum, qui exiſtimant nullam in dęmonibus excitari poſſe intelligentiam, niſi præſtò ſint ſpecies intelligibiles. Nunquid verò hę ſpecies ſint inſitę, an extrinſecus accedant, controuerſantur. Albertus Magnus, D. Thomas, & alij cenſent dæmones eo temporis punctę, quo ſuæ procreationis habuerunt initium, à ſummo rerum opifice ſpecibus fuiſſe obſignatos in ipſorum ſubſtantia ſic hærentibus, vt ab eis nullo modo queant auelli. Has ſpecies eà naturà donarunt, quæ ſunt aptè natæ referre non ſolùm naturas communes ac vniuerſas, ſed etiam ſingulas rerum proprietates, ſingulaq; accidentia ex cauſſis naturalibus exiſtentia: Itaque putant, vt ſingula vnius ſpeciei individua cognoſcantur, non eſſe in dæmonibus tot ſpecies, quot individua, ingenerandas, ſed vnam ſufficere, quæ communem ſpeciei naturam obijciat, ſingulaq; ſpeciei individua cum

omni-

omnibus horum proprietatibus, & accidentibus. Contrariæ opinionis est Alexander Alensis, qui in p. 2. quæst. 24. memb. 2. & 3. sentit species omnes, quibus dæmones vtuntur ad intelligendum, in his fuisse excitatas ab ijs, quorum sunt species. Cum Alexandro in eo, quod pertinet ad species rerum singularium, consentiunt Scotus in lib. 2 sent dist. 3. quæst. 11. & Ricardus in lib. 2. sent. dist. 3 art. 6 quæst. 2. nam communium naturarum species Alberto, & D. Thomæ consentientes arbitrantur insitas esse in substantia dæmonum, quòd consentaneum sit hos non penitus rudes, & ignaros fuisse procreatos: Cæterùm adiungunt dæmones ijs viribus fuisse à Deo imperitos, quibus valuissent, si ab omni specie vacui extitissent, species rerum vniuersalium sibi comparare ex speciebus, quas hauriunt & accipiunt à rebus materiatis singularibus. Vt autem suam opinionem tueantur, in dæmonibus non secus, ac in nobis duas mentes constituunt, quarum altera suscipit species, & altera efficit has coniuncta, vel cum rebus ipsis materiatis, vel cum speciebus, quas res materiatæ ex se fundunt, atque in media intercapedine excitant. Quod hos impulit, vt sentirent rerum singularium species ex rebus ipsis ad dæmones peruenire, id vel maximè fuit, quoniam nullam commodiorem inuenerunt rationem, qua ex ijs difficultatibus elaberentur, quæ accedunt, si quis statuat dæmones per species insitas percipere singulas res natiuas, & mortales. Verùm quicunque Alberti Magni, & D. Thomæ doctrinam plurimi faciũt, has difficultates non tanti æstimant, vt non putent se ex illis posse euadere, easq; declinant sentientes dæmones per species innatas non apprehendere nisi res singulares in vniuerso existentes, atque huius hanc rationem afferunt. Cùm representatio nitatur similitudine, quæ est inter id, quod representatur, & id, quod representat, atque eorum sit, quæ actu existunt, conficitur species in dæmonibus insitas ea sola actu referre, ac representare, quæ actu existunt, quanuis imagines sint rerum tam existentium, quàm non existentium, atque ideo dæmones per spe-

cies

cies inſitas ſola ſingularia habere comprehenſa, quę conſtant in rerum vniuerſitate, & non ea, quæ vel ſunt extincta, vel nondum orta iacent incluſa in ſuarum cauſſarum facultate. Porrò hi tametſi arbitrentur ſpeciebus innatis nequaquam intelligi ſingularia præterita, attamen ſentiunt hæc cadere in cognitionem dęmonum, quoniam in his, vbi aliquod perceperunt, manet veſtigium, ac veluti ſpecies quadam, cuius beneficio tenent illius memoriam, illiusq; poſſunt recordari. Has & alias difficultates nonnulli vt effugiant, inquiunt ſpecies quibus natiua & caduca intelliguntur à dęmonibus, multas ac varias ſuſcipere mutationes, quibus fit, vt hæ ſpecies ſeruiant dęmonibus ad præterita, inſtantia, & futura percipienda. Has verò ſpecierum mutationes ortri à Deo aſſeuerant, nam cùm hic ſpecies in dęmonibus ingenerauerit, par eſt eaſdem à Deo mutari, & accipere varietatem. Alij omnem mutationem ex his ſpeciebus tollentes inquiunt non eſſe, vt aliquis miretur, ſi ſpecies eadem aliquando referant, aliquando non referant abſque vlla ſui mutatione, nam cernere eſt columnam nunc dexteram, nunc ſiniſtram, & modò anteriorem, modo poſteriorem partẽ occupare nullam, quæ ab ipſa excipiatur, facta mutatione. Et hæc de dęmonum cognitione, quæ ſi cuipiam videbuntur breuiùs explicata, quàm rei poſtulet difficultas, hic in manus ſumat eruditas noſtrorũ Theologiæ doctorum diſceptationes, à quibus hic locus de dęmonum, & Angelorum intelligentia in lib. 2. ſent. diſt. 3. & in par. 1. Summæ D. Thomę quæſt. 54. 55. 56. 57. & 58. fuit cumulatiſſimè tractatus; & nos ad quæſtionem, quam ſumus polliciti, de numero mentium à materia ſeparatarum iuxta Ariſtotelis ſententiam aggrediamur.

Ecquid

Ecquid fuerit cauſſæ, cur Ariſtoteles mentem à materia ſeparatam introduxerit. Cap. VIII.

INter multos philoſophiæ locos, qui adhuc latent tenebris circunfuſi, perobſcurus eſt is, qui numerum mentium à materia ſeparatarum ſcrutatur; cæterùm quoniam huius loci patefactio non mediocrem vtilitatis fructum, & magnam animi delectationem eſt allatura, vt omni enitendum eſt, vt caligo diſcutiatur. Huius quæſtionis explicatio multò facilior erit, ſi antè fuerit expoſitum, quid impulerit Peripateticos, vt locum tribuerent ſubſtantiæ à materia ſeparatę, & corpore vacanti. Conſentiunt omnes vnam ſubſtantiam eſſe inducendam, quæ ſit principium motus ſempiterni; cùm verò hæc ſubſtantia poſſit ſtatui in hoc munere verſari, vel per modum cauſſę verè efficientis, vel per modum finis, quomodocunque ſtatuatur, arduum non erit hinc conficere ipſam eſſe à materia ſeparatam: Quapropter duæ ſunt rationes, quibus ſubſtantia à materia ſoluta poteſt indagari, in quarum altera hæc ſubſtantia ponitur principium motus ſempiterni per modum veri efficientis, in altera per modum finis. Priorem rationem Auerroes initio tract. 4 epit. poſtnat. tribuit philoſopho naturali, poſteriorem primo philoſopho ea forſitan ratione adductus, quòd, vt idem ſcripſit in com. 1 lib. 1. phyſ. primi efficientis contemplatio eſt philoſophi naturalis, & vltimi finis inſpectio primi philoſophi. Ariſtoteles in lib. 8. phyſ. poſteriore neglecta priorem rationem adamauit, in qua ſic fuit progreſſus. Hic poſtquam concluſit motum æternum eſſe, atque huius æternitatem non ſolùm eſſe ſecundum genus ac ſucceſſionem, & quia ſemper fuerit, ſemperq; futura ſit aliqua motio, verùm etiam in aliquo certo motu ſimpliciter æterno & continuo poſitam eſſe, qui eſt conuerſio, cuius ea eſt vis & natura, vt ſola poſſit eſſe continua ac ſempiterna; mox hinc conficit in motu vni-

vniuerſo vnum primum mouens eſſe conſtituendum, ex quo mouentia reliqua, omnesq; motus ac mutationes pendeant, atque hoc mouens eſſe ſimpliciter æternum, vnum numero, & cuiuſuis motus ac mutationis tam per ſe, quàm ex accidenti penitus expers. His conſtitutis ſub exitum eiuſdem libri oſtendit hunc primum motorem eſſe abiunctum ab omni materia, & magnitudine: Enim verò cùm ad motum perpetuum efficiendum virtus infinita requiratur atq; hæc in nulla poſſit eſſe magnitudine, conficitur hanc ſubſtantiam motricem, cuius virtus eſt infinita, vacare penitus magnitudine, nec eſſe vllis materiæ ſordibus inquinatam. Hæc eſt via, qua in lib. 8. phyſ. ducimur in cognitionem mentis & ſubſtantiæ à materia ſeparatæ, cui affinis eſt illa, qua progreſſus eſt Auerroes ad initium tract. 4. epit. poſt nat. quo in loco aſſumens omne, quod mouetur, ab aliquo motore moueri; atq; quod mouetur, eatenus moueri, quatenus eſt poteſtate; & quod mouet, eatenus mouere, quatenus eſt actu, ſtatuit vltimum ſupremumq; mouens vniuerſi eſſe penitus immobile, atq; continuum perpetuumq; motum efficere: enim verò ſi moueretur cùm omne, quod mouetur, ab aliquo moueatur, ſupra ipſum erit alterum mouens, quod ipſum mouebit; hoc autem ſi rurſus poſitum fuerit moueri, præter ipſum erit quoq; alterum mouens inducendum, à quo moueatur & ſupra hoc alterum, atq; ita deinceps, ſi mouẽs, quod fuerit poſitum, eo pacto inducatur, vt ſit capax motus ac mutationis: atqui nequit fieri, vt nullus ſit finis in mouentibus; ergo quod eſt vltimum, ſupremumq; mouens, id eſt penitus immobile. Idem præterea oportet continuum perpetuumq; motum efficere, quoniam ſi quandoq; moueat, & quandoq; non moueat, aliquo modo erit mobile; nam quod vim habet quandoque mouendi, & quandoq; non mouendi, id cùm non moueat, poteſtate continetur, ex qua cùm ſine mutatione nequeat ad actum deduci, colligitur id eſſe mobile; quòd ſi motum poteſt excipere, præter ipſum erit alterum mouens, à quo motum accipiet; hoc autem ſi rurſus ita inducatur, vt interdum moueat, & interdum

non moueat, eadem ratio erit: Quamobrem ne mouentium ſeries abſq; fine progrediatur, quod erit in hac vltimum ſupremumq; mouens, id & immobile erit, & continuum ſempiternumq; motum præſtabit. Idem quinetiam non erit materiæ aut magnitudini hærens, quoniam non eſſet cauſſa continui perpetuiq; motus: etenim quod eſt in magnitudine ſitum, id cùm huius diuiſione diuidatur, neceſſario ſequitur eius finitatem & infinitatem; quapropter quia nequit fieri, vt hæreat infinitæ magnitudini, quoniam hæc nullum obtinuit locum in rerum vniuerſitate, id finitæ magnitudini hærebit, & quod ſequens eſt, vim tenebit finitam: at verò cuius vis eſt finita, id nullo pacto eſſe poteſt cauſſa continui, infinitiq; motus. Atq; hæc quidem Auerroes, in quibus tametſi fuerit Ariſtotelem imitatus, non intellexit tamen hanc rationem inueſtigandæ ac inducendæ ſubſtantiæ mentisq; à materia ſeparatæ in doctrina Ariſtotelis eſſe contemnendam, quoniam fieri non poteſt, vt primum ſupremumque mouens per modum cauſſæ veræ effectricis in hac ſit penitus immobile, & in ipſum nullus cadat motus, nulluſq; mutationis modus, ſiquidem hoc eſt cœlum, ſupra quod iuxta Ariſtotelis dogmata non eſt aliud mouens per modum veri efficientis. Equidem de ſententia Ariſtotelis mens à materia ſeparata eſt primus motor, ex quo cœlum & natura pendet, verùm hæc fungitur officio motoris, non per modum cauſſæ efficientis, ſed per modum finis. Quapropter vt ad ſubſtantiam penitus immobilem, & ad mentem à materia ſegregatam peruenire poſſimus, ratio poſterior hanc indagandi & inducendi eſt adiungenda, quam Auerroes ibidem eſt latè perſequutus. In hac verò primùm poſito, & conceſſo cœlum eſſe verè animatum anima intelligente, ſimulq; appetente, atq; non temere ac fortuitò in motu verſari, ſed gratia alicuius finis, & vt finem aliquem conſequatur, nam vt dicebat Alexander apud Simplicium in lib. 8. phyſ. com. 107. etſi cœlum cùm ſit animatum, moueatur per eam, quæ in ipſo eſt, animam, ei tamen opus eſt aliquo, quod præbeat principium motus, quo-

niam

niam qui per locum fit, animatorum motus efficitur propter alicuius rei deſiderium, ſic conficitur propoſitum. Cùm cæli motus *ex rei cognitæ ac expetitæ amore proficiſcatur, quando quidem cœlum eſt anima præditum, & per animam mouetur, hæc res, cuius amore ducitur cœlum, erit vel hærens corpori & materiæ, vel corporis expers, & à materia ſecreta; atqui corpori hærere non poteſt defendi; ergo quippiam à corpore & à materia ſolutum eſt ponendum, cuius gratia cœlum in orbem moueatur. Connexum eſt euidens, aſſumptum confirmatur. Si quod optandum, expetendumq; proponitur cęleſti corpori, fuerit corpus, vel in corpore & non penitus à materia ſeparatum, quærendum erit, nunquid illud ſit ex numero corporum, quæ lunę amplexu continentur, an corpus cælo præſtabilius; primum non eſt concedendum, quoniam finis anteſtat ijs omnibus, quę ad ipſum referuntur, quippe quorum eſt perfectio; & cœlum ijs corporibus, quę ſub ipſo poſita ſunt, anteit dignitate: nec alterum quoq; eſt ponendum, tum quia nullum corpus eſt introducendum, quod cęlo ſit præſtabilius; tum etiam quia corpus hoc erit neceſſariò animatum, ſi dignitate cęlo antecellat, ſiquidem nullum inanimum eſt re animata præſtantius, & propterea eidem quæſtioni expoſitum erit, rogabiturq; à quo moueatur, & nunquid id, quod mouet per modum expetibilis, ſit corpus, vel corporis expers: & ſi corpus, nunquid illi dignitate cedat, an illud nobilitate ſuperet: Quapropter vel res in infinitum abibit, vel id, cuius amore trahitur cœlum, inducendum eſt à materia ſeparatum, nulliq; affixum magnitudini. Hæc fuerunt probè cognita Alexandro, quæ in lib. 1. quæſt. nat. cap. 1. & in lib. 12. poſt nat. com. 20. habet hæc, aut ſimilia. Cœlum eſt animatum; corporum enim optimum eſt animatum, cum hoc corpori anima carenti honore anteferatur, & cœlum inter corpora primas ſibi aſſerit partes dignitatis: Sed quod anima præditum eſt, id per animam mouetur, & quod per animam mouetur, id rei alicuius deſiderio concitatum mouetur; ergo in rerum natura conſtabit quippiam, quod cæli*

appetitum ciens ipſi afferat motum ſempiternum: Id autem erit actu & immortale; actu, quoniam cui data eſt facultas, mouendi, id actu exiſtit immortale, quia ſi pereat, motus vnà intereat, oportet, qui ita connexus, copulatusq; eſt cum motore, vt hoc amoto neceſſariò concidat, ac ceßet. Quinetiam erit motus omnis, mutationisq; expers, nam ſi moueatur, ab aliquo mouebitur, & hoc rurſus ab alio, atq; ita finis nunquam reperietur. Quod ſi nullus motus, nullaq; mutatio incidit in hoc mouens, idem erit ab omni corpore vacuum, quia nullum corpus eſt, quod non aliquam poſſit excipere mutationem. Ponendum eſt igitur aliquod ſempiternum, actu exiſtens, immutabile, & à materia magnitudineq; ſegregatum, quod cadens in intelligentiam cœli, huiusq; appetitum excitans ſit cauſſa ipſi motionis ſempiternæ. Idem voluit Auerroes in cap. 6. lib. de ſubſt. orbis, quo in loco ſcribit, quoniam corpus cœleſte verſatur in perenni motu, mouetur q; per formam in ipſo exiſtentem, quæ eſt anima appetens; corpus autem anima appetente & amante præditum mouetur affectum amore illius, quod expetitur & amatur, conſentaneum eſt, vt aliquod diuinum numen ſtatuatur, quod tanquam finis & optabile cœleſti animanti proponatur, idq; cœlo & anima cœli multò præſtabilius, quod finis omnibus ijs præſtantior ſit, quæ ad ipſum referuntur. Atq; hæc conſentiunt cum ijs, quæ ab eodem habentur ſub exitum com. 36. lib. 12. poſt nat. quæq; ſunt: Et omnia iſta dicit ad declarandum, quòd corpora cęleſtia, cùm habeant appetitum propter intellectum, intellectus autem maius bonum ipſo appetit, contingit neceſſariò, quòd corpora cęleſtia appetunt in hoc motu aliquod maius bonum ipſis. Et cùm illa ſint nobiliſſima corpora ſenſibilium, & meliora, neceſſe eſt, vt illud bonum, quod appetunt, ſit nobiliſſimum entium, & maximè quod appetit totum cœlum in motu diurno. *Et ſanè niſi ſtatuamus mentem corporis experiem eße finem corporibus æthereis conſtitutum, nullam habebimus rem, cuius gratia hæc ferantur circulo, quando quidem*

nihil

nihil excellentius, ac diuinius eo, cui eſt data intelligens anima præſtantiſſima, poſſumus animo concipere præter mentem à materia ſegregatam. Qua de re concludendum eſt propter hanc mentem veluti propter finem cæleſtia corpora moueri, atq; ob id mentem à corpore et à materia ſeparatam eſſe inuehendam quod non obſcurè ſignificauit Ariſtoteles in lib. 12. poſtnat. 48. cùm ſcribit ſi præter illas mentes, quarum numerus ex orbium cæleſtium multitudine fuit collectus, eſſent aliæ, has motum eſſe effecturas, cùm ſint finis alicuius lationis. Cæterum tameſi mens à materia ſeparata ſit inducenda, vt ſit finis, cuius gratia cælum moueatur, ea tamen eſt quoq; inducenda, vt in cælo ſit cauſſa motus perpetui, & nunquam ceſſantis; nam cùm oporteat cælum perpetuò moueri, ne in rebus caducis vnquam deficiat generationis & interitus viciſſitudo; atq; quicquid mouetur, id ceſſet à motu, vt primùm eſt illud, ad quod mouetur, conſequutum, planè ne cælum conſiſtat, cùm ad id, ad quod tendit, peruenerit (tendit autem ad id, ex quo diſceſſit, quòd in motu circulari idē ſit principium, ex quo digreditur motus, & extremum, ad quod progreditur) quippiam eſt ponendum, quod ei ſit cauſſa motus infinito tempore conſtantis; id autem non poteſt eſſe anima cæli, vt putauit Herminus, quia, vt inquit Alexander apud Simplicium in lib. 2. de cælo com. 3. hæc, cùm ſit actus corporis finiti, & propterea virtutis finitæ, non poteſt præſtare, vt cælum tempore infinito cieatur, ſed eſt quippiam à cælo ſeparatum, & cælo multò diuinius, nempe mens à materia ſeparata, nam cælum huius amore captum ſtudet eam viribus omnibus imitari, & cùm huius mentis infinitas ſit infinitas ſimpliciter tota ſimul in ſeſe collecta, atq; cælum non ſit aptum ad hanc infinitatē omnino ac ſimpliciter excipiendā, quippe quæ eo modo, quo eſt, cum natura corporis non poteſt communicari, conuerſionem conuerſioni copulat, indeq; nunquam non diſcedit, quò progreſſum eſt; atque hoc pacto factum particeps illius infinitatis, quæ eſt cum ſucceſſione, eo, quo poteſt fieri, modo in ſe exprimit illius infinitatis,

tis, cuius amore flagrat, ſimilitudinem. Ac ſanè mentem à materia ſeparatam in eo, quòd mouet cælum per modum finis, eſſe cauſſam, cur cælum tempore perenni moueatur, ſignificauit Ariſtoteles in lib. de com. animal. motu cap. 3. quo in loco, animantes caducæ ſuis à motibus ceſſant, quòd illud bonum ſibi proponunt, quod aliquando eſt bonum, aliquando non: & cæli mouentur inceſſanter, quia illud bonum habent propoſitum, quod eis ſemper eſt bonum, nec modò induit, modò exuit bonitatem.

Ex his apertum eſt illos Platonicos Ariſtotelis ac veterum Peripateticorum decreta conniuentibus oculis inſpexiſſe, qui tradiderunt Ariſtotelem, Theophraſtum & reliquos Peripateticos ad formas & animas corporum cæleſtium cogitatione tantùm peruenisse, & nullas ſubſtantias ſuperiores à materia abiunctas induxiſſe. At quiſpiam non iniuria dubitabit: Si primum ſupremumq; mouens mouere per modum efficientis non facit cum doctrina Ariſtotelis, atq; ideo ratio hinc ducta ad perſuadendum ponendam eſſe ſubſtantiam à materia ſeparatam non eſt multi facienda, ecquid cauſſa eſt, cur id aſſumpſerit Ariſtoteles in lib. 8. phyſ. atq; ex eo fuerit progreſſus ad inueniendam ſubſtantiam à materia ſeparatam? Reſpondetur, quòd licèt ab Ariſtotelis doctrina abhorreat primum mouens ſuſtinere rationem veræ cauſſæ effectricis, attamen Ariſtoteles varijs in locis, & præſertim in lib. 8. phyſ. illud fuit intuitus, perinde ac moueat, cùm ſit cauſſa motus efficiens hac ratione adductus. Priſci philoſophi, cùm rationem mouendi per modum finis neglexiſſent, aut verius ignoraſſent, quod ſub exitum lib. 2. phyſ. & in lib. 1. poſtnat. fuit ſignificatum, quæcunq; mouentia induxerunt, voluerunt hæc per modum efficientis mouere: Quapropter cùm Ariſtoteles intelligeret hac mouendi ratione primo motori tributa id quoq; poſſe confici, quod ſibi propoſitum erat concludere, primumq; motorem eſſe immobilem, impartibilem, & à magnitudine ſeparatum, eam ſibi retinendam eſſe exiſtimauit, quoniã ſi neglexiſſet, & mouendi rationem per modum finis fuiſſet amplexus,

plexus, quod veteribus erat obſcurum, fuiſſet amplexatus, idq; ſi explicare & confirmare voluiſſet, longa & rei propoſitæ aliena diſputatio fuiſſet ſuſcipienda, atq; in ijs verſandum, de quibus docere intereſt non philoſophi naturalis, ſed primi ac poſtnaturalis; huius enim partes ſunt aperire modum & rationem, qua primum mouens, mensq; à materia ſeparata moueat. Adiungendum eſt, quòd cùm aſſenſus eorum, quibus cum diſputamus; multò facilius concilietur ex ijs, quæ ipſi non diſſitentur, quàm ex ijs, quę ipſis ſunt obſcura, non abre Ariſtoteles hanc viam fuit ingreſſus. Neq; id mirum videatur alicui, nam & in lib. 3. meteor. in iridis explicatione ſtatuit Ariſtoteles viſionem fieri radiorum emiſſione, hincq; rationem reddit multorum accidentium ad iridem pertinentium, quod dogma viſum eſt ei improbabile, & ab eo multis argumentis confutatum in lib. de ſenſu & ſenſibilibus. Cæterùm Ariſtotelem ſolitum eſſe, quando nihil refert, vtrum proprium, an alienum & vulgatum dogma ſequatur, vulgatum ſæpenumero amplecti, nemo eſt in huius doctrina vel mediocriter verſatus, cui non ſit cognitum.

Mens à materia ſeparata mouet cœlum per modum finis, & non per modum cauſſæ efficientis. Cap. IX.

Diximus, & non probauimus rationem, qua introducitur mens à materia ſeparata, quoniam hæc eſt cauſſa perpetui, continuiq; motus per modum cauſſæ effectricis, eſſe in Ariſtotelis doctrina negligendam, in qua mens hæc non veluti cauſſa efficiens, ſed vti finis amatus & expetitus in cauſſa eſt, vt cœlum ſempiterno tempore conuertatur; & verò id cum dubium ſit, ac controuerſum, antequam longiùs progrediamur, quod fuit ſine probatione dictum, id argumentis eſt confirmandum, & præſertim quoniam hic locus de ratione, qua mens ſeperata fungitur officio motoris, magnum neceſſariumq; habet momentum ad hãc

quæſtionem, quam tractamus, explicandam. Pleriq; noſtræ ætatis Peripatetici Ammonio & Simplicio aſſentientes mentem à materia diſiunctam induxerunt, à qua cælum perenniter moueatur in orbem per modum cauſſæ efficientis. Idem ſenſiſſe Auerroem Zimara & alij Auerrois aſſeclæ opinantur, qui cælũ de ſententia magiſtri duabus ex partibus componentes, quarum vna moueat, & altera moueatur, ſtatuerunt partem mouentem eſſe mentem à materia ſolutam, & partem motam eſſe naturam cæli corpoream animæ expertem ac per ſe ſuisq; viribus actu conſtantem: Hos ſemper exiſtimaui magno errore duci, illosq; verè ſententiam Ariſtotelis tenere, qui cum Alexandro ſentiunt mentem à materia ſolutam ſic mouere cælum, vt huic motum afferat tanquam quoddam bonum & optabile, nulloq; modo veri efficientis munere fungatur; & vt ita exiſtimarem, multa ſunt, quæ me impulerunt. Principiò quod mouet cælum veluti id, quod intelligatur ab ipſo, & expetitur, in mouendo haud quamquam ſuſtinet rationem veri efficientis, mens à materia ſeparata cælum hoc mouet modo lib. 12 poſt nat. 36. hac igitur ſic mouebit cælum, vt ſit finis, & non vera efficiens cauſſa huius conuerſionis. Aduerſarij ad hoc argumentum varias afferunt reſponſiones. Alexander Alenſis in Summæ p. 2. quæſt. 87. memb. 3. art. 4. hunc Ariſtotelis locum ita interpretatur, vt ſententia ſit mentem à materia ſolutam mouere veluti quod intelligitur, & expetitur, non quia intelligatur & ametur ab eo, quod mouetur, ſed quoniã non ſecus mouet, ac moueat id, quod mouet, quia intelligitur & expetitur, nam vt hoc mouet, cùm ſit immobile, ita mens à materia ſoluta mouet, cùm penitus ſit immobilis. Hæc interpretatio non eſt ferenda, quoniam cùm ſit Ariſtotelis conſilium rationem explicare, qua mens ſeparata moueat, cùm ſit immobilis, planè ſi huius loci hæc ſit ſententia, contemnenda erit explicatio, nam perinde erit, ac ſi diceretur mentem hanc mouere, cùm ſit immobilis, quia mouet non ſecus, ac moueat id, quod mouet, cùm ſit immobile. Et cùm Ariſtoteles continuò ſubiungat, quæcunq;

cùnq; mouent, quia intelliguntur & expetuntur, hæc ſola mouere, cùm ſint immobilia, nemo fuerit, qui non intelligat Ariſtotelem velle mentem ſeparatam mouere, quia ab eo, quod mouetur, intelligitur & amatur. Atq; id non obſcurè colligitur quoq; ex lib. de com. animal. motu cap. 4. vbi ſcriptum eſt cælos & caducas animãtes aliquatenus ſimiliter moueri, quandoquidem tã hæ, quàm illi mouentur ob aliquem finem, ad quem ſuos motus referunt, & aliquatenus aliter, quòd cæli moueantur perpetuò, quippe qui bonum habent propoſitum, quod verè bonum eſt, nec aliàs eſt, aliàs non eſt; caducæ verò animantes ſuis in motibus terminum ac finem habeant, quia illius gratia mouentur, quod modo eſt, modo non eſt bonum. Hoc in loco cæli ita inducuntur, vt perpetuò moueantur, quoniam boni immutabilis amore trahuntur: id autem cùm nihil aliud eſſe poſſit, quàm mens à materia ſoluta, hæc mouebit cælos, quia his ad expetendum eſt propoſita. Statuunt alij, e quorum numero ſunt Helias Cretenſis in quæſt. de primo motore, ac Zimara in quæſt. de triplici efficiendi ratione mentis ſeparatæ, ſubſtantiam immobilem mouere quidem vt id, quod intelligitur & amatur, verùm intelligi & amari non à cælo, ſed à ſe ipſa; itaq; mouere non ſolùm per modum finis, ſed etiam per modum efficientis, ſimulq; finem eſſe cæleſtis motus, & cauſſam effectricem, quippe quæ ex ſuæ bonitatis cognitione, & ex deſiderio hanc cum alijs rebus communicandi excitata mouet cælum. Hi ſunt improbabiles, neq; hunc Ariſtotelis locum rectè interpretantur: Sunt improbabiles quoniam cùm finis bipartito diuidatur, alterq; finis cuius, & alter finis cui appelletur lib. 2. de anima 35. nequit fieri, vt mens beata ſibi ipſa ſit propoſita vel tanquam finis cui, nam ei, quod eſt finis cui, id, quod efficitur, vtile commodumq; exiſtit, & menti ſeparatæ, quæ bonis omnibus eſt cumulata, boni quicquam non poteſt accedere; vel tanquam finis cuius, quoniam in omnibus oportet appetens, & id, cuius eſt appetitus, eſſe diſiuncta: Huius ea eſt ratio, quia vt ſcribit D. Thomas in quæſt. de Spirit. creat.

art.6.cùm appetitus ſit motus naturæ appetentis ad id, quod expetitur, planè ſi appetens & id, quod appetitur, eſſent idem, nunquam illud expeteret hoc, aut moueretur ad hoc, quòd nihil expetat id, vel moueatur ad id, in cuius eſt poſſeſſione. Et cùm finis cuius ſit id, cuius eſt appetitus, atq; hic ſemper ſit illius, cuius eſt indigentia, (id quod Plato in conuiuio in orat. Socratis, & Ariſtoteles in lib.1.phyſ.81. attẽ ſtantur) nemo non putabit in naturæ & in eſſentia finis cuius poſitum eſſe perpetuò abeſſe ab eo, quod ipſius gratia agit, atq; hoc, quandiu agit, tandiu ab illo diſiunctum eſſe; finis enim & habitus cùm adeſt, ceſſat motus, & nihil praterea fit lib.1.de gen. & int.55. Adiungendum eſt idem reſpectu eiuſdem ſimul eſſe finem, & cauſſam effectricem non conſentire cum Ariſtotele, qui in lib.2.phyſ.70. ſcribit formam & finem in vnum numero plerumq; cadere, & cauſſam effectricem non poſſe cum his niſi ſpecie concurrere: atq; in lib.2. de cælo 64. ſtatuit actionem ſemper in duobus conſiſtere, quorum alterum eſt id, cuius gratia agitur, & alterum id, quod huius gratia agit: Nec aduerſarij occurrant aſſeuerantes actionem, qua cælum mouetur, duobus contineri, quòd in mente ſeparata id, quod agit, & id, cuius gratia agitur, ratione diſtinguantur; nam oportet, hæc re ipſa differre; idq; poteſt ſciri, quòd hoc in loco monſtretur ei, quod optimè ſe habet, nulla opus eſſe actione, quia eſt id, cuius gratia, & omnis actio expoſcit duo, quorum alterum eſt id, cuius gratia fit actio, & alterum id, quod agit huius gratia: Atqui hæc niſi re ac ſubiecto ſint diuiſa, non neceſſariò conficeretur id, quod optimè ſe habet, vacuum eſſe ab omni actione, quoniam eſt id, cuius gratia, & in duobus actio ſemper poſita eſt. Hos autem rectam non afferre huius loci explanationem hinc conſtat: Cum Ariſtoteles confeciſſet ponendam eſſe ſubſtantiam immobilem ſempiternam, quæ ſeculis moueat infinitis, atq; dubiũ eſſet, quo pacto hæc poſſent inter ſe cohærere, videlicet hanc ſubſtantiam eſſe immobilem, & monere, quòd de ſententia Platonis qua ſunt immobilia, ea ſunt non motus, ſed ſtatus ac immobilitatis

Digitized by Google

tatis principia, illius conſilium eſt aperire modum & viam, qua ſubſtantia hæc ſic mouet, vt maneat immobilis, & tradit eam mouere veluti id, quod cadit in intelligentiam, & appetentiam, nam ſola hæc, quæ hoc pacto mouent, ſic mouent, vt ſint immobilia. Verùm enim verò ſi mens à materia ſeparata præter hanc mouendi rationem, qua mouet veluti id, quod intelligitur & expetitur, alteram ſibi aſciſceret, quæ eſt per modum efficientis, non neceſſariè hinc intelligeretur eam mouere, cùm ſit immobilis, nã aduerſarius reſponderet hanc mentem in eo ſanè, quòd moueat, vt eſt quoddam expetendum, poſſe immobiliter mouere, ſed prohiberi, cùm præterea moueat, veluti cauſſa efficiens, quo modo quicquid naturaliter motum affert, mouet, cùm & ipſum moueatur lib. 3. phyſ. 8. Ad hæc quæcunq; apud nos mouent, quia cognoſcuntur, & appetuntur, propterea mouent, non quia à ſe ipſis, ſed quoniam ab iis, quæ mouentur, cognoſcantur & appetuntur: ergo Ariſtoteles aſſeuerans mentem ſeparatam cælum mouere vti id, quod intelligitur & appetitur, ſenſit hanc immobilem ſubſtantiam mouere cælum, quia ab hoc intelligitur & amatur. Præterea ſi hæc ſubſtantia moueret cælum in eo, quòd à ſe ipſa intelligitur, & expetitur, quoniam intelligibile & expetibile mouet id, quod intelligit & appetit ipſum, profectò hinc non intelligeremus modum, quo ſubſtantia hæc cælum mouet; quæ re vlterius quærendum eſſet, quo pacto hæc ſubſtantia vti motor immobilis poſſit cælum circumagere, cùm ipſum moueat veluti id, quod cadit in ſui ipſius intelligentiam, & appetentiam. Accedit, quòd hinc potiùs doceremur, quo modo hic motor efficiat motum, cùm ipſe aliquo pacto ſubeat motum, quàm quo modo efficiat motum, cùm ſit immobilis: Enimverò & ſi intelligentia & appetentia non ſint verè motus, habent tamen cum motu cognationem, propter quam à Platone in motibus numerantur, & Ariſtoteles tradit in tex. 37. mentem moueri ab intelligibili: Quapropter omnino exiſtimandum eſt hoc in loco id, quod cadit in intelligentiam, & ciet appetitum, re ipſa differre ab eo, quod

intelligit & appetit, atq; illud eſſe ſubſtantiam immobilem, hoc autem corpus cæleſte; id quod ſenſerunt in huius loci explicatione Alexander, Themiſtius, & Philoponus, à quibus non diſentit Auerroes, qui præterea in com. textus proximè ſequentis vult hoc ex loco clarè conſtare corpora cæleſtia eſſe animata, atq; ex animæ virtutibus ſibi aſſerere vim intelligendi, vimq; appetendi. Sed hactenus de primo argumento & illius defenſione, ad alia fiat progreſſus. Si mens prima immobilis à materia ſeparata moueret per modum cauſſæ verè efficientis, vana eſſet reprehenſio, in quam incurrit Anaxagoras ſub exitum lib. 12. poſt nat. quo in loco hic non vacat culpa, quòd cùm ſtatuerit mentem omnia mouere, non docuerit, quorſum illa motio pertineret, & cuius gratia eſſet inſtituta, cùm nihil moueat, quin ob aliquã cauſſam moueat: Quam obrem illi faciendum planè erat, vt alterum principium ſtatueret, quod mentem ad mouendum excitaret. Ne igitur vana ſit hæc reprehenſio, & ne cogatur Ariſtoteles, quemadmodum Anaxagoras, alterum principium inuehere, quod ſit mente ſeparata præſtabilius, atq; hanc excitet ad motum efficiendum, concludendum eſt mentem ſeparatam eſſe duntaxat finem, & non cauſſam effectricem cæleſtis conuerſionis. Non me præterit huic argumento poſſe occurri, quòd in iis, quæ continuò ſubiunguntur ab Ariſtotele, ſignificetur omnibus explicatoribus conſentientibus Anaxagoram poſſe excuſari, ſi voluiſſet mentem à ſe poſitam ſimul quoq; mouere per modum finis, ita vt in ea idem eſſet finis & efficiens: verùm, vt quod ſentio, id liberè dicam, exiſtimo explicatores huius loci ſententiam ignoraſſe, & eorum interpretationem eſſe penitus improbabilem. Verba Ariſtotelis ſunt hæc. Niſi ſit, vt nos dicimus, ars enim medendi quodam modo ſanitas eſt. *In his tantùm abeſt, vt ſignificetur cauſſam effectricem eſſe idem, quod finem, vt oppoſitum intelligatur, nam licèt ars medendi ſit quodam modo ſanitas, verè tamen non eſt illa ſanitas, quam veluti finem Medicus ſibi in curatione proponit, quoniam hæc ſanitas*

in

in ægro producitur, & non eſt eadem numero cum ſanitate, quæ in animo Medici impreſſa eſt ars medendi: Quapropter puto hunc locum ita eſſe interpretandum, vt ſententia ſit: Anaxagoras non erit, vt reprehendatur, ſi, vt nos exiſtimamus, velit Mentem à ſe poſitam mouere per modum finis & rei amatæ, nã ſi hoc moueat modo, non neceſſe habebit fatcri ſupra eam eſſe aſcenſum ad aliud principium, quod ipſam excitet ad mouendũ: Finem verò ſuſtinere rationem mouentis tenetur ars medendi, quę in Medico eſt principium, quo is mouet ac medetur, nam hęc eſt quodammodo ſanitas, cuius gratia Medicus adhibet medicinam. Hinc Auerroes in lib. 12. poſtnat. com. 36. ſcripſit finem, quà animo eſt apprehenſus, mouere per modum efficientis, quippe qui eſt ratio & principium, quo mouet id, quod ipſum habet animo comprehenſum; & eundem, quà eſt natura quædam in hac rerum vniuerſitate exiſtens, mouere per modum finis. Hæc igitur cùm ſit ſyncera huius loci explanatio, conſtat cauſſam effectricem perpetuò diſiunctam eſſe à fine, à quo ad agendum excitatur, & quod ſequens eſt mentem ſeparatam per modum efficientis non tribuere corporibus æthereis conuerſionem. Quinetiã id facilè perſuadebitur ei, qui animaduerterit omnes cauſſas effectrices ſuam operam conferre, vel vt aliquam prauitatem exuant, vel vt perfectionem aut nouam conſequantur, aut quam habent, integram, inuiolatamq; tueantur; & mentem à materia ſeparatam nullius prauitatis eſſe participem, quippe quæ numeris omnibus eſt abſoluta, atq; in optimo ſtatu conſtituta; neq; aliquid boni expetere, quòd in eius natura omne bonum ſit collocatum: nec denique vllum periculum imminere, ne faciat propriæ perfectionis iacturam, quæ in ipſa ſic hæret, vt nullo modo poſſit euelli. Non eſt igitur diffitendum hanc mentem diuinam omni effectione vacare, & citra hanc vitæ frui beatiſſima; id quod perſpicuè ſignificauit Ariſtoteles in lib. 2. de cælo 62. vbi ei, quod optimè ſe habet, ineſt ipſum bonum ſine vlla actione. Nec aures ſunt illis accommodandæ, qui hunc locum ita interpretantur, vt

Ari-

Ariſtoteles ſentiat, quod optimè ſe habet, id nulla indigere actione, qua bonum conſequatur, quippe quod eſt in plena totius boni poſſeſſione, nam hos interrogo, nunquid mens ſeparata moueat cælum propter ſe, an propter aliud quippiam; ſi primum dent, non intelligo, quo pacto ei bonum inſit ſine vlla actione; ſin alterum, mens ſeparata non erit illud, quod in hac rerum vniuerſitate ſummum obtinet locum dignitatis, ſi quidem id, cuius gratia munus aliquod eſt ſuſceptum, eſt eo, quod agit, multò præſtabilius. Amplius fieri non poſſe, vt mens ſeparata in cælo conuertendo ſubeat rationem cauſſæ efficientis argumento eſt, quòd cùm motus ſit actus, qui nunquam ſimul totus ſit, & à poteſtate nunquam ſit diſiunctus, efficitur, vt mouens omne, cuius actus eſt motus, ſit poteſtate, atq; ex hac in actum transferatur: ergo ſi mens ſeparata ſit cauſſa efficiens motus cæleſtis, ei conueniet hoc attributum; quod non caret turpitudine; nam mens à materia ſoluta eſt actus ſimpliciſſimus, cui nihil poteſtatis poteſt admiſceri. His illud adijciatur, quòd nihil poteſt moueri, niſi tangatur ab eo, quod tribuit, afferiq; motum lib. 3. phyſ. 16. & lib. 8. eiuſdem operis 37. itaq; quoniam tactus eſt corporum lib. 1. de gen. & inter. cap. de tactu, cælum quì poterit tangi & moueri à mente, cui corpus eſt nullum, nullaq; magnitudo? Atq; hac forſitan ratione in lib. de com. animal. motu monſtratum eſt polos non mouere cælos, quia ſunt indiuidui; non enim fieri poteſt, quod eſt indiuiduum, vt id tangat illud, quod eſt diuiduum, aut omnino tangendi munere fungatur. Non ſum neſcius quoſdam tactum virtutis effinxiſſe, quo dixerunt cælum tangi & moueri à mente beata; verùm hic tactus niſi ſit is, quo appetens & amans tangitur & mouetur ab expetibili & amabili, quid ſit, prorſus ignoro; nec, vt arbitror, ſatis intelligunt ij, qui ſunt eum commenti, nam, vt inquit Ariſtoteles in lib. 12. poſtnat. 36. ſolum intelligibile & appetibile mouet, cùm non moueatur; hinc Auerroes in epit. poſtnat. tract. 4. dicebat nullum reſtare modum, quo motores moueant corpora cæleſtia, niſi eum,

qui

qui eſt cognitionis & deſiderij, quoue forma & ſpecies rei expetitæ ciet appetitum; qui modus eſt præſtantiſſimus, & naturæ mentis beatæ aptiſſimus; nam cùm bonitas in huius natura hæreat, ſitq; infixa, conſentaneum eſt ipſam eo mouere modo, qui naturam boni comitatur: huius verò quoniam eſt ciere appetitum, adſuiq; amorem alia excitare, mens ſeparata cœlum mouebit ſua pulchritudine & bonitate ipſum alliciendo, ac ſine labore, ab omniq; motione libera huius ſtudium, curamq; excitabit ad ſui ipſius adeptionem. Sed & præter hæc ſunt alia, quibus mentem à materia ſolutam non eſſe cauſſam cœleſtis conuerſionis effectricem poteſt perſuaderi. Et primùm ſi mens ſeparata mouet cœlum tanquam huius motionis cauſſa effectrix, quæritur, nunquid ſuà eſſentiâ, an ſuâ poteſtate efficiat motum: Non eſt, vt per ſuam eſſentiam, quoniam in ea non eſt idem eſſentia, quod motus: ſin per poteſtatem, in mouendo fatigabitur; id quod nefas eſt; nam ſi in lib. 12. poſt nat. 51. mens diuina intelligit per eſſentiam, & non per poteſtatem, ne eius intelligentia coniuncta ſit labori, eodem modo mens ſeparata non mouebit per ſuam poteſtatem, ne in mouendo quandoq; laborem ſentiat: Huius ea eſt ratio, quia quod ſua poteſtate agit, id poteſt aliquando non agere; quod autem ſic eſt comparatum, vt poſſit modò agere, modò non agere, id in agendo fatigatur, & ne perſiſtat in opere, cauſſa eſt laſſitudo. Deinde ſi mens à materia ſegregata cœlum moueret per modum cauſſæ effectricis, virtus, quam ad mouendum adhibet, eſt ne finita, an infinita? Sanè fieri non poteſt, vt adhibeat vim finitam, quoniam quod eſt finitum, id non poteſt efficere motum infinitum & infinito tempore conſtantem lib. 8. phyſ. 78. Nec præterea infinitam, quia vt argumentabatur Ariſtoteles in lib. proximè recitato 79. conficiens fieri non poſſe, vt in magnitudine finita ſint vires infinitæ, vel cœlum in non tempore mouebitur, vel tempore æquali virtus finita & virtus infinita vnum & idem aut æquale mouebunt, quæ in abſurdis numerantur; primum, quoniam pugnat cum natura & eſſentia

motus,

motus, qui quòd in ſucceſſione partium poſitus ſit, tempus neceſſario poſtulat quo miniſtretur; alterum, quia vis amplior breuiore tempore ſemper mouet, & minor longiore. Alterutrum conſequi patet ex eo, quia virtus infinita finitam infinitè excedit, ita vt nequeat exuperantia aſſignari; quare ſi maior virtus ſemper mouet tempore breuiore, & minor longiore, aut in non tempore, aut tempore breuiſſimo mouebit vis infinita; quòd ſi tempore breuiſſimo, ſequitur, vt æquali tempore virtus infinita, ac virtus finita aliquid moueant, propterea quòd eo vſq; vis finita poteſt augeri, vt ad eam perueniat, quæ finita cùm ſit, eodem breuiſſimo tempore moueat, quo infinita. Si igitur mens ſeparata ad mouendum neq; infinitam, neq; finitam poteſt virtutem adhibere, hæc ſanè nõ efficiet motum per modũ cauſſæ effectricis. Demum non eſſe inducendam mentem vllam ſeparatam, quæ ſit cauſſa cœleſtis motus effectrix, ita poteſt perſuaderi. Quæcunq; æternitate continentur eorum non poteſt eſſe cauſſa efficiens; huius ea eſt ratio, quoniam cauſſa hæc tempore antegreditur id, cuius eſt cauſſa lib. 12. poſt nat. 16. & eo, quod eſt æternum, nihil eſt tempore antiquius; atqui de ſententia Ariſtotelis motus cœleſtis conſtat ab omni æternitate; non igitur fieri poteſt, vt huius vlla ſit cauſſa efficiens. Quorundam eſt reſponſio cauſſam cœleſtis motus effectricem tempore antegredi hunc motum habita ratione non quidem totius, ſed ſingularum partium, nam cùm ſingula fiant antè non exiſtentes, cauſſa ipſarum efficiens ſingulas tẽpore anteit. Hęc reſponſio quamuis authorem habeat Simplicium in prima digreſſione lib. 8. phyſ. aduerſus Philoponum, recta tamen non eſt, quoniam ſi efficiens omne tempore anteit rem, cuius eſt cauſſa, planè ſi vniuerſus cęleſtis motus non habet quicquam, quod tempore ſit ipſo antiquius, is vniuerſus non habebit cauſsã effectricem; at verò cùm idem nihil aliud ſit quàm ſingulæ ſuæ partes, & circulationes vnà iunctæ, nulla poteſt ratione fieri, vt harum ſingularum ſit cauſſa efficiens, quæ eripitur ipſarum vniuerſitati. Ad hæc cauſſa, quæ efficit proprietatem alicuius rei

naturæ

naturæ comitem, eſt illamet, quæ eſt cauſſa efficiēs ſubſtantiæ rei: nam quod formam tribuit, ea quoq; tribuit, quæ formam comitantur: atqui nulla eſt cauſſa efficiens cæleſtis ſubſtantiæ, quoniā quæ ſunt æterna, ea cauſſam non habent effectricem non igitur vlla erit cauſſa effectrix cæleſtis motus, qui eſt cæleſtis ſubſtantiæ proprietas. Huic argumento ne obuiam Pendaſius in com. lib. 8. phyſ. inquiens quod eſt cauſſa ſubſtantiæ, id quoq, eſſe cauſſam eorum, quæ ſubſtantiam conſequuntur, verùm non ſēper, quod eſt cauſſa ſubſtantiæ in vno genere cauſſæ, id in eodem genere eſſe quoq; cauſſam omnium ſubſtantiam conſequentium, nam ſubſtantiæ cauſſam eſſe poſſe per modum formæ aut finis; & conſequentium, ſi hæc ex iis ſint, quorum eſſentia poſita eſt in continuata partium generatione, per modum efficientis; quapropter mentem ſeparatam, quæ cauſſa eſt ſubſtantiæ cæleſtis per modum aut formæ, aut finis, eſſe cauſſam cæleſtis motus effectricem. Hic non rectè occurrit, quoniam cùm vna eademq; generatione producantur ſubſtantia & ſubſtantiæ proprietates, nullo pacto fieri poteſt, quod eſt cauſſa efficiens proprietatis, id non eſſe cauſſam ſubſtantiæ effectricem. Nec quicquam facit, quod motus fiat continenter, quoniam eadem ratione motus quo grauia & leuia feruntur ad loca ſuæ naturæ cognata, horum formā poſſet agnoſcere veluti cauſſam ſui effectricem, quod iure ac merito diſplicet in ea opinione exiſtenti, quæ ſtatuit cauſſam huius motus effectricem, eſſe aut id, quod generat, aut id, a quo, quod eſt impedimento, auferitur. Atq; hæc ſunt ea, quæ me induxerunt, vt crederem cælum moueri non à mente ſeparata tam quam à cauſſa ſuæ motionis effectrice, ſed gratia mentis ſeparatæ, huiuſq; amore flagrans, in qua omnis perfectio, omnisq; bonitas eſt ſita & collocata. Hæc verò cùm ſuam bonitatem perpetuò retineat, nec vllum immineat periculum ne hanc diperdat, aut huius faciat aliquid damni, ſeculis immortalibus à cælo expetitur, hocq; dum continenter exercet ad motum, virtus, quæ in ipſa eſt (vt Simplicius ſub exitum lib. 8. phyſ. & Proclus

in com. Timæi egregiè adnotarunt) infinita ſimpliciter, ac tota ſimul in ſeſe collecta, ſucceſſione in cæleſti corpore explicatur, & parte parti ſuccedente in actum traducitur, quòd fas non ſit vim infinitam, quæ tota ſit ſimul, finitæ magnitudinis corpori impertiri. Hoc placitum Theophraſto ac Syriano fuit probatum, quorum ille in lib. poſtnat. ſcribit à Deo veluti ab eo, quod expetitur, fluere lationem circularem, continuam, & irrequietam; hic Simplicio referente in lib. 2. de cælo com. 10. voluit propriam diuini corporis functionem eſſe immortalitatem, vitamq; ſempiternam, quippe quod conuerſum ad mentem, atq; intelligens hanc eſſe immortalem appetit immortalitatem, quæ eſt in ipſa, vt finem ac proprium bonum, huiusq; ſit compos verſans in perenni motu. Eiuſdem quoq; ſententiæ eſt in com. lib. poſtnat. Idem dogma tuetur Alexander, à quo in lib. 1. quæſt. nat. cap. 1. & cap. 25. traditum eſt poſt primam ſubſtantiam incorpoream, immobilem & æternam eſſe corpus diuinum, quod per animam mouetur ex deſiderio imitationis illius primæ ſubſtantiæ: atque cum his conſentiunt, quæ ab eodem ſcripta ſunt in lib. 12. poſtnat. com. 25. Nec ſecus ſentit Michael Epheſius in ſcholijs lib. de com. animal. motu; ac præterea Moyſes Aegyptius in lib. 2. illius operis, in quo multas variasq; tollit dubitationes, cap. 5. vbi Ariſtoteli tribuit, quòd ſenſerit cælos eſſe corpora animata intelligentia anima, atq; hac apprehendere & appetere ſuum conditorem. Ab his non diſſentit Auicennas in tract. 9. primæ philoſophiæ cap. 2. quem ſequitur Algazeles in lib. 1. philoſophiæ tract. 4. ca. 2. quo in loco ſcriptum reliquit cæleſtia corpora moueri per animã & voluntatem, quippe quæ deſiderant fieri ſimilia menti ſeparatæ: & nonnullis interiectis adiungit mentem | à | materia ſegregatam cælum mouere per modum finis & amoris, quoniam nullus eſt modus, quo motor immobilis poſſit mouere, niſi hic vnus, quo res amata mouet amantem. Demum, vt hanc diſputationem aliquando concludam, quandoq; placuit Auerroi cum his eſſe, qui in lib. de ſubſt. orbis cap. 4. & 6. virtutes, per quas

mo-

mouentur cœleſtia corpora, in duo genera diſtribuit, in quorum altero ponit virtutes corporibus coniunctas, hoc eſt cęlorum animas, quæ aliquod expetunt multò ſe præſtabilius, quæq; ex ſe ſunt finitæ virtutis; in altero mentem à materia & à magnitudine ſeparatam, quæ à cæleſti corpore per animam intelligentem & appetentem, qua præditum eſt, intelligitur, & expetitur, in cauſaq; exiſtit, cur cęlum infinitis ſeculis conuoluatur. Idem dogma apertiùs fuit amplexatus in lib. 12. poſtnat. com. 41. Scio, quid reſpondent, qui lesbia regula vtentes non ſe accommodãt verbis Auerrois, ſed contrà hæc detorquent ad ſuam opinionem, ſed non eſt, vt in his accuſandis labor ſumatur, quòd omnibus ſyncerè ac ſine odio & amore iudicantibus planè conſtet ipſorum explanationes non poſſe cum verbis Auerrois cohærere, & cum ijs præſertim, quæ initio tract. 4. epit. poſtnat. habentur. Hìc Auerroes, apertiſſimè ſtatuens primum motorem mouere cęlum vti rem illi ad expetendum propoſitam oſtendit hunc non eſſe corpus, vel virtutem in corpore hærentem, quòd fieri non poſſit, vt cælum per animam intelligentem id expetat, quod penitus non ſit à materia & à magnitudine ſegregatum. Verùm enim verò tametſi mens diuina ſit finis ſupremus, qui rebus cunctis optandus expetendusq; proponitur, attamen cauſa effectrix aliquo pacto poteſt appellari, tum quia finis, ſi latè accipiatur vox efficiens, in cauſis efficientibus poteſt numerari, quippe ex quo principium motus exiſtit, quo cauſa efficiens ad agendum impellitur, quiq; comprehenſus animo cauſæ effectricis huic eſt ratio & principium efficiendi; idq; Auerroes ſignificauit in lib. 12. poſtnat. com. 36. tum etiam quia cælum mouet, quod eſt propriè ac per ſe cauſſa efficiens communis eorum, quæ ortum & interitum ſentiunt; atq; id fuit obſeruatum ab Alexandro apud Simplicium ad calcem lib. 1. phyſ.

Explicatio eorum, quæ multos Peripateticos induxerunt, vt crederent Mentem à materia separatam mouere per modum efficientis. Cap. X.

Quanquam ex his clarum sit mentem à materia segregatã mouere cælum, vti id, quod ipsi tanquam finis & optabile est propositum ad expetendum, & non per modũ causæ efficientis, attamen non desunt argumentationes, quæ hæc videntur obscurare. Principio ex diuinæ mentis attributis, & ex natura vniuersi nemo non facilè sibi potest persuadere hanc mentem efficere motionem cælestem per modum causæ efficientis. In diuinis attributis hæc posita sunt, Bonum, Optimè se habens, forma abiuncta, & Princeps vniuersi, quæ singula si veniant in considerationem, cuiuis fidem facient mentem à materia solutam esse veram causam cælestis motus effectricem: Ac primùm quidem primum attributum magnam habet vim ad hoc persuadendum, quia boni est sese effundere, & cum alijs sese communicare: atqui mentis separatæ nulla erit ratio sese communicandi cum ijs, quæ in hac rerum vniuersitate continentur, nisi veluti causa efficiens tribuat cælorum motum, cuius beneficio cuncta quæ naturà constant, generãtur, & conseruantur. Deinde cùm mens beata optimè se habeat, par est hanc ex se aliquam actionem fundere, quòd, vt aiunt Academici, cuiusq; rei perfectio, & optima constitutio tribus contineatur, quæ sunt essentia, virtus, & actio: Hinc Aristoteles in lib. 7. Polit. cap. 3. scriptis mandauit Deum & totum mundum vix rectè se habere, si præter proprias functiones nullis fungantur externis actionibus. Præterea forma à magnitudine separata suâ naturà & essentiâ est actio: ergo non est, vt menti à materia solutæ adimatur actio efficiendi motum cælestem. Et si diuina mens à materia segregata est causa princeps vniuersi omnia conseruans, sin-

ſingula ordine diſponens, ac cunctis bona ſua impartiens, quis non fateatur ab hac cœli motum effici, qui rebus caducis & natiuis vitam affert atq; ſalutem? Iam verò ſi nobis ante oculos ponere voluerimus vniuerſi conſtitutionem, idem quoq; intelligemus: Enim verò quæ ratio eſt in paruo mundo, eadem eſt in magno: atqui in homine, qui paruus mundus appellatur, cernere eſt nullam eſſe animæ vim, quę ſit otioſa, nihilue agat; & illã, quę princeps eſt, ac cęteris dignitate anteſtat, eſſe primum principium illius motus, quo agitur corpus vniuerſum; ergo & in hoc magno mundo mens beata, cui rerum omnium traditus eſt principatus, cauſſa efficiens erit illius motionis, qua totum agitur vniuerſum. Adhæc ſi multos variosq; Ariſtotelis locos voluerimus expendere, ex his idem intelligemus; nã in lib. 2 phyſ. 73. mouens naturaliter diuiditur in naturale, & in id, quod non eſt naturale, atq; hoc affirmatur mouere, cùm non habeat in ſe principium motus, vt id, quod eſt penitus immobile, omniumq; primum, hoc enim mouet, & non mouetur: Ergo quoniam hæc diuiſio eſt efficientis partitio, quod Alexander quoq; Simplicio teſte putauit, in eamq; cadit mens à materia ſeparata, quæ motor eſt immobilis, hæc profectò erit cauſſa effectrix cœleſtis conuerſionis. Cum his conſentiunt, quæ in lib. 1. de gen. & int. 14. ſcripta ſunt, quo in loco exquiruntur cauſſæ generationis æternę, & cauſſa, vnde principium motus eſſe dicitur, in eam diducitur, quæ omni tempore manet immobilis, & in eam, quæ ſemper in motu poſita eſt. Quinetiam mentem à materia ſolutam eſſe cauſſam efficientem cœleſtis motionis fidem faciunt argumentationes, quibus in lib 8. phyſ. inueſtigantur primi motoris attributa, qui eſt mens à materia ſegregata. Hoc in lib. cùm alia, tum hæc tria primo motori tribuuntur, primum, quòd ſit immobilis; alterum, quòd ſit vnus; tertium, quòd ſit magnitudinis expers. Primum ea ratione colligitur, quòd in mouentibus res abeat in infinitum oportet, niſi ad vnum primum mouens aſcendatur, quod ſit penitus immobile; in hac oſtenſione mouens

ſigni-

ſignificare Ariſtoteli cauſſam motus effectricem tam certum eſt, quàm quod maximè. Secundum hoc modo concluditur: Demonſtratum eſt ſemper neceſſario eſſe motum; quòd ſi neceſſe eſt ſemper eſſe, oportet continuum eſſe; & ſi continuus eſt, vnus nimirum eſt; vnus autem motus à mouente proficiſcitur vno, & vnius mobilis eſt, nam ſi aliud & aliud mouebit, totus ipſe motus non continuus, ſed deinceps erit. Mouens aſſumptum in hac argumentatione eſſe cauſſam motus effectricem illud perſuadet, quòd ab hoc motus vnitas fluit, ac continuitas. Tertium & poſtremum, quod eſt primum mouens non hærere magnitudini, oſtenditur, quoniam motus fieret temporis momento, cùm primũ mouens vim habeat infinitam; qua demonſtratio leuis eſſet, ſi vti finis, & non tanquam efficiens moueret, quoniam ſi moueat vti finis, non oportet ipſum ex tota ſua facultate mouere, ſuiſq; viribus vniuerſis vti, atque idcirco in non tempore mouere, ſed tantum, quantum expetitur. Poſtremò niſi mens à materia ſecreta ſit motor, à quo proximè, nullaq; anima interiecta cælum conuertatur, neutiquam Ariſtoteles poſſet in lib. 12. poſtnat. ex orbium & lationum numero colligere numerum ſubſtantiarum ſeparatarum; quoniam ſi à mente ſeparata tanquam à fine proficiſcitur motus, & non tanquam à cauſſa effectrice, cùm multa vnius finis gratia poſſint ſuos curſus conficere, vnica etiam mens eſſet ſatis, qua veluti finis & id, quod eſt expetendum, cælos omnes ad motum concitaret. Præter hæc alia multa poſſent afferri, ſed hæc omnium maximè creduntur momentum habere, quę ſi à nobis probè fuerint explicata, non erit aſylum, ad quod ſe recipiant aduerſarij.

Solutio

Solutio eorum, quæ videntur perſuadere mentem à materia ſeparatam mouere per modum efficiens. Cap. XI.

QVi ex diuinis attributis conantur perſuadere mentem ſeparatam eſſe veram cauſſam effictricem cæleſtis motionis, hi tantum abeſt, vt quod optant, conſequantur, vt ex his nihil minus, aut etiam contrarium concludatur. Primùm inquiunt mentem diuinam eſſe ſummum bonum, cuius eſt ſeſe effundere; id libenter damus; verùm adiungimus hanc mentem ea ratione ſeſe effundere, & cum ijs, quę extra ſe poſita ſunt, ſeſe communicare, quę boni eſt propria; atqui boni eſt ciere appetentiam, atque per modum finis & optabilis mouere; ergo hinc neceſſariò conficitur mentem beatam per modum finis, & non per modum efficientis cælum mouere, atque hac ratione cum rebus huiuſce vniuerſitatis ſeſe communicare. Adiungunt mentem ſeparatam optimè ſe habere; atqui ex hoc quiuis haud difficulter ſibi & alijs perſuadebit hanc mentem extra ſe nullã actionem effundere, quando quidem in lib. 2. de cælo 64. ei, quod optimè ſe habet, ineſt ipſum bonum ſine vlla actione: Hinc Simplicius in huius loci enarratione ſcripſit, quoniam agentes cauſſa ſunt huiuſmodi, vt in ſuis actionibus finem aliquem ſibi conſtituant, & boni alicuius cupiditate trahantur, id, cuius optimus eſt ſtatus, citra omnem motum, actionemq; conſiſtere, bonumq; habere. Quapropter quòd mens ſeparata optimè ſe habeat, non eſt, vt colligatur hanc per modum efficientis cælum conuertere; ſed contrà concludendum eſt ipſam nihil agere eorum, quæ motu & actione externa peraguntur. Quòd hi putent Ariſtotelem in lib. 7. polit. cap. 3. tribuere Deo actiones externas, mentiuntur, tamq; longè aberrant à ſententia Ariſtotelis, quàm qui maximè. Hic cùm dixiſſet felicitatem in rectè agendo conſiſtere, atque in hoc ſitum eſſe optimum reſpublicæ ſtatum; quoniam nonnulli exiſti-

existimabant illos solos agere, quorum actiones in rebus externis versantur, subiunxit eos quoque agere, qui contemplantur, quiq; extra se nihil moliuntur: Id autem hinc confirmat, quia Deus & totus mundus non rectè se haberent, quòd hic & ille præter actiones proprias nullis actionibus externis fungantur: etenim Deus contemplationi duntaxat vacat sine vlla ad externas actiones deflexione; & mundus omnia suo amplexu continens non agit extrinsecus, cùm extra ipsum nihil sit, quod eius actionem sustineat. Itaque si illi tantùm agerent, quorum actionibus res externæ subijciuntur, nec Deus, nec mundus vniuersus ageret, & quod sequitur, nec ille beatus esset, neque hic benè se haberet, quòd in rectè agendo posita sit beatitudo, & optima reipublicæ constitutio. Hac igitur cùm sit huius loci sententia, liquet Aristotelem nequaquam sentire Deum, & totum mundũ vix rectè se habere, si præter actiones proprias nullis externis actionibus fungantur, sed oppositum affirmare, atque putare Deum & mundum præter suas, & proprias actiones nullam extra se actionem fundere: Qua re hic locus non modò non fauet aduersarijs, & destruit nostrum dogma, vt contrà huic non mediocriter opituletur, & illis mirabiliter aduersetur, quòd ex eo intelligatur Deum optimè se habere absque vlla actione exteriore. Equidem hic præstantissimam habet functionem, in qua perpetuò positus vitam viuit beatissimã, verùm hæc functio non est motus cæli, sed sui ipsius contemplatio, qua nihil iucundius, nihil melius, nihil præstabilius potest cogitari. Est præterea mens beata forma separata à materia, verùm si in hac idem est essentia, quod actio, planè non perspicio, qua ratione hinc conficiatur cæli motum esse præcipuam mentis beatæ actionem, quin immo potiùs contrarium necessariò colligitur, quòd motus cælestis est actio ab essentia mentis beatæ diuersa, penitus diuidua, atque transiens in id, quod extra positum est. Quamuis verò nemo non fateatur mentem diuinam à materia separatam esse totius vniuersi principem, non est tamen, vt hanc ob caussam ei tribua-

tribuatur actio efficiendi motum in cœleſti corpore, quoniam cùm hæc mens ſit ille ſupremus finis, ad quem omnia referuntur, ipſe verò nuſquam longè commodius hac ratione ſuum tenet principatum, ſuamq; tuetur dignitatem, quàm ſi aliquo in opere fuerit occupata: Atque id perſpicuè voluit Numenius, qui in lib. de bono Deum primum omnium regem induxit ab omni opere ceſſantem; idemq; ſenſerunt omnes Pythagorici, qui propterea Philone authore in lib. de mundi opificio tradiderunt numerum ſeptenarium Dei ſimilitudinem gerere; enim verò cùm cernerent ſolum ſeptenarium præ omnibus numeris non excedentibus denarium hac dignitate pollere, vt neque ex alicuius alterius numeri duplicatione naſcatur, neque infra denariũ pariat quemquam, atque perſuaſum haberent ſupremum mundi principem nec mouere, nec moueri, & quod ſequitur, nec gignere, nec gigni, ſatis accommodatè ſibi perſuaſerunt hunc numeri in ſe Dei imaginem continere. Quinetiam Platonici Deum primum quem Vnum & Bonum appellant, voluerunt eſſe finem, ad quem referuntur omnia, atque immotum manere, & extra nihil rerum gerere. Sed hæc miſſa faciamus, conſideremusq; nunquid argumentum, cuius fundamentum eſt Vniuerſi conſtitutio, ſit huius modi, vt ex ipſo aliquod commodum capiant aduerſarij: Et primùm falſum eſt vim animæ præſtantiſſimam eſſe principium motus, quo totum agitur corpus; nam vim hanc eſſe mentem ſpeculatricem non nemini cognitum eſt, quam non eſſe alicuius motus in homine principium ſtatuit Ariſtoteles in lib. 3. de anima 46. Nec præterea mens, cui ex actione factum eſt nomen, in nobis ſemper eſt principium motus, ſed quandoq; vis imaginatrix hoc fungitur munere lib. eodem 48. Hæc verò & illa non mouent, niſi appetitus accedat; ex quo fit, vt hic ſit proximum principium motus, & animal ea ex parte, qua præditum eſt vi appetendi, ſe ipſum moueat lib proximè recitato tex. 56. Deinde ratio, qua homo dicitur mundus paruus, non eſt in hoc poſita, quia in ipſo multæ variæq; ſint animæ vires, quarũ

ſint actiones propriæ, & ea, quæ princeps eſt, largiatur motum vniuerſo corpori; nam cùm nomine mundi, cuius homo ſimilis eſt, intelligenda ſit corporum vniuerſitas, non eſt, vt in explicandis mundi, & hominis ſimilitudinibus animæ virium ratio habeatur, quæ non ſunt corporis partes; quemadmodum quoque non eſt, vt mens à materia ſoluta veniat in conſiderationem, quæ non eſt corpus, aut corporis pars. Quod dicitur de viribus animæ, quarum nulla eſt otioſa, ac de primo principio motus, id de partibus corporis multò aptiùs hunc in modum explicabitur: Vt in paruo mundo nulla eſt pars, quæ ſit otioſa, & cuius non ſit actio, ita in magno mundo nullum corpus eſt ponendum, cui à natura non fuerit aliqua muneris functio impertita: Et vt in paruo mundo cor, quod eſt pars illus princeps, cæteris cauſſa eſt, vt moueantur, ita in magno mundo cælum cui traditus eſt ſummus dignitatis locus, eſt primum principium motus in ijs omnibus, quæ illius amplexu coercentur, quæq; vi illius reguntur. Cæterùm hominem & mundum inter ſe ita comparare non magnoperè probo, quoniam hac ratione nullum eſſet animal, cui aptè non congrueret parui mundi appellatio. Itaque arbitror quemadmodum mundus ex ornatu, & perfecta elegantia inuenit tam apud Græcos, quàm apud Latinos nomenclationem, ita & hominem cuius corpore nihil ornatius, nihil pulchrius cadit in oculorum ſenſum, parui mundi nomen reportaſſe. Porrò quamuis hic mundi parui nomine non indignus fuerit iudicatus, ab re tamen non erit, ſi dixerimus hunc eſſe magnum vniuerſum: Enim verò tota mundi machina, quoniam corpora vniuerſa, quæ ſenſu accipiuntur, ſuo amplexu continet, nomen vniuerſi eſt adepta: at ſi animam hominis voluerimus intueri, cùm hæc ſit aptè nata fieri non ſolùm, quæ ſenſibus comprehenduntur, verùm etiam quæ cadunt in intelligentiam, ſolaq; mente percipiuntur lib. 3. de anima 37. magni vniuerſi nomine non inſciè obſignabitur homo: Itaque hic ex corpore, quòd paruus mundus appelletur, eſt conſequutus, & ex anima, quòd magnum

gnam vniuerſum : Inter has appellationes illud intereſt, quòd prior ex corpore petita actu tribuitur homini, poſterior ducta ex anima poteſtate, nam hominis anima non actu eſt omnia, neque omnia actu ſentit, & intelligit, ſed poteſtate. At hæc ſunt alterius contemplationis. Teſtimonia ex lib. 2. phyſ. & lib. 1. de gen. & int. decerpta probant proculdubio mentem ſeparatam eſſe cauſam effectricem; id autem quo ſit modo, ſupra fuit explicatum, nempe mentem hanc vocari cauſſam effectricem, tum quia finis aliquo modo eſt in numero cauſſarum efficientium, tum etiam quia motum affert cæleſti corpori, quod eſt propriè ac præcipuè cauſſa efficiens eorum, quæ oriuntur & occidunt. Mouens illud, quod aſſumitur in demonſtratione nos ducente ad vnum mouens immobile, accipiendum eſt indefinitè pro omni, quod quocunque modo eſt principium motus: Non enim huius eſt loci aperire modum, quo primus motor mouet, cùm ſit immobilis: Et verò finem eſſe principium motus conſtat & ex eius diffinitione, & ex ijs quæ de eo, quod in animantibus eſt principium motus, in lib. 3. de anima, & in lib. de communi animal. motu ab Ariſtotele traduntur. Altera demonſtratio, qua oſtenditur ſecundum attributum, magnam & ipſa habet firmitatem, ſi mens beata inducatur, quæ moueat vt id, quod expetitur: Id illud confirmat, quoniam ſi finis alius atque alius cælorum motui conſtituatur, & alius alij ſuccedat, mouendi functio interrumpetur, atque quia finis alius & alius eſt, motus non nihil accipiet varietatis: ergo ſi motus eſt vnus futurus atque continuus, neceſſe eſt mouens veluti quoddam optabile ſemper vnũ idemq; eſſe. Proxima eſt tertia argumentatio, ex qua tantum abeſt, vt intelligatur primum motorem à materia ſeparatum mouere per modum efficientis, vt id ſi ponatur, nulla ſit ratio euadendi ex difficultate, quam vt explicarent, multum opera poſuerunt omnes huius loci explicatores. Ea eſt, quoniam hac argumentatione, qua vis infinita eijcitur ex magnitudine finita, tollitur quoque vis infinita à magnitudine ſeparata, quando quidem nõ

minus hæc, quàm illa sit motura temporis momento Auerroes in huius loci commentarijs, ac præterea in lib. de subst. orbis cap. 3. & alijs in locis affert hanc explicationem : Infinitæ potestatis vocabulum duplici notione accipi potest, nam interdum significat vim, vel efficiendi, vel patiendi sine temporis fine, quam durationem & permansionem infinitam dicimus, & interdum vim, quæ in modo actionis & perpessionis præsefert infinitatem, quamq; si fuerit in actionis modo, robore infinitam appellamus. Hæc secunda species infinitatis, quæ ad modum actionis, aut perpessionis pertinet, in nullo vel caduco, vel æterno corpore consistit, nec alicui potestati sine magnitudini copulatæ, sine magnitudinis experti est imperitia : Existere tantùm posset in corpore infinito, verùm id nullum obtinuit locum in rerum vniuersitate. At prima infinitatis species vel efficiendi, vel patiendi infinito tempore corporibus cælestibus fuit imperita, nam hæc recipere sine fine temporis motum queunt, quoniam sunt simplicia, & non compacta ex forma & materia; & ipsorum anima similiter sine temporis fine possunt motum efficere, quoniam non per subiectum, sed per se, suisq; viribus constant : Corporibus autem caducis ista infinito tempore recipiendi, atque efficiendi vis non fuit concessa, quòd ex forma & materia sint conflata, & compositum omne aliquando dissoluatur, sit necesse. Quoniã igitur vis à magnitudine separata, quæ in corpore cælesti motũ tempore infinito, & est ipsius anima, non est infinita in actionis modo, sed duratione tantùm, non sequitur, vt cæli motus temporis momento agatur : Et verò hæc vis cælum mouens infinito tempore si magnitudini esset affixa, momento temporis moueret, quoniam vim corpoream infinito tempore mouentem oportet in ipso actionis modo esse quoque infinitam, atque ita momento temporis mouere : Ea est ratio, quia vis huiusmodi corporea non potest consistere nisi in magnitudine infinita, quam certum est habituram esse potestate robore infinitam: enim verò si hæreat in magnitudine finita, eueniet, vt crescente hac magnitudine crescat

ſcat vis illius, quæ amplificata mouebit tempore diuturniore, quàm ſit infinitum, quod eſt abſurdum : Id ſequi inde patet, quòd confeſſum eſt omnibus vim maiorem diuturniore tempore ſemper mouere, quàm moueat vis minor : Ergo cùm corpus omne finitum adiectione rei ſimilis ſuſcipiat incrementum, eoq; creſcente creſcat vis hærens in ipſo, ſanè ſi augeatur vis hæc in magnitudine ſita, ſequitur, vt maior facta moueat tempore diuturniore, quàm ſit infinitum. Sentit itaque Auerroes Ariſtotelem hoc in loco conficere vim tempore infinito mouentem non eſſe in magnitudine, atque ad hoc abſurdum, motũ videlicet fieri temporis momento aduerſarios adigere, quòd hæc vis magnitudini fuerit affixa, neceſſariò ſit quoque poteſtas vigoris infiniti: Hoc autem abſurdum non ſequi, ſi hæc virtus fuerit incorporea, quoniam non ſequitur, ſi ſit aliqua vis diſiuncta à magnitudine, qua moueat tempore infinito, hanc vim & poteſtatem eſſe roboris infiniti. In hac Auerrois explicatione multi ſunt errores, ſed quoniam hos longa oratione perſequi huius nõ eſt loci, neque temporis, hoc vnum dicam. Vana eſt illa neceſſitas, qua adductus Auerroes ſtatuit vim mouentem tempore infinito, ſi hæreat magnitudini, habituram eſſe roboris infinitatem; non enim ſequitur, ſi vis hæc conſtituatur in magnitudine finita, & amplificata moueat diuturniore tempore, quàm infinitum, quoniam cùm nihil ſit diuturnius tempore infinito, ſatis eſt hanc celerius efficere motum, ac antè efficiebat. Id patet in animis cælorum motricibus, quæ ſingulæ ad Auerrois ſententiam ſunt finitæ in actionis modo, cælosq; mouent tempore infinito : atqui cùm harum aliæ ſint virtute maiori praditæ, & aliæ minori, profectò ſi verum eſſet, quod ſumitur ab Auerroe, oporteret, quæ plus habent virtutis, has diuturniore tempore, quàm ſit infinitũ mouere, quòd quibus eſt minus virtutis, ha moueant tempore infinito; & virtus maior diuturniùs moueat, atque minor. Reſpondebit forſitan maius & minus, finitum & infinitum de ſolis magnitudinibus, atque corporibus dici, & non de ſubſtantijs ac

rebus

rebus incorporeis, ac proinde animarum cœlestium, quæ sunt mentes à materia separatæ, aliam alia non esse maiorem, aut minorem, vel maioris, aut minoris virtutis. Si ita respondeat, quemadmodum videtur respondere in lib.8.phys.com.79.aduersabitur, & Aristoteli monstranti primum mouens esse sine magnitudine, vimq; habere infinitam; & sibi ipsi, quippe qui in huius loci commentarijs, in lib.2. de cœlo com.71. in lib.de subst. orbis cap. 3. & alibi finiti & infiniti vocabula ad virtutes cœlorum motrices à materia separatas accommodauit: Et sanè si nullum maioris aut minoris perfectionis & virtutis discrimen in his mentibus cœlorum motricibus reperiretur, nulla poterit ratio afferri, cur dissimili motionis celeritate suos orbes conuertant; atque ea, quæ maximo supremoq; orbi præsidet, multò celeriùs suum motum conficiat, quàm cæteræ minoribus globis assidentes. Sed id ita videtur certum, vt superuacanea sit longior confirmatio. Equidem non negauerim hæc vocabula propriè vsurpari in rebus corporeis, quod finitum & infinitum, magnũ & paruum per se sint quantitatis affectiones, attamen nihil vetat, quo minus ad ea, quæ corpore vacant, accommodentur, atq; his inter se collatis aliam habere maiorem virtutem, & aliam minorem asseueremus. Auerrois sectatores, vt Achillinus in lib.de intelligentijs, Zimara in Theor.61. & alij cùm forsitan intelligerent huius explicationis Auerrois imbecillitatem, aliã excogitarunt: Hi recipientes virtutis infinitæ distributionem in eam, quæ est secundum temporis perennitatem, & in alterã, quæ est secundum actionis aut perpessionis modum; sentientesq; præterea mentem diuinam esse roboris finiti, durationis verò infinitæ, atque idcirco non sequi, vt cælum in non tempore moueatur ab ea, scripserunt, si aliqua virtus esset in magnitudine, quæ æterno tempore moueret, hanc esse habituram vim infinitam in actionis modo, siue secundum robur; quia virtus in magnitudine consistens habet contrarium, & mouendo fatigatur; qua re si virtus hæc moueat tempore perenni, necesse est, vt eius vis sit

roboris

roboris infiniti, quo valeat cauſſis interitus ac laſſitudinis perpetuò reſiſtere. Hi, quos ſequitur Zabarella in com. lib. 8. phyſ. non ſatis attento animo hanc rem conſiderarunt, nam oportebat eos attendere illum, qui in magnitudine mentem motricem poneret, non talem magnitudinem huic eſſe tributuram, quæ habeat contrarium ducens ad interitum, ſed ætheream, atque expertẽ contrarietatis, & ab ortu interituq; liberam: Quapropter hæc mens vi infinita, quæ contrarijs interimentibus reſiſtat, non egeret: Nec præterea eſſet periculum eandem mouendo fatigari, quia mouens, qua ex parte mouet, non incurrit in laſſitudinem, ſed quà mouendo patitur, fitq; obnoxium alicui perpeſſioni: In hanc verò incurrit, ſi quod mouetur, non ſatis fuerit idoneum, quod eo motu cieatur, poteſtatemq; habuerit contrarium motum excipiendi: verùm ſi mens motrix affixa magnitudini tribuat motum, conſentaneum eſt ipſam hunc efficere in magnitudine aptè nata ad ipſum excipiendum, nec vllam habente poteſtatẽ, qua alij motui ſubijciatur. Dixerunt alij in formis materiatis infinitatem temporis non diſiungi à roboris infinitate; atque huius eam eſſe rationem, quoniam quod longiori tempore mouet, id vires habet ampliores. Hæc nullius ſunt momenti, quoniam eadem ratione confici poteſt in à materia diſiunctis temporis infinitatem non conſtare abſque robore infinito, quando quidem in his quoque par eſt, quod mouet diuturniùs, id plus virtutis habere: Quamobrẽ non in ſolis formis materiatis roboris, & temporis infinitates ſeſe conſequuntur, nec ad ſententiam Ariſtotelis virtus primi motoris eſt ſimpliciter infinita ex hac hypotheſi, ſi hæreat in magnitudine, & ſit virtus materiata, ſed per ſe, ſudq; naturâ. Id cùm D. Thomas non ignoraret, vt ab hoc nodo ſeſe expediret, dixit virtutem ſimpliciter infinitam à magnitudine diſiunctam non mouere temporis momento, quoniam cùm mente ac voluntate vigeat, non mouet, quantum poteſt, quo pacto mouent, quæ more naturæ in ſuis functionibus verſantur, ſed quantum fert eius voluntas, quantumq; intelligit expedire; at

verò

verò eandem magnitudini hærentem necessarium est temporis momento mouere, quia suam vim vniuersam adhibet, tantumq; mouet, quantum potest mouere. Sed & hæc explicatio, non est, vt multi fiat, quoniam ea concessa ruet Aristotelica argumentatio, qua conficitur vim simpliciter infinitam non posse magnitudini hærere, nam cùm vis hærens magnitudini possit non solùm more naturæ fungi suo munere, sed etiam liberè ac voluntate duce, cuius rei fidem facit anima nostra intelligens, respondebit aduersarius virtutem simpliciter infinitam magnitudini hærentem esse ex numero illarum, quæ agunt liberè, & quantum expedit, ferèq; ipsarum voluntas; quocirca non sequi, vt temporis momento tribuat motionem. Quòd si D. Thomas dixerit Aristotelis propositum esse vim simpliciter infinitam monstrare magnitudini non hærere, sic vt ex ipsa pendeat, nec vllo pacto queat ab ipsa separari, cuius modi quæcunque sunt virtutes, hæ omnes mouent more naturæ, ac natura impellente in suis functionibus versantur, illud incommodum præstò erit, quòd ab Aristotele non fuisset ostensum primum motorem esse absoluè, ac simpliciter à magnitudine disiunctam, quando quidem eius argumentatio non est huiusmodi, vt prohibeat, quominus motor primus possit esse in magnitudine eo modo, quo intelligens hominis anima in corpore existit. Quapropter ne Aristotelis argumentatio suam amittat efficacitatem, concludendum est, si statuatur cælum moueri à primo motore, mentemq; separata tanquã à caussa effectrice, necessariò futurum esse, vt cælum temporis momento moueatur, quod cùm sit falsum, existimandum est primum motorem non mouere per modum caussæ efficientis. Porrò quamuis hoc ita sit, firmissima tamen est Aristotelis argumentatio, idq; ex his dilucidum erit. Potestas mouendi, vel à corpore & magnitudine est soluta, vel est corpori & magnitudini affixa: Inter has potestates illud interest, q potestas prior vacans corpore non potest mouere nisi per modum finis, quippe quæ moueat, cùm sit immobilis; at posterior, qua in magnitudi-

ne

me conſiſtit, non ſolùm per modum finis, ſed & per modum cauſſa efficientis poteſt motum tribuere. Amplius inter has illud eſt diſcrimen, quia poteſtatem à corpore ſeparatam non eſt neceſſe mouere quantum poteſt, ſed quantum expedit, quod tantum moueat, quantum expetitur. Nec aliquis obijciat inanem fore hanc poteſtatem, ſi nunquam tota exeat in actum, quoniam hæc vis non mouet quia ſit cauſſa effectrix, ſed quia finis: & quoniã hæc vis eſt natura ſe ipſa contenta, neque illi quicquam accedit, ſi moueat, nec ex illa quicquam decedit, ſi non moueat: At poteſtas, quæ citra magnitudinem non ſubſiſtit, ſi eueniat, vt in mouendo ſubeat rationem cauſſæ efficientis, neceſſe eſt, vt ſemper, aut aliquando moueat, quantum poteſt; alioquin niſi vniuerſa aliquando ducatur in actum, pars otioſa erit inanis, & ſuperuacanea, quippe cuius nulla ſit actio, nullumq; opus. His fixis non eſt arduum cognoſcere Ariſtotelicæ argumentationis firmitatẽ: Si primus motor eſſet virtus magnitudini coniuncta, cælum moueret veluti cauſſa effectrix pellendo, aut trahendo, nec ſecus ac nauta moueat nauigium, aut figulus rotam: Huius conſequutionis ea eſt ratio, quoniam cùm duæ ſint rationes efficiendi motũ, per modum finis, & per modum efficientis, atque primus motor, ſi ſit virtus materiata, nequeat cælum mouere vti id, quod cietappetitum, quoniam quod eſt cælum moturum per modum finis, & expetibilis, id oportet cælo dignitate anteire, & cælo nihil eſt præſtabilius præter id, quod eſt à corpore & à materia ſolutũ, relinquitur, vt is moueat cælum per modum efficientis, & quidẽ pellendo aut trahendo; nam vt ait Auerroes in tract. 4. cpii. poſtnat. ſi primus motor ſit virtus materiata, neceſſarium erit ipſum hærere magnitudini, quæ ab eo, quod mouetur, ſit diſiuncta, quoniam in vnoquoque diuiſum eſt id, quod mouet, ab eo, quod mouetur lib. 8. phyſ. 30. quod autem mouet, cùm ſit abiunctum ab eo, quod mouetur, neque eſt huius generator, vel id, quod amouet impedimentum, id planè mouet pellendo, aut trahendo. Verum enim verò quoniam huius virtus eſt ſimpliciter infinita, totaq;

ſimul in ſeſe collecta, conficitur, vt vel cæli motus temporis momento perficiatur, vel in æquali tempore virtutes finita, & infinita idem aut æquale mobile moueant. Atque hoc modo mihi perſuadeo explicandam eße Ariſtotelicam argumentationem, quæ ſi aliter fuerit expoſita, ne explicator in multis offendat, mognopere vereor. Ex his alter modus occurrit explicandi omnes locos, ex quibus ſupra fuit confectum Ariſtotelem primum motorem induxiße tanquam mouentem per modum efficientis, quiq; eſt Ariſtotelem in his aßumere primum motorem mouere per modum efficientis; nam cùm primus motor ſi ſit in magnitudine, non poſſit mouere cælum, & eſſe cauſſa primi motus, niſi per modum efficientis, atq; nondum fuerit oſtenſum hunc eſſe ab omni magnitudine vacuum, licuit Ariſtoteli his in locis illud aſſumere, quod neceſſariò cadit in primum motorem, ſi hic ponatur magnitudini coniunctus, & præſertim quoniam id, quod concluditur, æquè ſequitur, ſiue per modum finis, ſiue per modum efficientis moueat primus motor. His accedit, quòd cùm motor per modum finis, vt ſupra dicebamus, priſcis philoſophis incognitus fuerit, atque Ariſtoteles intelligeret, quæ de motore primo monſtrantur, ea ſequi, quocunque modo ſubeat rationem mouentis, placuit illi his in locis, atque in his oſtenſionibus aſſumere primum motorem mouere per modum efficientis; quod tametſi non approbat, fuit tamen id in veterum philoſophorum opinione, à qua vt recederetur, hic locus non ſatis videbatur idoneus, quòd eius non ſit aperire modum, quo primus motor eſt cauſſa primi perpetuiq; motus. Atqui hæc ſupra ſatis copioſè fuerunt explicata. Reſtat poſtremum argumentum, cui quo modo ſit occurrendum, ſtabilito mentium ſeparatarum numero erit perſpicuum.

De

De numero mentium à materia ſeparatarum variæ Peripateticorum opiniones. Cap. XIII.

CAuſſa explicata, quæ Ariſtotelem ac Peripateticos induxit, vt locum tribuerent menti à materia ſecretæ, inueſtigemus nunc, an hæc ſit vna ponenda, vel in multas diſtribuenda. Alexander librorum poſtnat. explicator putauit tot eſſe mentes ſeparatas, quæ moueant, vti fines, quot ſunt globi cæleſtes, & animæ appetentes, ita vt ſingulis globis, ſingulisq; animis reſpondeant ſingulæ mentes expetibiles. Hanc opinionem plerique approbant, & confirmant, quòd Ariſtoteles in lib. 12. poſtnat. ſtatuat tot eſſe ſubſtantias naturà perpetuas, & per ſe immobiles, quot ſunt lationes corporum cæleſtium: Enim verò cùm multæ, ac variæ ſint cæleſtes conuerſiones, & animæ appetentes, conſentaneum eſt ad proximos fines diuerſos has referri, atque idcirco ſingulis lationibus, ſingulisq; animis appetentibus ſingulos fines, ſingulaq; bona expetibilia eſſe propoſita. Nec verò inquiunt hi exiſtimandum eſſe aliquas ſubſtantias à materia ſolutas reperiri, quæ per ſe conſtent, & nulli motum afferant, quoniam cùm quicquid eſt à materia ſeparatum, ſit optimum atque expetendum, quippiam ſit, oportet, quod eius deſiderio trahatur, & ad illud referatur, quòd omne expetibile alicui appetenti eſt propoſitum ad expetendum: Ergo ſi præter mentes ſeparatas, quæ illis orbibus ſunt propoſitæ, qui ab Eudoxo, Callipo, & Ariſtotele fuerunt poſiti, eſſent aliæ, hæ cùm ſint expetibiles, aliqua quoque corpora in rerum natura conſtarent, quæ has expeterent, & propter has motu cierentur. Porro tametſi huiuſmodi mentes ſint multæ, attamen inter has ſtatuunt huius opinionis fautores vnam eſſe altiſſimam, ſub qua veluti ſub principe cæteræ continentur. Alij his, quæ ſingulis globis cæleſtibus aſſident, alteram adiunxerunt, qui in varias opiniones ſunt

distracti. Placuit quibusdam hanc inducere, quæ sit reliquis omnibus præstantior, nulliq; globo addicta. Hi cum has mentes singulares esse bona singularia animaduerterent, ac veluti peculiares, proximosq; fines cœlestium corporum lationibus esse constitutas supra eas, dixerunt alteram omnium diuinissimam reperiri, ex qua tanquam ex fonte vis ad reliquas omnes post ipsam emanat, quaq; nulli lationi peculiariter dicata æquè omnibus communis est, & ab omnibus separata, atque hanc meniẽ esse illum finem supremum maximè optabilem, quem omnia petunt, & cuius gratia agunt, quæcunq; naturà suis funguntur muneribus; cùm enim non sit alicui tanquam proprius finis præstituta, æquè vniuersis communem esse, suiq; desiderio trahere vniuersa. Adiecit Moyses Aegyptius non esse rationi consonũ causam primam eiusdem ordinis esse, ac dignitatis cum effectis; quapropter quoniam reliquæ mentes sunt à prima procreatæ, non esse consentaneum hanc perindè, ac reliquas mentes mouere aliquem orbem veluti proximum finem ei constitutum ad appetendum, sed supra mentes cælorum motrices positam esse, ac veluti summum finem omnia singulari quodam & ineffabili modo mouere. Hanc opinionem Aristoteles videtur approbare in lib. 2. de gen. & int. 61. quo in loco scribit, si multi sint motus orbiculares, multa esse mouentia immobilia, atq; hæc omnia esse sub vno capite, primoq; principio. Hic præterea cum eadem opinione videtur facere ad calcem lib. 12. postnat. vbi de vna mente tradita sunt multa, constitutumq; est præter vniuscuiusque bonum esse bonum alterũ extra vniuersum, cuius gratia agunt omnia, quæcunque naturà agunt. Alij huic menti locum inferum adscripserunt, eamq; posuerunt illis omnibus, quæ ætherei s corporibus præsident, nobilitate cedentem, qui inter se sunt diuisi. Nonnulli hanc appellant mentem non errantem, qua regendo caduca, atque ad fines proprios mouendo præest huic materiali rerum vniuersitati. Auerroes in lib. 3. de anima com. 5. inducit hanc mentem humanæ sphæræ addictam, atq;

in

in cunctis hominibus principium intelligendi, quam opinionem Theophraſtus, Themiſtius, & (vt quidam arbitrantur) Simplicius videntur priùs habuiſſe; quanquam hi inter ſe, & ab Auerroe in multis diſcordent. At Auicennas ſentit hanc mentem omnium nouiſſimam omnium formarum opificem eſſe, eaq; non contentus alteram inuehit omnium præſtantiſſimam ſupra eas, quæ cælorum ſunt præſides: Etenim hic in tract. 9. primæ philoſophiæ cùm ſtatuiſſet Deum tenere locum altiſſimũ, nulliq; globo præſidere, ſiquidem mens orbi addicta eſt cauſſa non ſolùm mentis proximè ſequentis, verùm etiam ſui orbis, animæq; huic animantis, & Deus primæq; cauſſa non poteſt niſi vnum efficere, quia eſt ſummè ſimplex, à quo niſi vnum poteſt effici præter hunc decem mentes excogitauit eo inter ſe ordine digeſtas, vt vna ſub altera poſita ſit, & ex altera pendeat, quarum nouem ſuperiores globis cæleſtibus præfecit, & decimam omnium nouiſſimam huic mundo elementali. Harum verò mentium procreationem ita explicauit. Deus, quem ſolum vocat Neceſſe eſſe, cùm reliqua omnia poſt ipſum habeant naturam mutabilem, poſſintq; non eſſe, quippe quæ ex eo pendeant, eoq; non exiſtente non ſint futura, ſe ipſum intelligendo primam mentem primo cælo præſidentem duntaxat procreat, nam ex vno penitus ſimplici non exiſtit niſi vnum. Hæc verò cùm in Dei ſui authoris, & ſui ipſius intelligentia verſetur, in eo, quòd Deum intelligit, ſecundam mentem producit ſecundo cælo aſſidentem, & in eo, quòd ſeipſam, primum cælum, & animã primi cæli: etenim verò cùm huius mentis natura non ſit ſimplex, & vnius modi, ſed ex actu & poteſtate conſtet, hoc eſt ex propria natura, quæ poteſt non eſſe, & ex eſſe, quod eſt actus ipſius à Deo tributus, hæc intelligendo ſuum actum, ſuamq; perfectionem procreat animã primi, ſuiq; cæli, & intelligendo ſuam naturam ſuamq; imperfectionem producit primum ſuumq; cælum. Eodem modo mens ſecunda qua ex parte primam mentem ſui opificem intelligit, mentem proximam producit, & qua ex parte ſe ipſam intelli-

gentia

genti a comprehendit, ſui cæli animam procreat, & per hanc ipſum ſuum cælum. Non diſſimilis eſt ratio reliquarum mentium, quouſq; ventum eſt ad mentem decimam omnium nouiſſimam, quam Auicennas Colcodeam hoc eſt formarum datricẽ nominauit, quippe quam ſtatuit formas omnes materiatas tribuere materiæ aptè inſtructæ ab efficientibus naturalibus, & formas omnes intelligibiles noſtræ animæ intelligenti ad illam ſeſe conuertenti. Huic aſſenſit Algazeles in lib. 1. philoſophiæ tract. 5. quanquam in ratione, qua à mentibus poſt primam ſit procreatio, inter hunc & illum aliqua ſit diſſenſio, nam Algazeles mentem primam poſt Deum illius naturæ eſſe exiſtimans, vt poſſit non eſſe, eam non ſecus ac Auicennas, compoſuit ex poteſtate & actu, ſtatuitq; producere mentem proximè ſequentem in eo, quòd intelligit eſſe ſibi à Deo ipſius authore conceſſum, & cælum proprium, qua ex parte comprehendit ſuam naturam mutabilem, quæ quantum eſt ex ſe, poteſt non eſſe. Nec aliter reliquas poſt hanc mentem putauit verſari in procreatione mentis proximę, atque illius cæli, cui ſunt præſtitutę, nam de illius ſententia mens ſecunda intelligendo illud eſſe, quod à mente ſuperiore fuit ſibi impartitum, mentem proximam efficit, & intelligendo ſuam naturam, quæ poteſtate continetur, cælum producit, cui veluti finis eſt addicta, atque ita deinceps vſque ad mentem huic caducæ vniuerſitati præſidentem. Eiuſdem opinionis fuit Alpharabius in lib. de intelligentys. Hic cum Algazeles perſuaſum haberet fieri non poſſe, vt mens primi cæli motrix ſit prima ſupremaq; mens, quòd hæc mens ſuprema ſit penitus ſimplex, nec in ſe habeat quicquam diſpar ſui, atque diſſimile, & illa mens primi cæli motrix non careat compoſitione, quippe quæ cauſſa effectrix eſt primi cęli, mentiſq; proximæ, & quæ multa ſunt naturâ diſſimilia, nequeunt fieri à cauſſa ſummam habente ſimplicitatem, ſupra hanc conſtituit Deum immutabilem, eamq; ex duabus naturis compoſuit, quarum alteram, quæ maioris eſt authoritatis, ſtatuit proximam mentem procreare, & alteram,

cui

cui minor eſt dignitas, primum, propriumq; cœlum. A mente verò, quæ tertio loco poſita eſt, cùm illius eadem ſit ratio, dixit haud diſſimiliter emanare ſecundũ cœlum, mentemq; proximã, nec antè ceſſare hanc mentium & cœlorum emanationem quàm mens decima poſt Deum fuerit procreata. Atque hæ ſunt opiniones eorum, qui multas mentes à materia ſeparatas in Ariſtotelis ſcholam introduxerunt, quæ an legitimè fuerint introductæ, nunc conſiderabimus.

Diſputatio aduerſus Auicennæ Colcodeam. Cap. XIII.

PRimus diſputationis locus illi menti tribuendus eſt, quę omnium nouiſſima nullum cœleſtem globum inuenit, cui eſſet addicta. Huius amatores in tres factiones ſunt diſtracti, quarum vnam tuetur Auicennas, alteram Auerroes, & tertiam magna pars Latinorum. In Auicennæ opinione multa ſunt digna, quæ reprehendantur, ſed quoniam ſingula perſequi longum eſſet, & huic diſputationi non neceſſariũ, tria duntaxat venient in medium, quæ quoque ab Auerroe in lib. 7. poſtnat. com. 31. fuerunt caſtigata: Primum eſt, formæ generantur: Alterum, Cauſſa formarum effectrix eſt mens à materia ſeparata cui ob id nomen eſt Colcodea: Tertium, Materia vt formas excipiat productas à mente ſeparata, oportet eam parari & inſtrui ab efficientibus naturalibus. Singula hæc refelluntur ab Auerroe, ac primum ita confutatur. Si formæ generarentur, non ex materia fieret generatio; conſequens pugnat cum communi omniũ philoſophorũ opinione, quæ ſtatuit quicquid gignitur, id ex aliqua fieri materia, & ex nihilo nihil oriri; non igitur formæ generãtur. Connexum illud declarat, quòd formæ nequeant generari ex materia; nam cùm materia, ex qua generatio exiſtit, maneat in re, quæ oritur, huiuſq; pars efficiatur, fieri non poteſt, vt formæ, quæ ſunt ſimplices, ex nullaq; materia conflatæ, fiant

ex

ex materia. Hoc modo arbitror resoluendam esse hanc Auerrois argumentationem, neque assentior Scoto in lib. 7. post nat. quæst. 11. Ianduno in lib. eodem quæst. 19. & Zimaræ in Theor. 114. hanc Auerrois argumentationem hunc in modum interpretantibus. Si à mente separata fieret generatio, id, quod fit, nulla materia subiecta fieret, quod in ijs esse, quæ fieri non possunt, omnes philosophi veteres sunt arbitrati. Consequutionis ratio est duplex, vna, si quod generat, id sit mens separata, cùm agens omne efficiat id, quod sui simile est, hæc planè efficiet id, quod est sine materia, & quod sequens est, generatio non erit ex materia; altera, quia cùm mens separata à materia in agendo non pendeat ex materia sic aget, vt eius effectioni nulla materia subijciatur; quapropter generatio non erit ex materia. Hæc explicatio abhorret ab Auerrois sententia, quæ est ostendere formas non generari, & non docere generationem non fieri à mente separata; idq; intelligitur ex Auerrois verbis, quæ sunt: Et demonstratio Aristotelis in hoc est, quòd formæ non generantur per se, quoniam si sic esset, tunc generatio esset non ex materia. Porrò quod pertinet ad Aristotelis demonstrationem, qua inquit Auerroes hoc in loco confici, formas non generari, ea nequaquam impellit in hoc absurdum, generationem non esse ex materia, vt Auerroes interpretatur, sed in hoc, generationes, quibus formæ fiunt, sine fine progressuras esse; cuius consequutionis ratio est hæc: Cùm generatio fiat noua forma ad materiam accedente, planè si forma generaretur, hæc alicuius formæ accessione generabitur; quæ forma si rursus generetur, alia forma, quæ coniungatur materiæ, erit inducenda, atque ita deinceps in infinitum. Secundum verò placitum Auicennæ ab Auerrae sic refellitur. Quod generat, id mutat materiam extrahens id, quod est potestate in actum: sed forma & mens à materia secreta nõ potest materiã immutare; non igitur mens à materia separata potest munus obire generantis. Huius argumenti minor propositio ex his intelligitur: Quod mutat materiam, id est

corpus

corpus, vel corporis virtus, nã vt oſtensũ eſt in lib. 7. phyſ. 12. quod mouet, & q̃ mouetur, ſimul ſint, ac ſeſe tangant eſt neceſſe, & tactus eſt ſolius corporis lib. 1. de gen. & int. 44. atqui mens ſeparata, non eſt corpus, neq; corporis virtus; non igitur mens à materia ſoluta vim habet materiam mutandi. Quòd ſi Auicennas reſponderit à mente ſeparata ſolam formam produci, & materiam mutari ab agentibus naturalibus illam apparantibus & diſponentibus, id accuſat Auerroes, ſimulq; reprehendit tertium Auicennæ placitum, atq; ita argumentatur: Si quod parat, mutatq; materiam, id eſſet diuerſum ab eo, quod formam tribuit, euenret, vt ſubiectum, ſiuè materia, quæ paratur, & forma genita ſint actu duæ per ſe cohærentia: atqui id eſt in abſurdis ponendum, quoniam ex duobus actu exiſtentibus non fit per ſe vnum lib. 7. poſt nat. 49. ergo & illud, ex quo euenit. Connexum explicatur: Actio, qua ſubiectum & materia paratur, it ad ens actu, atq; in hoc deſinit, & ſimiliter actio, qua generatur forma, deſinit in eo, quod eſt ens actu, nam generatione id tantùm fit, quod eſt hoc aliquid, & per ſe ſuisq; viribus conſtat: ergo ſi quod materiam ſubiectumq; parat, id diuerſum eſt ab eo, quod generat formam, efficitur, vt forma & huius ſubiectum ſint duæ naturæ actu per ſe conſiſtentes. Præterea ſi aliud eſt parans ſubiectum formæ, ac ſit illud, quod formam generat, ſequitur, vt vnius rei effectæ ſint duæ cauſſæ efficientes proximæ & eiuſdem ordinis, quod eſt in ijs, quæ falſa exiſtimantur. Conſequutio probatur: Ex forma & re ſubiecta vnum per ſe conſtituitur, cuius partes ſunt forma, & natura ſubiecta; verùm ſi aliud ſit id, quod generat formam, & aliud, quod materiam parat, idoneamq; reddit ad formam excipiendam, hoc & illud cauſſæ erunt efficientes illius, quod ex forma & materia exiſtit. Atq; hæ ſunt Auerrois caſtigationes, quæ licèt Scoto in quæſt. recitata parum firmæ fuerint viſæ, ſi tamen dogmata Ariſtotelis audiantur, non ſunt contemnendæ, & in eo quòd perſuadent Auicennam Colcodeam non poſſe formas tribuere, non diſcordãt

à Theologia magiſtris. Hi licèt non dubitent Deum omnes formas poſſe in materia facere abſq; vllius cauſſæ proximę miniſterio, ſentiunt tamen & conſentiunt reliquas poſt Deum mentes, quas Angelos & Dæmones appellant, non poſſe vllam formam proximè educere ex materiæ poteſtate, atq; huius eam rationem affert D. Thomas in p. p. quæſt. 110. art. 3. atq; in lib. 3. contra Gene. cap. 103 quod cauſſa efficiens proxima ſemper ſimilis ſit ei, quod efficitur, & Angeli ac Dæmones, qui ſunt formæ ſimplices, nulla aut ſpeciei, aut generis ſimilitudine iungantur cum rebus caducis ex forma & materia compoſitis. Quòd ſi obijcias hac ratione Deo adimi quoq; eandem virtutem; reſpondet hunc rebus omnibus ſimilem eſſe, non quidem genere aut ſpecie, ſed virtute, & modo quodam præſtantiſſimo, quando quidem nulla eſt perfectio in rebus productis, quæ in Deo præſtantiſſimè non reperiatur. Eandem argumentandi rationem amplexus eſt D. Bonauentura in lib 2 ſent. diſt. 7. art. 4. quæſt. 2. quo in loco hanc præterea adhibet argumentationem. Forma naturalis non producitur, niſi à natura vniuerſitatisq; conditore, & à natura condita agente per modum naturæ: ſed Angelus aut Dæmon non eſt naturę conditor, quod nemo non fatetur, neq; agit per modum naturæ, quoniam quæcunq; hoc modo agunt, cùm agant per vim innatam, qua quod eſt ſimile, procreatur, ſemper ea, quæ ſunt ſimilia, producunt; & Angelus aut Dæmon id, quod ſui ſimile eſt, nunquam producit; non igitur Angelus vel Dæmon poteſt vi propria naturalem formam efficere. Maiorem huius argumenti enunciationem illud confirmat, quòd cùm à naturę conditore certę definitęq; cauſſę per modum naturę agentes fuerint cõditæ, quę apta natę eſſent formas naturales producere, fieri nequit, vt pręter ipſum & has cauſſas quippiam facultatem habeat virtute propria efficiendi formas naturales. Et ſanè, vt argumentabatur Durandus in lib. 2. ſent. diſt. 7. quæſt. 2. quis non ſentiat fore, vt cauſſę naturales effectrices, quę vt in rebus naturalibus producendis verſarentur, à Deo fuerunt conditę, fruſtra

ſint

ſint factę, ſi Dęmones aut Angeli ipſarum munera poſſent peragere? Sed hęc Theologis relinquantur, & vnde fuit digreſſus, eò fiat regreſſus. Nec verò ſolùm his Auerroes inuectus eſt in Auicennam, ſed & alijs, nam in com. lib. 2. de gen. animal. cap. 3. formam non generari ita concluſit: Si forma generaretur forma non indigeret ſubiecto, niſi eo modo, quo corpus indiget loco; id autem cùm ſit falſum, forma profectò non generatur. Connexum illud confirmat, quoniam generatio nunquam non progreditur ad id, quod per ſe, ſuis ſ. viribus conſtat, et quod generatur, id eſt quippiam per ſe cohęrens in natura rerum: quod autem eſt huius modi, id non eſt in ſubiecto: quapropter ſi forma generaretur, quoniam per ſe ſubſiſteret, non poſtularet ſubiectum, in quo eſſet, ſed in materia perinde eſſet, ac corpus in loco, hacque indigeret, non ſecùs ac corpori opus eſt locus. Quinetiam hoc in loco confecit idem eſſe agens quod materiam mutat, & formam educit, quoniam forma eſt finis mutationis, & quod eſt cauſſa principij mutationis efficiens, id quoq; eſt cauſſa finis efficiens. Quòd ſi quiſpiam dixerit in rerum animatarum generatione finem mutationis materię eſſe formam mixtionis, & non animam, quę à mente ſeparata tribuitur, hunc exagitat, quoniam rei animatę pars, vt caro habens animam ęquiuocè diceretur: enimuero vnumquodq; quòd ſit illud ipſum, quod eſt, formę proprię acceptum fert; ſed caro antequam ei anima accedat, eſt caro per propriam mixtionis formam, & vbi anima acceſſit, per ipſā animam, quę illius forma propria efficitur; ergo caro habens animam non eſſet eadem caro, quę erat, antequam haberet animam, & quod ſequitur, habens animam ęquiuocè caro nominaretur. Sed & hoc enunciatum, Idem eſt efficiens, quod afficit materiam, & formam educit, in Ariſtotelis ſchola confirmant non ſolùm tradita ab Auerroe, ſed & hęc: Quod tribuit ea, cum quibus forma eſt connexa neceſſariò, formam quoq; efficiat, par eſt, nam quemadmodum quod dat formam, ea quoq; omnia tribuit, quæ formam comitantur, eadem ratione conſentaneum eſt quod tri-

huit id, quod eſt huiuſmodi, vt forma ipſum ſequatur, niſi quippiam impediat, illud quoq; formam largiri: atqui forma eſt neceſſariò connexa cum materiæ apparatu, & quando hic fuerit abſolutus, forma in actum erumpit neceſſario; idem igitur eſt efficiens, quod materiam parat, & quod formam educit. Deinde quod formam tribuit, id planè eſt cauſſa efficiens, cui hęc vel maximè propoſita eſt; ſed cauſſa efficiens in lib. 2. phyſ. 29. finitur vnde exiſtit primum principium mutationis; ergo quod formã tribuit, id quoq; materiam, mutat & parat. Poſtremò eadem alteratione materia paratur, & forma educitur; ergo ab eadem cauſſa efficiente materia paratur, & forma educitur. Conſequutio non eſt dubia, aſſumptio probatur. Putat Ariſtoteles in lib. 7. poſtnat. 28 formas in materia fieri alteratione; ſed formadum fit, nulla in materia videtur alteratio, quæ ſit diuerſa ab illa, quæ afficitur ipſa & paratur; ergo eadem prorſus alteratione materia paratur, & forma educitur; Accedit, quòd ſi alia alteratione pararetur materia, & alia educeretur forma, vnius ſubiecti duę eſſent ad vnam formam alterationes; quod eſſe improbabile aſſumptum eſt in lib. 3. phyſ. 19. Forſitan reſpondebitur formę productionem eſſe cum alteratione connexam, non quia ſit alteratio, ſed quoniam eſt finis alterationis prægredientis, qua paratur & afficitur materia. Si ita reſpondeatur, promptius conſitendum erit ab eodem agente materiam parari, & formam educi, quòd ſit conſentaneum ab eadem cauſſa efficiente fluere motum & terminum motus. Cæterùm quamuis de hoc enunciato in Ariſtotelis ſchola non ſit dubitandum, id tamen non tã latè patet, vt omnes formas naturales amplectatur, ſed ad illas ſolas eſt dilatandum, quę alteratione educuntur e materia quapropter ex eo nullum periculum imminet animę humanę, quę quòd non educatur ex materia, nihil prohibet, quo minus fiat à ſummo opifice, cùm homo tribuat materiæ apparatum. Sed hactenus de Colcodea Auicennæ.

Re-

Refutatur Auerroes ſtatuens vnicam eſſe Mentem, quę cunctis in hominibus ſit principium intelligendi. Cap. XIV.

SEquitur mens, quam tribuit Auerroes humanæ ſpeciei, atq; vnicam poſuit in cunctis hominibus. Aduerſus hanc mentem non eſſet vlla diſputatio ſuſcipienda, quòd in ijs, quæ de mentis humanæ ſtatu poſt hominis obitum fuerunt à nobis Ariſtotelicè diſputata, monſtratum fuerit hanc mentem ſic eſſe propriam hominis formam, vt nefas ſit eam in mentibus à materia ſeparatis annumerare, verùm ne in hac diſputatione omnino incaſtigata dimittatur, illius ſeparatione iuſſa valere paucis, & vno aut altero argumento vnitas exagitabitur, idq; vt e lyceo potiùs tollatur huius vnitatis veſtigium, quàm vt quidquam maioris momenti ad clariſſimorum virorũ diſputationem adiungatur. Si vnica mens eſſet cunctis in hominibus, in quæſtionem cadit, nunquid tota mentis eſſentia ſit in ſingulis hominibus, an pars in vno homine, & tota in omnibus hominibus. Si prius fuerit approbatum, efficitur, vt vnum numero in multis reperiatur; ſin poſterius, hæc mens in multas partes erit diſtributa, neq; erit individua, & à materia ſegregata. Hæc argumentatio non eſt illius diſſimilis, qua refert Alexander in lib. 1 poſtnat. com. 67. Ariſtotelem vſum fuiſſe in lib. 2. de ideis ad ideas repellendas. Cùm enim idearum aſſertores harum admixtione cætera conſtare affirmarent, eos à vero abeſſe cùm alijs, tum hac argumentatione fuit ab Ariſtotele demonſtratum: Si idea his admiſcerentur, vel tota idea in ſingulis eſſet, quibus admiſceatur, vel pars: ſi tota, efficitur, vt vnum numero in multis exiſtat, quòd idea ſit vnica numero; ſin pars, idea, quæ diuidi nequit, ſubeat partitionem oportet. Hæc fuit Ariſtotelica argumentatio, qua ſi vrget idearum amatores, habetq; efficacitatẽ ad ideas labefactandas, noſtra quoq; contra mentis humanæ vnitatem

non.

non erit contemnenda, nec quippiam poterit aduersus hanc afferri, quod non valeat in Aristotelis argumentationem. Deinde si vnica esset mens cunctis in hominibus, hæc erit in his aut per modum formæ assidentis, nec secus ac nauta in naui, aut per modum formæ informantis: neutrum caret absurditate; non igitur vnica mens separata est ponenda in omnibus hominibus; Mentẽ, quæ in hominibus est principium intelligendi, in ijs non esse per modum formæ assidentis, multis fuit à nobis declaratum in disputatione de mentis humanæ statu post hominis obitum, quibus hoc adijciatur. Si mens hoc pacto esset in hominibus, nostra intelligentia, nostraq; scientia esset huius mentis propria muneris functio; id autem cùm sit, nostra scientia erit reminiscentia, quod non probatur Aristoteli hac in re Platonẽ accusanti: Enim verò Plato in Memnone scientiam esse reminiscentiam declarauit, quòd cùm animus sit immortalis, ac sæpius in hanc vitam redierit, videritq; persæpe & quæ in hac, & quæ in alia vita sunt, omniaq; perceperit, nihil sanè superest, quod ipse non didicerit, ideo mirum non est, si eorum, quæ nunc scientiam comprehendit, dicitur reminisci, quippe cùm olim ea cognouerit. Verùm si quis probet mentem humanam in hominibus esse per modum formæ assidentis, quoniam quæ huius est intelligentia, ea quoq; nostra est, non dissimili ratione concedendum erit nostram scientiam esse reminiscentiam, nam cùm hęc mens seculis omnibus sit immortalis fieri non potest, vt quæ in vnoquoq; homine intelligentia apprehendit, ea non millies in alijs hominibus intellexerit: quòd si omnia, quæ cadunt in ipsius intelligentiam aliàs cognouit, sequitur, vt nostra scientia sit reminiscentia, non secus ac Plato putauerit. At verò si mens humana sit in hominibus per modum formæ informantis, sequitur, vt formæ sit tempore vetustior eo, cuius est forma, ruatq; discrimen inter formam & causſam effectricem in eo positum lib. 12. post nat. 16. quòd causſa efficiens tempore anteat id, cuius est causſa, & forma nunquam sit antiquior eo, cuius est forma. Quinetiam

sequi-

ſequitur, vt vnus homo ſit per eſſe alius hominis; vt contra ſe argumentabatur Auerroes in lib.3. de anima. com. 5. quoniam cùm forma ſit eſſe rei, atq; mens, quæ eſt forma tribuens eſſe, ſit vnica numero in omnibus hominibus, idem eſſe erit omnibus per vnam & eandem mentem: Prater hæc ſunt alia, quibus longè abeſſe à vero mentis humanæ vnitatem poteſt oſtendi, ſed ab his abſtinendum eſt, ne ſimus in ijs longi, quæ D. Thomas Theologus eminentiſſimus, & philoſophus clariſſimus in p.p. quæſt. 76. art. 2. & in lib. 2. contra Gentiles cap. 73. atq; alij viri eruditiſſimi ſatis accurratè ſunt perſequuti.

Mens non errans huic caducæ rerum vniuerſitati præſidens an ſit inducenda. Cap. XV.

PRoximus locus erit mentis non errantis, quam pleriq; Latinorum ſunt amplexati. Hi tametſi brutis animantibus rationem atq; conſilium adimant, his tamen rebusq; omnibus inanimis ſentiunt aſſidere mentem quandam à materia ſeparatam, cuius numine reguntur, ad fineſq; proprios perducuntur. Itaq; aiunt non eſſe, vt quiſpiam miretur, ſi ignis, aer, aqua & terra, atq; omnia, quæ conſtãt ex his, corpora inanima, cùm ſint cognitionis expertia, ad ſua loca feraniur, & ſint in his, niſi quippiam fuerit impedimento, nam præſtò eſt diuinum numẽ, quod non ignorans in quo mundi loco ſita ſit vniuſcuiuſq; ſalus, ſic mouet omnia, vt vnumquodq; ad eam ſedem progrediatur, in qua optimè conſeruatur. Id autem illuſtrant cùm exemplo ſagittæ, quæ motus, finisq;, cuius gratia arcu emittitur, ignara directione iaculantis rectà in ſcopum contendit; tum etiam exemplo exercitus, cuius ſumma eſt penes imperatorem, qui ita omnia adminiſtrat, vt ipſe ſolus cognoſcat finem eorum, quæ aguntur, & milites eius mandata exequentes ductu ipſius regantur, ad certumq; finem illis ignotum moueantur. Hanc mentem quę

ma-

maximè videntur persuadere, sunt hæc. Primum, quòd cernamus bestias multa prudenter facere, harumq; opera tanto ingenio confici, vt videantur à ratione proficisci. Et vt multa silentio obruantur, Hippotamus Nili piscis fuit nobis magister secãdæ venæ, quippe qui, vt scribit Plinius in lib. 8 hist. nat. cap. 26. assidua satietate obesus exit in litus, recentesq; harundinum cæsuras speculatur, atq; vbi cernit stipitem peracutum corpus imprimens venam in crure vulnerat, sanguinisq; profluuio corpus aliàs morbidum exonerat, & limo plagam mox obducit: & Ibis Aegypti auis auctore Plutarcho in lib. de solertia animaliũ purgans se ingesta aqua marina per intestinorum vltimam extremitatem docuit nos alui ablutionem: Cum verò bestiæ ratione careant, necessariè concluditur has duci & regi à mente separata, cuius est ratio singularis. Alterum argumentum est. Quod non casu temereq;, sed ordinatè suas actiones obit, necesse est id vel has disponere ac ordinare, vel ab alio in his instrui & ordinari; sed omnes rerum inanimatarum, brutarumq; animantiũ actiones certo constantiq; ordine perficiuntur, nam quod alicuius finis gratia suas actiones obit, & ad vltimum aliquod rectà contendit, in quod veluti in scopum collimat, id non temere, sed ordine progreditur; ergo cùm nequeat fieri, vt res inanimæ, rationeq; carentes suas actiones ordinent, tum quia nullam tenent rationem finis, cuius gratia aguntur; tum etiam quoniam ordinare est opus mentis, cuius omnino sunt expertes; relinquitur mentem quandam esse inducendam, à qua res cognitione, animaq; carentes ad suos fines deducantur. Tertium & postremũ argumentum est: Quæcunq; suis in actionibus finem aliquem petunt, ne temere hunc petant, & ad hunc ferantur, necesse est ea aut huius cognitionem habere, aut dirigi à quopiam, cui hic finis sit probè cognitus: sed omnibus rerum naturalium actionibus finis aliquis est constitutus; ergo cùm earum natura sit vis expers cognitionis, concludendum est res omnes naturales mente carentes regi et gubernari à mente quadam separata, cui finis

eis

eis propoſitus ſit notus & exploratus. Hanc mentem ſignificauit Ariſtoteles in lib. 4. de gen. animal. cap. 2. vbi aſſeuerando, quæ naturà conſtituuntur, ratione aliqua effici, nihil aliud ſibi vult, quàm rerum naturalium generationes ſumma ratione fieri, quoniam his præſtò eſt diuinum aliquod numen, & mens à materia ſegregata: Hinc illud in ore atq; ſermone multorum percrebuit; Opus naturæ eſt opus mentis ſuis in functionibus nunquam delinquentis. Qui ita ſentiunt, non recte ſentiunt, nam ſi vlla mens diuina res haſce mortales tam inanimas, quàm conſilij expertes ad fines earum naturæ congruentes deduceret, in hoc munere verſaretur vel tanquam cauſſa generalis & longinqua, vel tanquam cauſſa ſingularis & propinqua: Si primum detur, cùm non ſolùm res inanimæ & conſilio carentes, verùm etiam homines ipſi nequeant quicquam omnino agere abſq; præſidijs cauſſæ generalis, conficitur, vt homines quoq; ſint huic menti in tutelam traditi, quod non probatur huius mentis amatoribus, qui homines, quòd conſilio gubernentur, vacuos reliquerunt tutela huius mentis ſeparatæ. Sin alterum, ſupernacaneæ erunt virtutes rebus cunctis à natura impertitæ, quibus hæ inuitantur, & impelluntur ad ea, quæ bona ſunt ac ſalutaria; quandoquidem ſi hæ res à diuina mente proximè mouentur ad ſuos ſibi fines comparandos, nullus ex his virtutibus à natura ingeneratis percipietur fructus neceſſarius, fruſtraq; natura tam eximiæ liberalitatis officia exercuiſſet. Ad hæc ſi quæcunq; poſita ſunt infra hominem, ſubijciuntur curæ mentis nunquam per errorē labentis, his melius conſultum erit, quàm hominibus, quibus huius mentis loco datum eſt conſilium, in quo capiendo admirabile eſt, quàm ſæpè à recto itinere aberrent. Præterea mirum eſt pecudes ab hac mente regi, & pueros, qui naturà beſtijs omnibus plurimùm anteſtant, hoc diuino numine priuari; alienum nāq; videtur à ratione, & huius mentis maieſtate indignum illam ſua adiumenta non perfectis animantibus, & mente præditis, quibus cognata eſt, ſed imperfectis, & mente carentibus ſubmini-

miniſtrare, & tanquam pecudum cuſtodem greges & armenta ſequi. Quòd ſi voluerint aduerſarij pueros eſſe in huius mentis cuſtodia, cauſſa erit afferenda, cur hæc mens non perpetuò aduigilet ad horum cuſtodiam, hosq; deſerat factos grandiores; explicandumq; erit quo modo, & quo tempore his adiungatur, & ab his diſiungatur. Poſtremò multitudo ſine cauſſa reſpuitur à natura; ergo ſi omnia quæcunq; naturà conſtant, abſq; mentis huius auxilio poſſunt ad fines proprios ſeſe conferre, atq; hos cõſequi, ſi nihil impediat, benè erit, ſi illam valere iuſſerimus. Hanc mentem non eſſe neceſſariam illud perſuadet, quòd cùm omnia, quæ vacua ſunt cognitione, & conſilio non viuntur, impulſu, inſtinctuq; naturæ ducantur, atq; huius operæ id vniuerſum ſibi poſſint comparare, quod ſalutem affert, ac perfectionem, ex quo ſcripſit Ariſtoteles in lib. 2. phyſ. 84. ea naturà eſſe, quæcunq; ab aliquo in ſe ipſis principio continuè mota perueniunt ad aliquem finem, nulla eſt ratio, quæ nos cogat hæc, vt ſuos fines petant, ac teneant, ſubijcere tutelæ mentis à materia ſeparatæ. Ac profectò quis non exiſtimet, ſi hæc mortalia ſint munita mẽtis diuinæ cuſtodijs, huiusq; vi ad ſuos fines dirigantur, fore, vt naturæ impulſus, inſtinctusq; his temere ac fruſtra ſit imperitus? Atqui quæret aliquis, quid ſit in beſtijs naturæ inſtinctus. Conimbricenſes in lib. 2. phyſ. cap. 9. quæſt. 4. ſentiunt hunc eſſe imaginatricis operationem determinatã ad iudicium cõmodi, aut incommodi, determinantemq; appetitum ad fugam, vel proſequutionem. Hos imitatus Suerezius in diſput. 23. poſtnat. ſect. 5. inſtinctum naturalem definit actum phantaſiæ ſeu æſtimatiuæ neceſſitate naturali ab ea profluentẽ poſito phantaſmate talis rei, quo actu practicè iudicat brutum eſſe ſibi vitandum, vel proſequendum, quamuis non valeat rationem conuenientiæ aut inconuenientiæ diſcernere. His non aſſentior, quoniam actus & operatio phantaſiæ ſiue imaginatricis eſt cognitio, à qua multùm abeſt naturæ inſtinctus. Præterea actus imaginatricis in beſtijs non ſit perpetuò, & in his ſic ineſt inſtinctus, vt nunquam ab eis

ſepa-

ſeparetur. Rurſus cùm ouis vi imaginandi lupum comprehendit, inſtinctu naturæ hunc ſibi inimicum eſſe cognoſcit, ergo inſtinctus naturæ diuerſus eſt ab actu virtutis imaginatricis. Fracastorius in lib. 2. de intellectione vult inſtinctum naturalem eſſe motum partium animalis in toto animali in ipſo ex diuerſis ſpeciebus in anima diuerſimodè apprehenſis conſurgentem. Hic eſt improbabilis, tum quia hic motus fit inſtinctu naturæ, ſi quidem quod animal ex rei moleſtæ, aut iucundæ comprehenſione contrahat pellem, aut dilatet, ad inſtinctum naturæ refertur; tum etiam quoniam hic motus non eſt perpetuus in animali, cui naturę inſtinctus nunquam non adeſt. Et ſi naturę inſtinctus ex ſpeciebus imaginatione apprehenſis conſurgit, quo modo is erit à natura impertitus, & non extrinſecus accedens? Ego de naturę inſtinctu ita ſentio: Hunc eſſe principium quo animal in aliquod & ad aliquod inſtigatur, non eſt, vt quiſpiam ambigat; cùm verò inſtigationum duplex ſit genus, aliæ præter naturam, veluti quæ animalibus accedunt ex aliqua agritudine; & aliæ ſecundum naturam, in his naturę inſtinctum contineri ex ipſius nomine intelligitur: Quapropter exiſtimandum eſt, quod eſt in elementis, rebuſq; inanimis naturę impetus, id in beſtijs appellari naturę inſtinctum, nam quemadmodum illa naturę impetu feruntur ad loca, in quibus optimè conſeruantur, & à contrarijs digrediuntur, ita hę inſtinctu naturę, quæ vtilia ſunt, aſciſcunt, & quæ noxia, declinant. Porrò quia in elementis mixtisq; inanimis impetus naturę eſt ipſorũ natura, in beſtijs quoq; illud principium, quo ad bonum aſciſcendum, & ad malum declinandum inſtiganiur, erit natura earum, quæ eſt anima ſentiens. Hinc illud tritum eſt in omnium ore naturam cunctis animantibus impertire, vt ſeſe tueantur & cuſtodiant in quamoptimo ſui generis ſtatu. Anima verò ſentiens cùm duobus modis poſſit ſpectari, vno, quatenus eſt vis cognoſcẽs; altero, quatenus eſt forma, naturaq; brutorum, hęcq; informat, & animat, hoc poſteriore modo ſpectata ſtatuenda eſt naturę inſtinctus, quæ cùm eadem ſit

in omnibus vnius ſpeciei brutis, & varia in ijs, quę ſunt variarum ſpecierum, efficitur, vt naturę inſtinctus cernatur idem in ijs, quę in eadem ſpecie continentur, & varius in ijs, quorum ſpecies ſunt diuerſę. His Ariſtoteles videtur conſentire, qui in lib. 2. phyſ. 80. ſtatuit naturà hirundinem nidum conſtruere, araneum telam texere, aliasq; animantes rationis expertes obire munera, quę quòd videantur ſuam naturam excedere, multi dubitant, vtrum mente operentur. Hanc verò naturam eſſe animã ſentientem vi imaginandi prædiram idem ſignificauit ſub exitum lib. 2. de anima, quo in loco ſcribit per vim imaginandi multa animantes facere, alias, quòd mentis ſunt expertes, vt beſtias, & alias vt homines, quòd mens in eis ſit impedita & obſcurata. Atq; hac de naturæ inſtinctu, deinceps ea diſſoluamus, quibus mens non errans fuit inducta. Primum argumentum refutatur, quòd in beſtijs eam habet vim naturæ inſtinctus, vt hoc miniſtrante poſſint ea opera conficere, quæ illius naturam ignorantibus pariunt admirationem: Et ſanè ſi brutæ animantes auctore Ariſtotele ad initium lib. 9. de hiſt. animal. habent vim quandam naturalem in quauis animi affectione, hoc eſt prudentia, ſtultitia, fortitudine, ignauia, clementia, & reliquis habitibus generis eiuſdem; ac præterea aliquid diſciplinæ & eruditionis, non eſt, vt quis miretur, ſi hę exploſa mente non errante prudentia præſtare videantur, magnamq; referant vitæ humanæ ſimilitudinem. Alterum infringitur, quòd ordo ita ſit naturæ proprius, vt illo ſublato hæc neceſſariò ruat: Quare cùm beſtiæ natura duce ad fines ſuos perueniant, non eſt, vt præter naturam alia cauſa inducatur, quę in harum actionibus ſit ordinis cauſſa. Cùm dicitur ordinare eſſe mentis officium, reſpondetur ea in ordinem redigere, quæ temere ſunt compoſita, atq; ad res humanas pertinent, & caduni in conſultationem, eſt quidem mentis opus, verùm diſtinctè ordinatèq; agere non ſic eſt mentis, vt ſit naturæ adimendum, quam Ariſtoteles in lib. 8. phyſ. 15. aſſeuerauit omnibus eſſe cauſſam ordinis. Poſtremi argumenti maior enunciatio

ciatio repudiatur, quoniam in natura ſic eſt inſitum propter finẽ agere, vt quęcunq; poteſtate illius coercentur, ad aliquem finem moueantur, quamquam nullam huius habeant cognitionẽ hinc in lib. 2. phyſ. 84. naturà conſtant, quæ à quodam principio quod eſt in ipſis, inſtigata mouentur ac perueniunt ad quendam finẽ. His addendum eſt, quòd naturæ meniẽ præficere, ne finem temere petat, & conſequatur, nihil eſt, quoniam licèt natura in proprium finem à mente duceretur, attamen quia ignorat ſe cadere in mentis curationem, nec finem habet comprehenſum, id non tollit, quin natura, quantum in ſe eſt, agat temere, finemq; caſu conſequatur. At verò Ariſtoteles in lib. 4. de gen. animal. cap. 2. dixit quæ naturà conſtituuntur, ratione confici, non quia natura ſit rationis particeps, vel à quopiam, quod ſit ratione præditum, gubernetur, ſed quoniam non temere, inordinatimq; fiunt, ſed compoſitè, ac finis alicuius gratia, non ſecus atq; ea, quæ ratione geruntur. Id Auerroes in lib. 12. poſt nat. com 18. non obſcurè ſignificauit, quo in loco ſcripium reliquit naturã facere aliquid concinnè & ordinatè, quamuis ſit expers intelligentiæ, perinde ac ſi eſſet directa & gubernata ab ijs viribus, quæ vocantur mentes, & intelligentiâ vigent. Ex quibus cùm illud patet eum nequaquam putare naturam dirigi ab vlla mente, quod à nonnullis non ſine flagitio fuit ei tributum; tum etiam intelligitur, quod licèt opinio de mẽte nõ errante eo modo accepta, quo paſſim accipitur, à vero abhorreat, attamen non erit, vt illam quiſpiam exagitet, ſi beſtiæ vniuerſæ, ſtirpes, & res inanimæ inducantur ad certos propriosq; fines deferri non aliter, ac homines, qui ratione vtuntur, & mente gubernantur; quamquam illud interſit, quoniam hi quandoq; aberrant à vero ſcopo fallaci argumentatione perſuaſi, atq; id bonum eſſe putantes, quod in malis eſt ponendum; illæ verò eum ſemper finem habent conſtitutum, qui ſuæ naturæ eſt accommodatus: Hinc tritũ eſt apud omnes beſtias corporaq; inanima & cognitionis expertia à mente numquam errante curari, non quia vel mente pradita ſint, vel mentis alicuius

ruius præsidijs sint munita. sed quoniam sic vi innata, naturàq; ad suos fines feruntur, perinde ac si à mente gubernarentur, quę in finibus, & medijs eligendis nunquam peccet, labaturq; per errorem; Id cùm Hippocrates non ignoraret, in lib. de arte naturam appellauit doctam & eruditã; verùm cùm probè sciret hãc esse rationis consilijq; expertem, eandem in lib. de alimento rudem & imperitam vocauit.

Non multæ, sed vnica Mens à materia separata est ponenda, quæ cœlos moueat per modum finis. Cap. XVI.

DEinceps considerabitur, nunquid de sententia Aristotelis multæ mentes sint ponendæ cęlestibus globis præsidentes; Ego illius sum opinionis, vt iuxta Aristotelis decreta non sit locus in hac rerum vniuersitate multis mentibus à materia separatis, sed vnica sit ponenda, quæ cælos & omnia moueat tanquã finis & summum expetibile. Et sanè cùm ab vnico fine cuncta possint allici & cieri, non est, vt absq; euidenti necessitate multæ mentes materiæ experies in mundo ponantur, quæ moueant veluti fines expetendi. Nonnulli occurrunt huic argumento statuentes solum Deum nulli orbi addictum mouere per modum finis, reliquas verò post ipsum mentes cælis præsidentes per modum efficientis, & idcirco consentaneum esse has totidem numerari, quot cælestes Lationes, quoniam cùm in his magna sit varietas, veri non est simile omnes existere ac pendere ex eadẽ virtute motrice. Hæc opinio tametsi fuerit probata omnibus Latinæ scholæ explicatoribus, & in eam Auerroes videatur abire in lib. 12. post nat. com. 41. & in lib. de substãt. orbis cap. 4. & 6. non est tamen Aristotelica, nam lib. 12. post nat. postquam fuit monstratum ponendam esse substantiam perpetuam, immobilẽ, & potestatis expertem quæ sit caussa continui, perpetuiq; motus, in tex. 36. modus aperitur, quo hæc substantia mouet, statuiturq; mo-

mouere, vt id, quod intelligitur, ac expetitur; quoniam quæ ita mouent, hæc ſola mouent, cùm ſint immobilia: & nonnullis interiectis in tex. 48. concluditur, ſi præter illas ſubſtantias perpetuas & immobiles, quæ cœlorum globis ſunt præfectę, eſſent alię, has eſſe motum allaturas, cùm finis eſſent alicuius lationis. Ex his patet Ariſtotelem ſentire omnem ſubſtantiam à materia ſeparatam mouere per modum finis, quippe quæ moueat, cùm ſit immobilis, quæ mouendi ratio ſic propria eſt finis, vt aliį cauſſę non conueniat. Cùm igitur vnus finis ſit aptus & idoneus ad ſe multa allicere, & ad motum concitare, vnica mens à materia ſeparata ſatis erit, quę ponatur. Id arbitror Ariſtotelem voluiſſe in lib. 2. de gen. & int. 61. hocq; perſpicuum erit, ſi græca Ariſtotelis verba legitimè reddantur latina, nam conuerſio vulgata, quæ eſt: Et ſi multi circulares motus, multa quidem, omnia autem quodammodo eſſe hæc neceſſe eſt ſub vno principio: *mendoſa eſt, quòd verba hæc,* multa quidem, omnia autem; *non ſic ſunt transferenda, vt ſint generis neutri, ſignificenturq;, vt plurimi exiſtimãt, ſi multi ſint motus circulares, multa eſſe mouentia immobilia, atq; hæc omnia ex vno principio pẽdere: ſed ita ſunt conuertenda, vt ſint generis fœminini, referanturq; ad motiones circulares, nam græcè ſunt* πολλαὶ μὲν πάσαι δὲ: *& ſententia eſt, ſi plures ſint motus, qui in orbem agũtur, vt ſanè ſunt plures, omnes hos ſub vno principio iacere: Atq; hæc ſententia eſt multò probabilior, quoniam cùm principium, ſub quo mouentia omnia immobilia ponuntur, ſit primum mouens immobile, atq; voce omnia comprehendantur ſingula mouentia immobilia, aſſeueraretur primum mouens immobile ex ſe ipſo pendere, ac ſub ſe ipſo iacere, quod eſt incongruum: Cùm igitur hoc in loco Ariſtoteles ſingulis in orbẽ motibus nequaquã tribuat ſingula principia, mouentiaq; immobilia, ſed ſtatuat, ſi plures ſint, omnes ex vno principio pendere, exiſtimandum eſt ipſum induxiſſe vnum ſolum principium mouens immobile, ex quo pendeãt omnes motus cœleſtes. Sed & hoc declarauit in lib. 8. phyſ.*

phyſ.48.vbi hæc habentur: Si igitur motus perpetuus eſt, perpetuum erit & mouens primum, ſi vnum erit, quòd ſi ſint plura, plura quoq; perpetua erunt: Vnum autem potiùs, quàm plura; & finita, quàm infinita ſumenda ſunt, ſi modò eadem fient: In ijs autem, quæ ſunt à natura, finitum ſit potius, & id, quod melius eſt, oportet, ſi modò eſſe poſſit: Sufficiens autem eſt vnum, quod cùm primum immobiliũ ſit, perpetuumuè, cęteris erit principium motus. *Ex his poteſt conijci Ariſtotelem non ſolùm in eam opinionem deſcendiſſe, vt vnum ſolum ſit primum mouens immobile ab omni materiæ concretione ſolutum, verùm etiam huius rationẽ attuliſſe. Nec verò dicendum eſt Ariſtotelem in his duntaxat concludere primum motorem eſſe vnum, neq; aſſumere vniuerſum genus mentium à materia ſeparatarum, quoniam in hoc ſumere operã non eſt cum dignitate coniunctum, quòd primum mouens eſſe vnum numero notius ſit, quàm vt poſtulet per ſuaſionem. Accedit, quòd Ariſtoteles hoc in libro illud primum mouens immobile habet propoſitum, in cuius cognitionem nos adducit ex motus æternitate; quapropter quoniam hoc mouens immobile mentes vniuerſas complectitur, non eſt, vt hæc argumentatio ad primũ mouens immobile arctetur. Et ſi reliqua attributa, quę de mouente immobili in hoc libro demonſtrantur, in vniuerſum genus mentium à materia ſeparatarum cõueniunt, nulla profectò erit ratio, cur reliquę poſt primam mentes ſeparatę non fuerint Ariſtotelis in hac argumentatione propoſitę. Porrò pręter hanc rationem non deſunt aliq, quibus idem poſt confirmari. Vna eſt: Si multę eſſent mentes à materia ſolutę, & per ſe conſiſtentes, hæ omnes prima excepta ex forma & materia, ſiue ex actu & poteſtate conſtarent, atq; forma & actus eſſet id, quo hę ſubſtantiæ ſeparatę eſſent ac dicerentur mentes, quòd ex forma & actu vnũquodq; conſequatur, vt ſit illud ipſum, quod eſt: ergo tota & integra eſſentia harum mentium non eſſet mens, ac nis intelligens, quod non carere abſurditate perſuaſũ eſt omnibus Peripateticis.*

Has

Has mentes fore compoſitas ex actu & poteſtate magna Peripateticorum pars conſentit, nam D. Thomas & aſſeclæ ſcribunt ſolum Deum eſſe ſimpliciter ſuum eſſe, in reliquis autem rebus tã corporeis, quàm incorporeis aliud eſſe naturam & eſſentiã, quæ participat eſſe, & aliud ipſum eſſe, quod participatur, quocirca mentes omnes ſeparatas Deo excepto conſtare ex eſſe & eſſentia, quarum naturarum eſſentia habet rationem poteſtatis, & eſſe rationem actus, quòd illa in ſe recipiat eſſe, quod veluti forma & actus tribuitur à prima ſupremaq; cauſſa. Ex Auerrois ſectatoribus nonnulli harum mentium compoſitionem ita explicarunt: Quemadmodum corpora caduca ex duabus partibus exiſtunt, quarum vna materies, altera forma nominatur, haud diſſimiliter mentes incorporeæ prima excepta ex duabus partibus conſtant, quarum vna, quia ſimilis eſt rerum caducarũ materiæ, poteſtas vocatur, & altera, quia eſt inſtar formæ, actus dicitur. In hanc ſententiam ſunt, qui audiant illud Platonis, Bonũ proximè peperit terminum ac infinitatem, ex quibus vario modo permixtis omnia ſenſibilia, cogitabilia, & intelligibilia sũt procreata; nam infinitatis nomine intelligitur natura quædam informis, quam Peripatetici appellant materiam & poteſtatem; termini autem forma & actus, quo natura informis completur. Cæterùm non deſunt, qui mentes à materia ſeparatas, de quibus nunc loquimur, inducunt ſine huius modi compoſitione, quos ſic poſſumus vrgere. Hæ mentes non ſunt puri actus, quoniam inter ipſas & mentem primam nihil intereſſet; neq; puræ poteſtates, quia nihil eſt, quod ſit pura ſimplexq; poteſtas; ergo quod reliquum eſt, ex actu & poteſtate exiſtunt. Qui contrariam opinionem tuentur, his occurrunt quædam rationis compoſitionem cõminiſcentes, quanquam alij aliter cõminiſcantur. Scotus in lib. 1. ſent. diſt. 8. quæſt. 2. & Zimara in theor. 40. hanc compoſitionem ita inducunt: Singulæ mentes poſt primam bifariam poſſunt ſpectari vel vt entia ad certam naturam, ſpeciemq; contracta, vel vt ſimpliciter entia: Si priore modo inſpicianiur,

vnaquæq; ipſarum eſt perfectiſſima, omnesq; continet gradus perfectionis, quæ ad illam poſſit pertinere; ſin poſteriore, nulla eſt, quæ ſit ſimpliciter perfecta, quando quidem nulla eſt, quæ ſit nacta omnes perfectiones, quæ continentur in vniuerſo entis genere, ſed omnes planè actu aliquo, perfectioneq; aliqua ſunt priuatæ, quæ ad ens ſimpliciter pertinet, & re ipſa etiam ineſt in aliquo ente, nempe in primo, ſi non in alio: Itaq; quoniam in ſingulis mentibus ſeparatis præter primam ineſt actus, qui eſt ipſarum natura, ac præterea carentia & priuatio alicuius perfectionis, hinc fit, vt ſingulæ ſint & dicantur compoſitæ ex actu & priuatione, ſiue ex propria natura vel perfectione & carentia perfectionis. Alij de hac compoſitione ita ſentiunt: Omnes mentes præter primam poſſunt conſiderari tum vt ad primam accedunt, tum vt ab hac recedunt: Acceſſus eſt perfectio, quæ vicem habet formæ, receſſus eſt perfectionis defectus, qui ſapit naturam materiæ ac priuationis: Itaq; mens omnis præter primam relatione ipſius ad primam erit compoſita ex perfectione ac perfectionis carentia, & ex ijs, quæ ſimile quiddam formæ & materiæ obtinent. Inquiunt alij vnamquamq; harum mentiũ & ad ſuperiorem & ad inferiorem poſſe referri, atq; reſpectu inferioris, cui affert perfectionem, eſſe quodammodo actum, reſpectu autem ſuperioris, à qua perficitur, eſſe quodammodo poteſtatem; atq; hac de cauſſa ex actu & poteſtate dici compoſitã; quamquam in ea eadem natura ſit actus, ſimulq; poteſtas. Hanc compoſitionem Cardinalis Beſſario in lib. 3. aduerſus Platonis calumniatorem cap. 22. probauit, ſcripſitq; Auerroem iuxta hanc ſententiam dixiſſe in lib. 1. phyſ. com. 1. formas omnes inter materiam primam & vltimam formã interiectas eſſe compoſitas. Alij aliter ſentiunt, ſed cum his non eſt, vt certemus, quoniam hic locus non ſatis eſt idoneus, in quo de mentium ſeparatarum compoſitione contendatur, & præſertim cùm hæc rationis compoſitio, qualis qualis ſit, aduerſarijs nullam afferat vtilitatem; nam ſi remota omni noſtræ cogitationis opera rogemus, nunquid

exce-

excepta prima mente reliquæ ſint actus ſimplices, vel poteſtates ſimplices, an potius ex actu & poteſtate compoſitæ, planè ſi non ſunt puri actus, neq; puræ poteſtates, neceſſe eſt fateri has abſq; vlla noſtræ mentis functione ex actu & poteſtate exiſtere, atque idcirco ipſarum naturam non eſſe ſimplicem, ſed ex duabus naturis conflatam quarum vna eſt actus, & altera poteſtas. Ratio altera eſt: Conceſſa mentium multitudine in quæſtionem cadit, nunquid mentes inferiores intelligant ſuperiorem, an ſingulæ ſui ipſius tantum ſint intelligentes. Hoc falſum eſſe perſpicuè, quia cùm prima ſupremaq; mens ſit reliquis tanquam finis ad expetendum propoſita, harum appetentiam non poteſt excitare, niſi ab ipſis intelligentia comprehendatur. Quòd ſi dictum fuerit has mentes ſibi ipſas eſſe finem, nec finem à ſe diuerſum petere, id non erit abſq; crimine, tum quia vna alteri nihil proderit, ſiue ſit, ſiue nõ ſit, atq; hoc modo multi erunt principes, quod ſub exitum lib. 12. poſtnat. fuit vituperatum: tum etiam quoniam nullo eſſent ordine inter ſe diſtributæ, caſuq; propterea conſtarẽt; nam quæcunq; ſunt inter ſe ordine digeſta, hæc ad vnum ſupremum finem referuntur, cuius gratia ſuis funguntur officijs. Sin autem prima à reliquis intelligatur, non alia ratione hæ poſſunt in illius intelligentia verſari, niſi quia ex illa pẽdent, omninoq; ſuum bonum in illa habent collocatum; atqui Ariſtoteles mentes à materia ſeparatas ita induxit, vt ſe ipſis conſtantes optimè ſe habeant, neq; bonorum ſuorum cuiuſquam indigeant: nã ſi quæ de his tradita ſunt ab Ariſtotele, inſpiciantur, perſpicuum erit idem iudicium de omnibus factum fuiſſe, nec quippiam alicui fuiſſe datum, quod alys fuerit ereptum. Præterea ſi mentes quæ poſt primam ſunt, in hac contemplanda verſentur, quærendum erit, an hæc contemplatio & intellectio fiat per ſuſceptionem alicuius ſpeciei, an per eſſentiam vel ipſius Dei, qui intelligitur, vel mentis intelligentis. Primum ſanè omnibus Peripateticis eſt improbabile ex ſubſtantijs à materia ſeparatis accidens omne ejicientibus, ſentientibuſq; mentes hiſce non eo pacto intelli-

gere, vt illius, quod cadit in intelligentiam, ſpeciem ſuſcipiant. Nec alterum videtur ferendum, quod eſt Achillini, & Gregorij Ariminenſis, atq; ob id arbitrantium has mentes compoſitas eſſe ex propria natura intelligente & ex Deo, qui in ſingulis eſt ceu obiectum eis propoſitum ad intelligendum, quia ſi mentes inferiores primam intelligerent per eſſentiam primæ, hæc quoniam eſt vnius modi, indiuidua, nulliuſq; capax uarietatis, conficitur, vt ab omnibus æquè apprehendatur, nec magis explicatè à ſe, quàm ab alijs intelligatur. Accedit, quòd cùm primæ mentis eſſentia idem ſit, quod eius intellectio, mens prima à reliquis ſua ipſius intellectione intelligeretur: & verò arduum eſt intelligere, quo pacto vlla mens poſſit alteram mentem intelligere per intellectionem mentis intellectæ, nam intellectio, qua quippiam intelligitur, non eſt rei intellectæ, & in re intellecta, ſed naturæ intelligentis & in natura intelligente. Quinetiam id ſi quis admittat, non video, qui poſſit tueri in mentibus ſeparatis idem eſſe naturam intelligentem, rem intellectam, & actum intelligendi. Nec deniq; tertium ac poſtremum eſt expers difficultatis, quod eſt dogma Alberti Magni in ſum. de quatuor coæuis quæſt. 4. art. 25. Pomponatio & alijs mirificè probatũ. Inquiũt hi mentem inferiorem intuendo propriam eſſentiam Deum & omnia, quæ ſub ipſa poſita ſunt, apprehendere, hancq; rationem affeiunt, quòd cauſſa & id, quod efficitur à cauſſa, ſic ſunt inter ſe affecta, vt alterum in altero eluceat aliquo pacto, nam res effecta eſt imago cauſæ, & cauſſa eſt exemplar illius, quod efficitur: quapropter quoniam mens inferior eſt à Deo procreata, & efficit ea, quæ ſunt poſt ipſam, exiſtimandum eſt eam, dum propriam eſſentiam intuetur, & Deum, & omnia à ſe effecta explicatiſſimè comprehendere. Cum horum opinione facit octaua propoſitio lib. de cauſis, in qua habetur omnem mentem à materia ſolutam, tamid, quod eſt ſupra ſe, quàm quod eſt infra, intelligere; hoc, quia eſt cauſſa ipſius; illud, quia ſuam ab ipſo accipit perfectionem. Hæc plena ſunt difficultatum; & pri-

mum

mùm non eſt ad ſententiam Ariſtotelis concedendum mentem primam eſſe cauſſam reliquarum effectricem, quoniam quæcunque æternitate continentur, hæc omnia reſpuunt cauſſam effectricem. Deinde eo quoq; dato non propterea ſequitur propoſitum, quoniam cognita cauſſa effectrice non cognoſcitur res effecta, quòd rei cuiuſq; notitia nitatur cognitione propriæ naturæ, & quidditatis. extra quam poſita eſt cauſa effectrix; & eadem ratione cognita re effecta non item cognoſcitur cauſa efficiens. Poſtremò quicquid per eſſentiam intelligitur, id niſi fuerit natura & eſſentia mentis intelligentis, oportet huic dignitate cedere; huius ea eſt ratio, quoniã id eatenus intelligitur, quatenus eius uis & perfectio ſita eſt in eſſentia mentis intelligentis, & nequit fieri, vt uis & perfectio illius, quod eſt magis præſtabile, in eo ſit concluſa, quod minorem habet dignitatem: ergo nequaquam eſt ponendum mentes inferiores per ſuam eſſentiam intelligere primam, quæ illas ſuperat longo nobilitatis exceſſu. Quòd ſi nulla eſt ratio, qua de ſententia Ariſtotelis mens prima à reliquis intelligatur, neceſſariò relinquitur in huius doctrina nullum eſſe locum multis mentibus à materia ſeparatis. Tertia poſtremaq; ratio eſt: Ariſtotelem non putaſſe multas mentes cælorum motrices eſſe ponendas ex eo conficitur, quòd ſi quis hanc de multis mentibus opinionem tribuat Ariſtoteli, ad huius ſententiam fateatur, eſt neceſſe multas ſubſtantias reperiri ea infinitate præditas, quæ eſt ſimpliciter infinitas, & tota ſimul in ſeſe collecta. quod non eſt abſq; fœditate. Id eſſe fatendum argumento eſt, quoniam uis mentis à materia ſeparata eſt infinita ſimpliciter, idq intelligitur ex demonſtratione, qua ſub exitum, lib. 8. phyſ. & in lib. 12. poſtnat. 41. conficitur ſubſtantiã immobilem ac perpetuam eſſe impartibilem, & à magnitudine vacuam. Ea eſt huiuſmodi: ſi hæc ſubſtantia haberet aliquam magnitudinem, hæc vel finita, vel infinita eſſet; neutrum poſſumus tueri; ergo hæc ſubſtantia eſt impartibilis, & expers magnitudinis. Non habet magnitudinem infinitã, quoniam hæc

non

non conſtat in rerum natura; neq; finitam, quia cùm finitæ magnitudini non fuerit data uis infinita, non poſſet mouere tempore infinito: In finita magnitudine vires infinitas non conſiſtere id fidem facit, quoniam magnitudo, cuius vires ſunt infinitæ, vel in non tempore moueret, vel in eo tempore, quo mouet magnitudo, cuius vis eſt finita, quorum vtrumq; eſt flagitioſum. Hæc eſt Ariſtotelica argumentatio, quæ nullum pondus haberet ad perſuadendum mentem ſeparatam perpetuam, & immobilẽ carere magnitudine finita, niſi vires illius eſſent ſimpliciter ac propriè infinitæ. At verò non carere abſurditate in rerum natura reperiri multas ſubſtãtias ſimpliciter infinitas multa ſunt, quæ demonſtrant. Et primùm hæ ſubſtantiæ nullo eſſent ordine inter ſe digeſtæ, quòd ordo ſit ratio, & id, quod eſt infinitũ, nullam habeat rationem ad alterum infinitum, lib. 8 phyſ. 15. Deinde earum par eſſet dignitas, quoniam nihil in vna eſſet poſitum, quod alteri eſſet adempium; qua de re vna excepta reliquæ eſſent ſuperuacaneæ. Hæc cùm Auerroes non ignoraret ſcripſit in lib. 2. de cælo com. 38. ſi vires corporum cæleſtium motrices eſſent infinitæ, has nullam rationem habituras eſſe ad corpora cæleſtia, foreq;, vt nullo modo ſint inter ſe diſſimiles, ac multæ numerentur. Amplius ſi multæ ſubſtantiæ ſimpliciter infinitæ haberent ſedem in rerum natura, alicui plus perfectionis conceſſum eſſet, quàm formæ ſimpliciter infinitę, quod nefas eſt, cùm nihil perfectius poſſit eſſe, aut cogitari ſubſtantia ſimpliciter infinita. Conſequutionem illud confirmat, quòd multę formę, multęq; ſubſtantiæ ſimpliciter infinitę plus habẽt perfectionis, ſi vnà iungantur, quam ſi ſingulę per ſe ſolitarię exiſtant: Huius ea eſt ratio, quoniam perfectio, quæ cùm multis poteſt communicari, maior eſt in multis, quàm in vno tantùm: Hinc Ariſtoteles in lib. 1. Ethic. ad Nicom. cap 2. dicebat: licèt fælicitas à reliquis omnibus bonis ſeiuncta ſit maximè expetenda, attamen ſi vel cum minimo bono iungatur, eam magis expetendam fore, magisq; optabilem. Denique, ne plura perſequar, ſi multę ſubſtantię

tię

tię ſimpliciter infinitę eſſent in hoc theatro, in eodem quoq; Dij eſſent multi, quo nihil eſt indignius in Ariſtotelis doctrina: Huius conſequutionis ea eſt ratio, quoniàm ſubſtantia ſimpliciter infinita eſt omnibus perfectionibus cumulata, & ex alio non pendens per ſe, ſuisq; utribus conſtat; Hęc verò ſic Dei ſunt, vt prętter Deum alij rei non conueniant. Huic argumento obuiam eunt nonnulli Scoti aſſeclæ aſſeuerantes Ariſtotelis demonſtrationē, qua conficitur primum motorem habere vim infinitam ſolius Dei propriam eſſe, nec poſſe in reliquas mentes accommodari: Atq; huius aſſeuerationis eam rationem afferunt, quòd hęc conſequutio, primum mouens mouet tempore infinito, ergo habet vim ſimpliciter infinitam; in eo conſiſtat, quoniam primum mouens ſic mouet tempore infinito, vt id ex ſe, & non aliunde conſequatur; Enim verò quod ex ſe mouet, id per ſe eſt, neq; quòd ſit, alicui acceptum ferat, & quod eſt huiuſmodi, id cumulatiſſimè eſt ens, neq; ipſi poteſt quippiam addi, quod pertineat ad naturam entis; qua è re quoniā tota entis natura eſt infinita, ſequitur, quod mouet ex ſe, eius vim & naturam eſſe ſimpliciter infinitam. Iam verò cùm reliquę mentes ſeparatę poſt primum motorem ex ſe non efficiant motum ſempiternum, quippe quę in mouendo tempore infinito pendeant ex prima mente, primoq; motore, non eſt, vt his tribuatur vis ſimpliciter infinita. Hi multum errant, nam ad hanc conſequutionem inferēdam id fuiſſet aſſumptum, quod nullius eſt ponderis, & id omiſſum, in quo tota illationis vis eſt collocata. quippe conſequutio hęc eo duntaxat nititur, quod eſt mouere tempore infinito, ex quo, vt hi putant, non ſequitur virtutem mouentis eſſe ſimpliciter infinitam & illius, quod eſt ex ſe, ac independenter mouere nulla prorſus eſt habita ratio. Deinde ſi vera eſſet horum aſſeueratio, ex Ariſtotele intelligi non poſſet reliquas poſt primam mentes eſſe à magnitudine vacuas: Etenim cùm demonſtratio, qua concluditur ſubſtantiam perpetuam immobilem cęlorum motricem nō habere magnitudinem, eo principio nitatur, quòd hęc ſubſtantia habeat vim ſimpliciter infini-

infinitam; atq; hęc vis tollatur ex mentibus infra primam cõstitutis, ex ea non potest intelligi has mentes esse vacuas ab omni magnitudine. Cardinalis Caetanus in tract. de infinitate Dei scribit omnes quidem substantias à materia separatas motu inuentas fuisse, verùm primam ob motus infinitatem fuisse positã, & reliquas ob numerum cęlestium motuum in omni ętternitate ęquabilium motores immobiles à materia secretos requirẽtium. Hunc non facere cum Aristotele ij omnes procul dubio sibi persuadebunt, qui considerare voluerint Aristotelis progressum in lib. 12. post nat. Hic in tex. 29. huius libri his verbis proponit de substantia immobili ac perpetua esse disputandum: Cum sint tres substantiæ, duæ naturales, & altera immobilis, perpetua, à nostrisq; sensibus remota, de hac differendum est, nunquid scilicet reperiatur aliqua substantia immobilis, perpetua, & ab ijs, quæ sensibus accipiuntur, separata. *De hac substãtia immobili postquam Aristoteles multa est persequutus, variaq; ipsius attributa explicauit, in tex. 41. totam disputationem hoc modo concludit:* Ex his igitur constat esse substantiam aliquam perpetuam, immobilem, & à sensibus separatam: Hanc demonstratum est nullam magnitudinem habere, sed partibus carere, atq; impartibilem esse: Infinito enim tempore mouet; nullum autem finitum infinitam habet potestatem. *Demonstrauit igitur Aristoteles illam substãtiam immobilem & perpetuam esse impartibilem, cuius disputationem suscepit, & quam concluſit in rerum natura reperiri: At si quis atentè voluerit Aristotelis verba considerare, intelliget hanc substantiam immobilem complecti quascumque substantias à materia separatas, & quod sequitur de his omnibus Aristotelicam demonstrationem esse accipiẽdam. Deinde postquam Aristoteles docuit substantiam immobilem & perpetuam esse impartibilem, continuò subiungit quęstionem, nunquid vna talis substantia sit ponenda, vel plures: atqui Aristoteles in disquisitione de numero mentium separatarum amplectitur mẽtes*

omnes

omnes cælorum motrices; non igitur ex demonſtratione, qua cõficitur ſubſtantiam immobilem & perpetuam partibus carere, hæ ſunt eiẽcienda. Eaſdem non fuiſſe inuentas ob cauſſam diuerſam ab ea, qua fuit prima inueſtigata, Ariſtotelis verba in tex. 43. teſtantur, quæ hoc modo ſe habent: Quoniam præter lationem ſimplicem vniuerſi, quam primam ſubſtantiam immobilemq; efficere dicimus, alias lationes eſſe perpetuas, vagantium inquam ſtellarum videmus; corpus enim cæleſte ſempiternum eſt, & nunquam conſiſtit ac quieſcit, vt in naturali philoſophia monſtratum eſt, harum etiam quæq; lationum profectò ab immobili per ſe, perpetuaq; ſubſtantia proficiſcatur, neceſſe eſt: Natura namq; ſtellarũ perpetua ſubſtantia quædam eſt. & id, quod mouet, perpetuum eſt, & prius eo, quod motu cietur; & id, quod ſubſtãtiâ prius eſt, ſubſtantiam eſſe oportet. Patet igitur tot neceſſariò ſubſtantias eſſe naturâ perpetuas, & per ſe immobiles, ſineq; magnitudine ob eam cauſſam, quam antea diximus. *Conſtat ex his primam ſubſtantiam immobilem à materia diſiunctam, & cæteras poſt primam Ariſtotelem poſuiſſe non ob cauſas diuerſas, ſed ob eandem, quæ aſſumpta eſt ex motus ſempiternitate, ſeu infinitate. Inquiunt alij virtutem mentium à materia ſeparatarum nõ eſſe ſimpliciter infinitam, neq; id ex Ariſtotele colligi, qui vnam eam infinitatem his tribuit, quæ temporis eſt, & continenter fluit; Hos decipi & ſupra contra Auerroem, & huius ſectatores diſſerentes declarauimus, & quæſtione, in qua verſamur, explicata copioſè demonſtrabimus hunc locum de infinitate primi motoris tractantes. Eſt enim locus ſatis difficilis & obſcurus in doctrina Ariſtotelis, & dignus, qui à nobis diligenter tractetur: interim tanquam certum, & doctrinæ Ariſtotelicæ conſonum ponatur virtutẽ mentis à materia ſeparatæ eſſe ſimpliciter infinitam. Vt itaq; extrema cum primis iungantur, ſi Ariſtoteles verè ſentiret multas mentes ſeparatas eſſe in hac rerum vniuerſitate, multas quoq; ſubſtãtias*

ſimpliciter infinitas, pluresq; Deos conſtitueret, quod cum magna eſt connexū abſurditate. Hanc opinionem de vnitate mentis à materia ſeparatæ exiſtimo Alexandrum approbaſſe, qui in lib. 1. quæſt. nat. cap. 25. & in lib. 2. cap. 18. ſcribit corpora cæleſtia deſiderio primæ ac æternæ ſubſtantiæ moueri nulla mẽtium ſeparatarum multitudinis facta cõmemoratione: illius ſunt hæc: Quæcunq; corpora generabilia ſunt, cum ſint naturalia, hęc in alienis locis generantur, & motus coopcratur in eis, vt ad proprium locum perueniant, ad quem cùm peruenerint, quieſcunt ſecundum locum, & perfectionem adepta ſunt, quatenus genita ſunt, habebant enim & principium in ſe ipſis motus ad hoc: Corporibus autẽ ingenitis, & ſuà naturà perfectis, & in loco ſibi naturali exiſtentibus natura, hoc eſt in ipſis principium motus non vt ex imperfectione ad perfectionem mutentur, confert, neque ferantur in locum ſibi naturalem, nam & perfecta ſunt, & nunquam exeunt ex loco ſibi naturali, ſed vt per operationem, quæ eſt ſecũdum ipſum, aſſimilentur entium optimo, æternoq; continuo & regulari motu imitantia actualis ipſius exiſtẽtiæ neceſſitatem, & immobilitatem. *Hactenus Alexander in lib. 2. quæſt. nat. cap. 18. quem in eadẽ opinione extitiſſe planiùs ex Simplicio, & Auerroe intelligitur, nam hic in lib. 12. poſt nat. com. 25. ſcriptum reliquit Alexandrum ſenſiſſe ſolam primam formam eſſe à materia ſeparatam: ille verò in lib. 8. phyſ. com. 61. inquit Alexãdrum putaſſe ſolã primam cauſam eſſe immobilem omnino, quòd nõ ſit principium veluti forma corporis, quod mouetur, ſed ſubſtantia ſeparata, animas verò cæleſtium corporum per accidens moueri, quippe quæ ſunt formæ & actus à corporibus inſeparabiles. Idem ſcribit in lib. 1. de cælo, com. 88. Alexandrum putaſſe argumentationem Ariſtotelicam, qua in lib. 12. poſt nat. conficitur mundum eſſe vnum, quia motor eſt vnus, non perſuadere ad veritatem, quoniam vnum exiſtens primum mouens poterit multa corpora circulo mobilia in gyrum conuertere,*

quòd

quòd moueat, vt id, quod intelligitur atq; expetitur. Ex his conijcitur Alexandrum opinioni de vnitate menti à materia ſeparatæ ſuam calculum adiunxiſſe. In eandem ſententiam accipi poſſunt verba Procli ſcribentis in com. in Timæum Ariſtotelem poſuiſſe vnum mouens primum, quod à materia ſolutum mouet tanquam finis, et ſingulis orbibus ſingulas animas tribuiſſe, à quibus hi alio modo vertuntur in orbem. Eiuſdem opinionis ſcribit Cardinalis Contarenus in lib 5. primæ philoſophiæ fuiſſe Alpharabium in lib. de Intelligentijs; verùm hic non ſatis oculatè videtur inſpexiſſe hunc librum, in quo Alpharabius id perſpicuè ſentit, quod ſupra à nobis fuit ei adſcriptum.

Explicantur loci, in quibus Ariſtoteles videtur ſignificare multas eſſe Mentes à materia ſeparatas. Cap. XVII.

NEC verò argumentum, quo fuit prima opinio confirmata, adeo eſt euidens, vt quod colligit, ſit concedendum: etenim quamuis fateamur vnam ſolam eſſe mentem à corpore ſolutam, hanc tamen aliquo pacto in multas diducimus, atq; huius duas poſſumus afferre explicationes; vna eſt, quia cùm hæc mens non moueat cælos, niſi ab his intelligatur, atq; in actu intelligendi id, quod intelligit, fiat id quod intelligitur; & contrà hoc illud, profectò mens beata, quæ in ſe vna & ſimplex eſt, in eo quòd mouet cælos, multitudinẽ aliquo pacto ſuſcipiet, totq; erunt cæleſtes motores, quot cæleſtia corpora: Altera eſt, quoniam hæc mens non vna eademq; ratione vniuerſis cæleſtibus corporibus, & horum animis appetentibus prop ſita eſt ad expetendũ: Quapropter finis, in quem cæleſtes animæ feruntur, corporaq; cæleſtia, eſt re vnus, & ratione mul iplex, ac veluti in multos fines diſtributus, quoniam variè ab his expetitur, atq; plus & minus, vt maior & minor eſt cuiuſq; perfectio, atq; naturæ dignitas. Et quamquam mens beata ſit ſimpliciter infinita, certa tamen ac definita inter ipſam & cæleſtes animantes ratio intercedit,

quatenus certis definitisq; numeris vnicuiq; est proposita ad expetendum, quæ sanè ratio & mensura, cùm varia sit, in causſa existit de quorundam sententia, vt cæli dissimiliter moueantur, & alij tardiùs, & alij celeriùs suos cursus conficiant, nam singulis tantum cupiditatis fuit tributum, quo mentem beatam appetentes longas aut breues conficiunt suas conuersiones. Ex his patet non ab re Aristotelem concludere tot esse mouẽtia immobilia, hoc est mouentia tanquam bona & optabilia, quot sunt lationes corporum cælestium, nam primum mouens potest considerari aut absolutè, & vt est substantia quædam simplicissima, aut comparatè & vt mouet cælestia corpora, si priore modo apprehendatur cogitatione, vnum modis omnibus existit; sin posteriore, necesse est illud recipere multitudinem, tum quia mouet quatenus aliquo pacto conuersum est in cælorum animas, à quibus intelligitur: tum etiam quia cùm nõ secundum eandem mensuram eandemq; rationem à cælestibus animantibus expetatur, sed ab hoc magis, & ab illo minus, non æquè eodemq; modo in his motum efficit, & quod sequitur, quot sunt animæ & lationes corporum cælestium, totidem sunt mouentia immobilia. Summum igitur bonum & optabile cuncta supereminens omnia implet sui desiderio, & vnum secundum se maximè existens in multa secundum habitudinem ad multa quodammodo distribuitur absq; vlla vera partitione, naturaq; propriæ diminutione. Atq; id Themistio fuit quoq; probatum, qui in lib. 12. post nat. post huius loci explanationem inducit vnum primum principium immobile, & ab omni magnitudine separatum cælis omnibus propositum ad expetendum; idq; statuit cum his comparatum fieri multiplex, quoniam multa sunt, quæ ipsius amore trahuntur, multiq; sunt motus, qui ipsius gratia peraguntur. Quod si quis existimet adeo clara esse verba Aristotelis in lib. 12. post nat. statuẽtis plures esse motores immobiles, vt nequeant nisi violenter accipere hanc explanationem, hic vt sedetur, dicendum erit Aristotelem non ex animi sententia loquutum esse, atq; probabilem, & non admodũ

firmam

firmam eſſe illius argumentationem ad mentium à materia ſeparatarum, & motorum immobilium numerum colligendum; id quod D. Thomas non ignorauit, qui in lib. 2. contra Gentiles, cap. 92. ſcribit cùm hac Ariſtotelis argumentatione colligatur tot eſſe ſubſtantias ſeparatas, quæ habent rationẽ finis, quot ſunt lationes cæleſtes, quæ ad has tanquam ad fines proprios referuntur, eam non eſſe neceſſariam, quòd in ijs, quæ propter finẽ ſunt parata, neceſſitas ex fine deſumatur, & non e contrario ſub exitum lib. 2. phyſ. adiungitq; id nõ latuiſſe Ariſtotelem, quippe qui his verbis argumentationẽ concludit: Quare ſubſtãtias quoq; & principia tũ immobilia, tũ ſenſibilia tot rationabiliter arbitrandũ eſt eſſe; quod enim neceſſariũ relinquatur potentioribus dicẽdum. *Cæterùm etſi non dubitem Ariſtotelicam argumentationem non perſuadere neceſſariò, atq; in hoc aſſentiar D. Thomæ, attamen ne dubitem, nequaquã efficit ratio huius viri, quoniam licèt finis non ſit neceſſarius propter ea, quæ ipſum antegrediuntur, & ipſius gratia poſita ſunt, id tamen non vetat, quin numerus eorum, qui ſunt fines, poſſit colligi ex numero eorum, quæ ſunt propter finem; nam & in lib. 2. de anima 12. monſtratur præter quinq; ſenſus exteriores non eſſe alium ſenſum exteriorem, quòd quinq; tantum ſunt inſtrumenta ſenſibus miniſtrantia animalibus perfectis conceſſa. Nec præterea verba Ariſtotelis, quibus concluditur argumentatio, indicant hanc argumentationem tanquam probabilem fuiſſe propoſitam, & non neceſſariè concludentem, quoniam hæc ſunt accipienda, non vt expoſitis principijs concluſio nõ ſequatur neceſſariò, ſed vt medium, quod ſumitur in argumentatione, nõ ſit penitus certum, nam illud eſt numerus cæleſtium lationum, cæleſtiumq; globorum, qui Ariſtoteli non eſt omnino certus & exploratus, quippe qui ex Aſtronomia eſt conſiderandus; idq; paulò ſuprà fuit aſſeueratum: vt itaq; non dubium argumentationem Ariſtotelicam non eſſe neceſſariam, non efficiunt ea, quæ à D. Thoma diſſeruntur, ſed illud eſt in cauſa, quòd non firmiter ac neceſſariè con-*

concludatur tot esse motores veluti fines, quot ea, quæ cientur, cũ nemini non constet ab vno fine multa allici & moueri: In hac verò argumentatione sumi motorem per modum finis mouentem testis est Aristoteles sub exitum huius disputationis concludens hunc esse mentium numerum, nam si aliæ essent, has esse moturas, cùm alicuius lationis sint finis. Et si putauit Aristoteles sibi & alijs firmiter persuasisse multas esse mentes immobiles, ac perpetuas, ecquid est, quòd haud multò post quædam in dubitationem vocet de vna mente singulari, an intelligat, quid intelligat, & quo modo intelligat quasi vnica tantùm sit mens immobilis à materię sordibus segregata? Neq; existimandum est Aristotelem solam primam mentem omnium præstantissimam habere propositam, nam quæcumq; huic tribuit menti, ea in omnes mentes conueniunt à materia separatas ipsis quoq; aduersarijs assentientibus. Cæterùm de Aristotele nemo admiretur, quòd ratione non necessaria mentium multitudinem colligere voluerit, & de hac quid sentiendum existimaret, non apertè pronunciauerit, quia fortasse verebatur, ne si mentium & Deorum multitudinem eijceret, publicamq; religionem ab hominibus receptam & probatam offenderet, Athenienses ipsum morte mulctarent: cuius rei id fidem facit, quòd is ab Eurymedonte Hierophanta impietatis accusatus, vt est in eius vita proditum à Diogene Laertio, clam in Chalcidem concesserit illud vsurpans. Nõ patiar Athenienses, vt vos in philosophiam iterum peccetis. Hi enim e vita Socratem sustulerant, huic dantes fraudi, quòd non rectam haberet de Dijs existimationem. Cùm igitur Aristoteles non esset nescius, si in hac quæstione de mentium immobilium numero suam opinionem aperuisset, magnum sibi periculum esse procreaturum, prudenter decreuit eam occultare, & ea afferre, ex quibus ij, qui parùm occultè intuentur philosophorũ dogmata, possent sibi persuadere ipsum consentire cum publica Athenienſium religione. Sed hactenus de responsione ad hunc Aristotelis locum. Cùm subiũgitur singulis lationibus, singulisq; ani-

animis appetentibus ſingulas mentes à materia ſeparatas eſſe conſtituendas, quòd ſit conſentaneum fines, ad quos proximè referuntur, multos varioſq́ exiſtere; reſpondetur, quòd licèt mens à materia ſoluta ſi conſideretur ſimpliciter vti bonum quoddam & expetendum, ſit finis omnium cõmunis, cæleſtesq́ omnes animãtes ad ſui amorem alliciens, attamen ſi inſpiciatur in eo, quòd non eadem, ſed varia ac multiplici ratione his eſt propoſita, & aliâ huic, & aliâ illi, ſubit rationem multorum finium, ad quos cæli proximè referuntur. Adiungendum eſt, quòd cùm cæleſtia corpora non ſint vacua ab officijs, ac ſingulorum ſingulæ ſint muneris functiones, hæ poſſunt videri fines ipſorum proximi, quòd id, cuius eſt opus, ſit gratia operis lib. 2. de cælo 12. & omnibus, quorum opus & actio exiſtit, in opere bonum ipſum, & id, quod benè eſt, videatur conſiſtere. Locus libri 2. de gen. & int. 61. quo pacto ſit interpretandus, cùm fuerit expoſitum, non eſt, vt iterũ explicetur. Et hæc de numero mentium à materia ſeparatarum iuxta Ariſtotelis ſententiam, quibus explicatis ad quæſtionem aggrediamur de primi motoris infinitate, cuius explicatio non parum habebit ponderis ad aſſentiendum his, quæ de numero harum mentium fuerunt ſtabilita.

Quibus argumentis virtus ſimpliciter infinita eripiatur primo motori. Cap. XVIII.

Quæſtio de primi motoris infinitate connexa eſt cum magna difficultate in Ariſtotelis ſchola, & omnes ferè Peripatetici recentes in eam opinionem abeunt, quæ tollit e primo motore ſimplicem & abſolutam infinitatem, quos cùm falli exiſtimem, libet horum argumentationes afferre, & ipſarum momenta diligenter expendere, nam ſi in his nihil eſſe roboris, nihilq́ firmitatis fuerit cognitum, facilius poterit perſuaderi primi motoris vim eſſe abſoluè ac ſimpliciter infinitam. Quæ recentes Peripateticos induxerunt, vt primo motori eriperent vim ſim-

ſimpliciter infinitam, quam uocant roboris infinitatem, plurimã quidem ſunt, ſed hæc videntur maiorem habere firmitatem: Primum, quia ex primi motoris operibus, quæ ſingula ſunt finita in hac rerum vniuerſitate, nemo poteſt adduci in illius infinitatis notitiam; & nihil Ariſtoteli probatur, quod careat confirmatione ducta ex ijs, quæ ſenſibus percipiuntur. Secundum; Ariſtoteles illud infinitatis genus tribuit primo motori, quod concluditur in ea argumentatione, qua in calce lib. 8. phyſ. oſtenditur eius vim eſſe infinitam; atqui hæc argumentatio nullũ habet momentum ad teſtandam roboris infinitatem; ergo non eſt, vt quis de ſententia Ariſtotelis tribuat primo motori robur infinitum. Argumentationem eſſe leuem ad confirmandam roboris infinitãte argumento eſt quòd Ariſtoteles nulla re alia perſuadeat vim primi motoris eſſe infinitam, niſi quia perpetuo infinitoq; tempore mouet, quæ ratio nullam habet efficacitatem ad roboris infinitatem perſuadendam, tum quia ad mouendum tempore infinito ſatis eſt virtus perpetua, quæ in mouendo nullum laborem ſentiat, veluti eſt vis omnis à materia diſiuncta; tum etiam quoniã eà confici poſſet primum ſupremumq; cælum, à quo reliqui cæli perpetuo tempore ab ortu in occaſum reuoluuntur, eſſe huiuſmodi infinitate præditum. Tertium: Primus motor eſt proximus primi motus effector, & in hunc vires cunctas impẽdit; verùm cùm hic quatuor & viginti horarum ſpacio conficiatur, nec tempore breuiore poſſit abſolui, quin immo ſi vnum vel minimum ſidus eius orbi adiũngatur, huius acceſſio moram aliquam eſt motioni allatura, concludendum eſt primi motoris vim eſſe finitam, certisq; limitibus concluſam, quæ tamen in omnia ita effunditur, vt cieat vniuerſa, cauſaq; ſit, vt reliqua moueant, quæcunq; mouent. Quartum: Si vis primi motoris ſimpliciter immenſa fuiſſet ab Ariſtotele approbata, ab eodem ea quoq; omnia fuiſſent approbata, quæ vim ſimpliciter infinitã comitantur, veluti ſunt motus temporis momento factus, & ex nihilo emanatio; quando quidem ſi primus motor vim habet ſimpliciter infinitam, nihil

ob-

obſtabit, quo minus poſſit temporis momento efficere motum, & quippiam de nihilo producere: atqui certum eſt Ariſtotelem voluiſſe motum omnem tempore obiri, & creationem neglexiſſe; ergo non eſt in huius opinione vim primi motoris eſſe ſimpliciter infinitam. Quintum: Si primo motori vis actionis infinitæ fuiſſet ab Ariſtotele tributa, eadem quoq; cæteris cælorum motoribus eſſet tribuenda, quippe qui non ſecus ac primus motor efficiãt motum ſempiternum, ex quo quanta ſit primi motoris virtus intelligitur: atq; in abſurdis eſt multas ſubſtantias in rerum natura ponere, quarum vis ſit ſimpliciter infinita. Sextum: In ſchola Ariſtotelis nulla cauſſa efficiens eſt ponenda, quæ per ſe ſola cõſtet diſiuncta ab eo, quod patitur: ergo ſi primus motor haberet vim agẽdi ſimpliciter infinitam, in rerum natura eſſet quippiã, quod eſſet apiè natum excipere vim illius immenſam, & quod ſequitur, pati infinitè: ſed ſi omnia quæcumq; patiuntur, voluerimus intueri, nullum perſpiciemus, quod patiatur infinitè; nõ eſt igitur, vt de ſentẽtia Ariſtotelis virtus ſimpliciter infinita primo motori imperiatur. Septimum: Primum mouens eſt prima forma, actuſq; primus; non igitur huius vis eſt ſimpliciter infinita: Conſequutio declaratur, tum quia omnis forma eſt terminus lib. 4. phyſ. 35. atq; idcirco vim habet finitam, ſuisq; finibus coercitam: tum etiam quia formæ ſunt veluti numeri lib 8. poſtnat. 10. & nullum numerum eſſe infinitum, lib. 3. phyſ. fuit monſtratum. Octauum: Si noſtræ mentis aciem in ea voluerimus defigere, quæ de natura infiniti ſunt ab Ariſtotele tradita in lib. 3. phyſ. intelligemus nullam formam eſſe inducendam, cuius vis ſimpliciter ſit infinita: Et primùm nos docet Ariſtoteles infinitũ non ex forma, ſed ex materia pendere; deinde actu non eſſe, ſed poteſtate; tum nec perfecti, nec totius rationem ſuſtinere; poſtremò ignotum eſſe: Atqui ſi hæc verè docemur ab Ariſtotele, quis non ſentiat primum motorem, qui eſt forma integerrima, actus ſimpliciſſimus, ſuàq; naturà intelligens & intelligibilis, nõ ſic poſitum eſſe ab Ariſtotele, vt eius vis ſit infinita ſimpliciter?

Et si res naturales nequeunt à nobis scientia comprehendi, nisi earum principia fuerint nobis prob cognita, qua ratione quispiam sibi poterit harum scientiam polliceri, si primus motor, qui est rerum omnium principium, fuerit infinitus, & ob id nostræ cognitioni magnopere alienus? Nonum, quicquid perfectionis in primo motore positum est, id ad Aristotelis sententiam cum rebus cunctis huius vniuersi communicatum est: ergo cùm omnes huius vniuersitatis perfectiones sint finitæ, quòd in re finita perfectio infinita esse non possit; profectò vis primi motoris atq; perfectio non erit simpliciter infinita. Decimum ac postremum: Effectione primi motoris, qui est Deus immortalis, regitur tota hæc rerum vniuersitas; hicq; de sententia Aristotelis in suis officijs versatur more naturæ id omne semper efficiens, quod efficere est apiè natus: verum enim verò si eius vis fuerit simpliciter infinita, is omnia, quæcunq; efficiuntur, poterit efficere; quòd si efficiat, sequitur, vt nihil sit, in cuius effectione reliquæ virtutes effectrices possint occupari: & verò si hæ fuerint in otio perpetuo nihil prorsus agentes, ex naturæ theatro erunt exterminandæ, cuius constans est lex, vt in eo nihil resideat, cuius nulla sit actio, nullumq; opus. Atq; hæc sunt ea, quæ multis persuaserunt, vt de sententia Aristotelis primo motori tribuerent virtutem simpliciter finitam, atq; ex rerum vniuersitate eijcerẽt infinitatem, quæ verè ac simpliciter infinitas nuncupatur.

Græci Aristotelis interpretes senserũt primi motoris vim esse simpliciter infinitam; idemq; Auerroi fuit quandoque probatum, & consentit cum Aristotele.

Cap. XIX.

PRimum motorem, supremamq; mentem à materia separatã habere vim infinitam totam in seſe collectam, quam nostrè appellant vim simpliciter ac verè infinitam, tametsi fuerit dubium recentibus Peripateticis, & omnes ferè nostræ ætatis philoſophi

loſophi ſint huius virtutis oſores, Graci tamen veteresq; Peripatetici Alexander, Ammonius, & Simplicius nullo modo hanc à ſe deſertam eſſe voluere, nam Alexander in lib. 12. poſt nat. com. 25. habet hæc: Cælum autem mouetur, donec bonum indipiſcatur, quod vbi adeptum eſt, conſiſtit: Cùm autem prima cauſa, quæ primum bonum eſt, ſit infinita, quod ipſam deſiderat, nũquam vniuerſam eius bonitatem, vt ſit in bonis particularibus, conſequi valet, ac proinde ſemper ipſa mouebit, vt amatum incomprehenſibile. *His nemo non debit tribui cælorum motori, primæq; cauſſæ naturam ſimpliciter infinitam. At verò Ammonius in com. categor. cap. de ſubſtantia hæc ſcripta reliquit:* Cognitam & Ariſtoteli intelligibilem fuiſſe ſubſtantiam, & compoſitis præſtantiorem ipſe planè & in prima philoſophia oſtendit, & in lib. de cælo, atq; in lib. 8. naturalis auſcultationis, vbi per ſeipſa inquit mobilia priora eſſe ijs oportere, quæ aliunde mouentur, & immobilia ſemper mobilibus: nam niſi immobilis quædã ſemper mobilium cauſſa exiſteret, vtiq; illa motu ſempiterno haudquaquam perduraſſent agitanda. Hanc autem incorpoream eſſe, ac partibus carere dimenſionibusq; tali quodam demõſtrat theoremate: Nam hanc aſſerit cauſſam vi infinita conſtare, quòd ſi eſt, planè quoq; incorpoream exiſtere; nam corpus omne, vt ipſe ad calcem lib. 8. naturalis auditus probat, finitam obtinet poteſtatem; ſi enim infinita eſſet, quæ in corpore eſt poteſtas, quando diuidi poteſt omne corpus, diuidamus corpus in tria ſegmenta verbi gratia inquit: Vtrum ergo ſegmentum quoduis infinitã vim, an finitam poſſidet? Si finitam, pars toti tantundem valebit, id quod abſurdum eſt, nec fieri poteſt: ſi finitam, patet id quoq;, quod ex finitis conſtat, finitum planè eſſe: quare & totius corporis finita vis erit, nec infinita: ergo corpus nullum finitum vi infinita præditum eſt: Corpus autem nullum infinitum eſt magnitudine, nam id quoq;

ipſe in phyſicis oſtendit: Nullum itaq; corpus infinitã vim obtinet: Hoc ſi ſit, ergo quod facultatis infinitæ compos ſit, corpus non erit: Incorporea eſt igitur prima ſubſtantia, ſi quidem & infinita poller facultate. *Hæc Ammonius, quibus perſpicuè ſignificat uim ſubſtantiæ à materia ſeparatæ eſſe ſimpliciter ac propriè infinitam, cætero quin argumentatio, qua concluditur in corpore finito non eſſe vires infinitas, pondus non haberet. Et quamuis hac argumentatio ab Ariſtotele non fuerit vſurpata, ea tamen vſus eſt Alexander Simplicio referente in lib. 8. phyſ. com. 101. Quapropter hinc quoq; patet Alexandrum approbaſſe vim ſimpliciter infinitam ſubſtantiæ à materia ſeparata; quod præterea non obſcurè intelligitur ex poſtrema Simplicij contra Philoponum diſputatione in com. lib. 8. phyſ. habita. In eandem opinionem Auerroes iuit, dum in lib. de ſubſt. orbis cap. 6. oſtendit motorem, ex quo pendet cæleſtis motus infinitas, nullam magnitudinem habere, atq; ita argumentatur. Si vis infinita eſſet in corpore, eſſet in corpore vel finito, vel infinito; neutrum ſumendum eſt; non igitur vis infinita in corpore poteſt eſſe. Hanc vim non eſſe in corpore infinito huius corporis remotio e rerum natura aperiè declarat: Eandem non eſſe in corpore finito illud perſuadet, quòd ſi quiſpiam id concedat, huic quoq; concedendum erit vim aliquam reperiri, quæ ſit maior vi infinita, quod nefas eſt, quando quidem nihil eſt maius infinito: Enimuerò ſi quis ſtatuat vim infinitam conſiſtere in corpore finito, vt exempli gratia in octaua ſphæra, quoniam nihil obſtat quominus corpus aliquod poſſit reperiri maius octaua ſphæra, & quocunq; corpore finito, huic planè ſtatuendum erit vim huiuſce corporis eſſe maiorem vi infinita ſphæra octaua, quòd virtutes ex corporibus pendentes ita ſunt comparatæ, vt maiores ſint in corporibus maioribus, creſcantq; creſcentibus corporibus. Ex hac argumentatione liquet vim ſimpliciter infinitam ab Auerroe probari, nam ſi hic demonſtraret vim tempore & permanſione infinitam non poſſe in corpore conſiſtere, nequaquã illi, qui hanc*

pone-

poneret in corpore finito, ponendum eſſet dari vim infinita materem, quoniam non ſequitur neceſſariè, corpus quò eſt maius, eò diuturniore tempore in rerum vniuerſitate conſtare, nam ſphæra vltima multo longoq; magnitudinis exceſſu ſuperat reliquas ſphæras ipſius amplexu coercitas, cuius tempus non eſt harũ tempore diuturnius, ſi quidem hoc & illud eſt infinitum, & infinitum non eſt diuturnius infinito. Quin etiam fuit eãdem vim amplexatus in cap. 3. eiuſdem libri, in quo ſcribit monſtratum eſſe ab Ariſtotele virtutem cæli motricem nõ eſſe materiæ & magnitudini coniunctam, quòd natura cæli motrix ſit prædita virtute mouendi infinita, & vis omnis ex corpore pendens & connexa cum materia habeat finitam mouendi efficaciam; id quod declarat hoc modo: ſi aliquis ſentiat in corpore finito contineri vim, quæ prædita ſit infinita mouendi efficacitate, quoniam corpus omne eſt capax diuiſionis, corpus hoc, cuius vis ponitur eſſe infinitæ mouendi efficaciæ, diuidatur in tres aut quatuor partes, atq; his ſingulis per ſe ac ſeparatim ſumptis quæratur, nunquid earum vis habeat vim mouendi infinitam, an finitam: Si detur hoc, neceſſariò vniuerſa totius corporis vis erit finitæ mouendi efficaciæ, quòd ſingularum partium vis habeat finitam mouendi efficacitatem: Sin verò ſtatuatur aut ſingulas partes, aut vnam dumtaxat habere vim mouẽdi infinitam, fatendum erit aut partis virtutem eſſe æqualem totius virtuti, atq; idcirco totius, & corporis maioris virtutem non eſſe maiorem virtute partis, corporisq; minoris; aut virtutem aliquam reperiri, quæ ſit maior virtute infinita; nam cùm partis virtus ſit infinita, & hæc à totius virtute ſuperetur, neceſſe eſt totius virtutem eſſe virtute partis infinita maiorem. Hoc in loco Auerroes ſequutus eſt Algazelem, qui in lib. 1. philoſophiæ tract. 4. cap. 2. haud diſſimili argumento concludit virtutem infinitam, in cuius partibus eſt mouere cælum ſeculis immortalibus, eſſe ab omni corpore & magnitudine ſolutam; & cùm Alexandri, & Ammonij argumentandi rationem imitetur, aperiè ſtatuit virtutem cæli motri

cem

cem esse infinitam simpliciter, quod nonnulli intelligentes dixerunt id Auerroem imprudenter statuisse, quippe qui paulò post affirmat virtutes calorum motrices in agendi modo esse finitas, hincq; existere, vt calorum motus certis temporum spacijs conficiatur. Verùm hi si non ignorassent præter primum motorem à materia separatum, cuius vis est simpliciter infinita, alios motores materiæ cõiunctos & in agendi modo virtutis finitæ fuisse ab Auerroe cęlis concessos, hunc sanè de imprudentia non accusassent, quod ne eos lateat, audiant ea, quę habentur ab Auerroe in lib. 12. post nat. com. 41. Hoc in loco dubitatur, ecquid sit, cur motor cęli, qui est virtutis infinitę, non moueat temporis momento; respondetur cęli motum ex duobus motoribus pẽdere, quorum alter vim habet finitam, & est anima in cęlo sita; alter est prędituus vi infinita, qui in nulla materia positus est; & caussam motus perpetuitatis in motorem, cuius vis est infinita, esse conijciendam, qui motor est forma soluta à materia, ac mouet vt id, quod expetendum præponitur; caussam vero, cur motus cęlestis statuto definitoq; tempore agatur, in cęlestem animam esse referendam, quę vim habet finitam, cęloq; adhęret perpetuò. Ex his intelligitur Auerroem non imprudentem, sed scientem tribuisse vim simpliciter infinitam motori à materia soluto. Neq; hic locus probè fuit interpretatus à Gregorio Ariminensi in lib. 2. sent. dist. 1. quæst. 1. art. 2. & à Zimara in theor. 61. qui, vt Auerroem in contrariam opinionem pertraherent, dixerunt primi motoris à materia separati infinitatem esse temporis perpetuitatem: Id autem interest inter hos, quòd Ariminensis voluit hos duos Auerrois motores non esse re diuersos, sed vnicum motorem, cuius cùm aut sint mouendi rationes, vna per modum finis, & altera per modum efficientis, in duos motores quodam modo distribuitur, atq; vt habet rationem finis, asserit sibi vim tempore infinitam; vt autem efficientis, finitam, quando quidem vt mouens moueat, oportet rationem, quæ inter ipsum est & id, quod mouetur, certam ac definitam esse. At Zimara intelligens motores ab

Auer-

Auerroe poſitos eſſe re ipſa diſiunctos ſtatuit Auerroem cæli nomine intelligere totam cæleſtium corporum cõſtitutionẽ, hanc q; à duobus motoribus circumferri, quorum vnus præeſt ſphæræ inerranti, alter amplectitur omnes ſphærarum erraticarum motores; atq; hos duos motores partim ſimiles eſſe, partim diſſimiles; ſimiles, quoniam ambo mouent per modum finis, modumq; efficientis; diſſimiles, quia ratio finis primùm magisq; conuenit priori motori, efficientis autem poſteriori. Et quoniam infinitas maximè tribuitur fini, & finitas efficienti, idcirco factum eſſe inquit, vt Auerroes dixerit priorem motorem eſſe infinitæ actionis, hoc eſt perpetuitatis propter finis rationem, & poſteriorem finitæ ob efficientis proprietatem. Hi non ſyncerè hunc Auerrois locum ſunt interpretati, quorum errores cùm Pendaſius in lib. 8. de phyſ. auditu tract. de primo motore immobili aperuerit, multis omiſſis hoc vnum dicam, quòd cùm Auerroes dubitationem proponendo ſumpſerit cæli motorem habere vim ſimpliciter infinitam, quandoquidem ex hac, & non ex temporis infinitate dubitatio exiſtit, cur cælum non moueatur temporis momento, atq; reſpondendo dederit primum motorem habere vim infinitam, cæterùm non fieri motum temporis momento, quoniam præter hunc motorem à materia ſeparatum eſt alius motor, in materia exiſtens, qui eſt anima cæleſtis, cuius vis eſt finita, cùm ſit virtus hærens magnitudini finitæ, neceſſe eſt, vt ſentiat primi motoris infinitatem eſſe ſimpliciter infinitatem, & non perpetuitatem. Cuius præterea cùm id facit fidem, quòd infinitas, quæ motori à materia ſeparato tribuitur, animæ magnitudini coniunctæ adimatur, cui non eſſet eripienda, ſi eſſet temporis infinitas; tum illud argumento eſt, quòd ad hanc dubitationem profligandam Auerroi nihil fuiſſet opus ad duos motores cõfugere, ſed ſat fuiſſet dicere virtutem cæleſtis mouentis eſſe tempore infinitam, & non ſimpliciter infinitam, atq; ex hac infinitate nequaquam fieri, vt motus temporis momento agatur. Cæterùm hi non intellexerunt hunc Auerrois locum magnam habere affinitatem cũ

loco

loco Alexandri apud Simplicium in lib. 2. de cælo com. 3. Hìc quæſiuit Alexander, quo motu corpus cæleſte per animam creatur, cum ſuâ natura agatur in orbem? Fuit opinio Hermini cælũ, quòd in orbem moueatur, ex propria natura conſequi, quòd in infinitum ex anima: Hunc Alexander caſtigat, quod anima cæli, quæ eſt actus corporis finiti, hareté in magnitudine finita, atq; ob hanc cauſſam habet vim finitam, non poteſt præbere motum infinitum; ipſé ſentit cælum, quòd certo ſtatuioq; tempore moueatur, animæ accepium ferre, quæ eſt ipſius natura; quod autem ſempiternis ſeculis conuertatur, in cauſſa eſſe primum motorem à materia ſeparatum, qui mouet vti id, quod ciet appetitũ, cuiusq; vis eſt infinita. Ab hac igitur Alexandri doctrina Auerroes perſuaſus ſcripſit, quæ proximè fuerunt recitata, cũ quibus conſentiunt, quæ ab eodem prodita ſunt in lib. de ſubſt. orbis cap. 4. & 6. quibus in locis ſentit virtutes. quibus cæleſtia corpora certis temporum ſpacijs mouentur, cælorum animas eſſe, quæ quòd ſint finitis viribus præditæ, non poſſunt mouere niſi tempore finito: Quapropter præter has inducendam eſſe aliam cauſam; ex qua fluat motus cæleſtis perennitas, atq; hanc eſſe mentem à materia, & ab omni materiæ contagione ſegregatam à corporibus cæleſtibus expetitam, quæ cùm vim habeat infinitam, cauſſa eſt, vt cæleſtia corpora ſempiterno tempore in orbem agantur. Hos Auerrois locos cùm Cardinalis Caietanus ob oculos ſibi propoſuiſſet, in quæſt. de Dei infinitate ſcripſit Auerroem in ſua opinione parùm fuiſſe ſtabilem, nam primùm dediſſe primo motori robur finitum, quod intelligitur ex lib. 8. phyſ. com. 79. & ex lib. 2. de cælo com. 38. tum ſententia mutata eundem induxiſſe robur infinitum habentem. Sed de Auerroe quicquid ſit, ego cenſeo in Ariſtotelis doctrina virtutem primi motoris, mentisq; à materia ſeparata non eſſe fluentem, ſed totam ſimul in ſeſe collectam, ac ſimpliciter infinitam, atq; id ex his colligi: Primum motorem, & Deum eſſe æternitatem Ariſtoteles nunquam dubitauit; ſed æternitas definitore Boethio in lib. 5. de conſ. phil.

phil. eſt interminabilis vita tota ſimul & perfecta poſſeſſio; vel vita tota ſimul, vt inquit Plotinus in lib. de aternitate & tempore, ergo Dei infinitas tota ſimul erit; & quod ſequitur, infinitas ſimpliciter, & minimè temporis infinitas, quæ continenter fluit, & nunquam ſimul tota exiſtit. Et profectò ſi primi motoris infinitas eſſet fluens, continenterq; laberetur, neq; tota eſſet ſimul, cùm diffluens ſemper adiunctam habeat poteſtatem, atq; aſſiduè labatur, & per partes efficiatur, primum motorem & Deum poteſtate contineri, & cauſſam habere extrinſecus explicãtem atq; ad actum traducentem iſtam ſuam infinitatem erit confitendũ, quo ſi quid eſt magis abſonum, conſiderent aduerſarij. Et ſi infinitas fluens, continenterq; labens non eſt ſimpliciter infinitas, ſed aliquo pacto, & quod eſt alicuius modi quodam modo, id ſit illius modi opera illius, quod propriè ac ſimpliciter eius eſt modi, quis non ſentiat præter infinitatem fluẽtem, quam temporis infinitatem appellamus, inducendam eſſe ſimpliciter infinitatem, atq; hanc in prima mente primoq; motore eſſe ponendam, ex qua pendet omnis finitas fluens, & nunquam ſimul tota conſiſtens? Omnino quicunq; voluerit animum attendere, ſine dubitatione intelliget vnà cum Simplicio in lib. 8. phyſ. in diſputatione vltima aduerſus Philoponum vim infinitam ſecũdum ſucceſſionem, quam hic appellat vim in infinitum, non poſſe conſtare ſine vi per ſe ac ſimpliciter infinita tota ſimul in ſeſe collecta, nam cùm illa non ſit verè ac ſimpliciter infinita, poſitaq; ſit in cõtinuo partium fluxu, & propterea non niſi per partes exiſtat, neceſſariò poſtulat vim aliquam per ſe ac ſimpliciter infinitam, ex qua fixa ſtabiliq; manente, & tota ſimul in ſeſe collecta pendeat, & in actum per partes traducatur: Quapropter ſibi perſuadebit Dei primiq; motoris virtutem hoc prorſus modo eſſe infinitam; quod quoq; non obſcurè ſignificauit Ariſtoteles ſub exitum lib. 8. phyſ. de quo loco tametſi multa fuerint à nobis ſuperiùs diſputata, hic tamen rurſus eſt conſiderandus, quòd hinc planiſſimè intelligatur, quid in quæſtione propoſita ſenſerit Ariſtoteles.

Opinio illorum, qui existimant Aristotelem eam solam infinitatem quæ est temporis, primo motori concessisse. Cap. XX.

QVicunq; existimant primi motoris virtutem certis terminis concludi nec simpliciter infinitam esse de sententia Aristotelis, cùm animaduerterent ex ijs, quæ ad calcem lib. 8. phys. scribuntur ab Aristotele, non infirmum argumentum sumi ad infringendam ipsorum opinionem, omne suum studium posuerunt in his ita explicandis, vt cum ipsis maximè facerent, inter quos cùm fuerint nonnulli, qui se id abundè consequutos esse opinantur, horum explanatio est à nobis diligenter considerãda. Hi primùm in medium vocantes illam demonstrationẽ, qua Aristoteles hoc in loco ostẽdit primum motorem habere vim infinitam, asseuerant huiusmodi infinitatem ad tempus pertinere, & non ad modum agendi; atq; idcirco Aristotelem solùm concludere primum motorem habere vim, qua seculis immortalibus potest mouere. Confirmant hanc suam explanationem, quia hæc vis non est adimẽda reliquis cæ'orum motoribus, quippe qui non secus ac primus motor moueant tempore sempiterno: atqui his tribuere roboris infinitatem non est absq; flagitio, quòd vniuersi leges non patiantur esse multas substantias simpliciter infinitas; non igitur illa infinitas, qua primo motori tribuitur ab Aristotele, ad robur pertinebit. Præterea principiũ, ex quo hæc infinitas deducitur, in eo positum est, quia mouet sempiterno tẽpore: verùm motus perennis non expostulat robur infinitum, sed vim dumtaxat, quæ constet infinito tempore: ergo ne amplior sit conclusio, quàm quod ex principio colligitur, statuendum est concludi ab Aristotele vim primi motoris esse tempore perpetuam, & non robore infinitam. Deinde considerantes alteram demonstrationem, qua docemur primum motorem non esse in magnitudine finita, quia eius vis est infinita, inquiunt in hac quoque eandem vim esse Aristoteli propositam, quod his declarant: Si

robo-

roboris infinitas aſſumeretur ab Ariſtotele, non ſolùm hac demonſtratio falſo principio niteretur, verùm etiam in hac demõſtratione id Ariſtoteles poſtularet, quod eſt ignotius eo, quod eſt concludendum; quorum neutrum eſt abſq; crimine. Prioris conſequutionis illud eſt argumento, quòd cauſſa, cur primus motor ſit magnitudinis expers, non eſt robur infinitum, alioquin cæteræ poſt ipſum mentes aut non eſſent à magnitudine vacuæ, aut praditæ eſſent robore infinito, quorum vtrumq; eſt abſurdum. Poſteriorem vero conſequutionem illud probat, quòd primi motoris vim eſſe infiniti roboris obſcurum eſt, neq; id vnquam fuit ab Ariſtotele patefactum: Quapropter cenſendum eſt Ariſtotelem monſtrare primum motorem non eſſe in vlla magnitudine, quia mouet ſeculis infinitis. Atq; id ſanè adiungunt eſſe coniunctũ cum neceſſitate, quoniam nequit fieri, vt virtus magnitudini coniuncta moueat infinito tempore, quod his perſuadetur: Primùm quoniam virtus magnitudini affixa nõ poteſt mouere, niſi ipſa quoq; moueatur ex accidenti; & id omne, quod mouetur & mouet, non poteſt eſſe principiũ ſempiterni motus lib. 8. phyſ. 52. Deinde, quia corpus omne certis finibus eſt concluſum, & cuiusvis finiti corporis virtus eſt finita. Poſtremò quoniã nulla eſſet via indagandi ſubſtantiam à materia ſeparatam, & quod ſequens eſſet, rueret præſtantiſſima pars philoſophiæ, quæ poſita eſt in perſpiciendis & contemplandis mentibus à materia ſegregatis. Huius conſequutionis ea eſt ratio, quia ſola motus ſempiternitas poteſt nobis perſuadere in doctrina Ariſtotelis ponendam eſſe mentem à materia ſolutam: verùm ſi eius principium poteſt eſſe vis cum magnitudine coniuncta, in ea parum erit firmitatis ad id conficiendum. Ex his ſatis conſtare opinantur noſtri aduerſarij vim, quæ moueat ſeculis immortalibus, non eſſe in aliqua magnitudine poſitam, atq; hanc ſolam fuiſſe Ariſtotelis propoſitam. Quod ſi aliquis obijciat Ariſtotelem in hac demõſtratione colligentem fore, vt motus temporis momẽto agatur, ſi vis infinita efficiens motum fuerit in magnitudine finita, neceſſa-

riò velle hanc vim esse roboris infiniti, quòd motum fieri temporis momento non sequatur, nisi vis, quæ motum efficit, infinito robore sit prædita; respondent, si quis statuat vim tempore infinito mouentem alicui magnitudini hærere, hanc necessariò habituram esse robur infinitum, quãdo quidem virtus omnis, quæ corpori & materiæ hæret, interitui sit obnoxia; quo circa ne suo tempore in interitum incurrat, oportet eam habere robur infinitum, quo resistat contrarijs causis interitum afferentibus. Omnẽ verò virtutem magnitudini & materiæ coniunctam esse aptam, quæ suo tempore occidat, ex eo confirmant, quòd Aristoteles in lib. 12. postnat. 30 monstrat mentes cælorum motrices non esse materiæ & magnitudini copulatas, quia sunt sempiternæ: quæ ratio pondus non habet, nisi statuatur omnem virtutem materiæ affixam esse caducam & mortalem: Hæc à nostris aduersarijs afferuntur, quæ ex æquo & bono sunt æstimanda.

Superioris opinionis refutatio, & cuius modi sit primi motoris infinitas. Cap. XXI.

PRincipio cùm inquiunt aduersarij Aristotelem in demonstratione, qua conficitur virtutem sempiterno tẽpore mouentem esse infinitam, vnã eam infinitatem sibi ob oculos proposuisse, quę est sine fine temporis, egregiè falluntur, nam verã ac simpliciter infinitatem habuisse propositam, id maximè ostẽdit, quod hęc demonstratio esset vana & puerilis, nam Aristoteles ad hunc modum argumentaretur: Mouet primum mouens infinito tempore: ergo prędictum est vi tempore infinito mouente: Quapropter quod concluditur, id non esset diuersum ab eo, ex quo concluditur; quod turpe est, ac flagitiosum. Præterea infinitas, quę postulatur in eo, quod mouet sempiterno tempore, contraria est finitati, quę eidem adimitur: atqui cùm Aristoteles in tex. 78. monstrat nullum finitum posse mouere tempore infinito, eam finitatem habet propositam, quę est finitas actionis, &

non temporis: quando quidem ſi oſtenderet, quod eſt temporis finiti, id non poſſe mouere tempore infinito, in eo demonſtrando laboraret, quod nullam habet dubitationem; non enim poteſt cuipiam eſſe dubium, quod conſtat tempore finito, id non poſſe motũ efficere temporis infiniti; ergo quod mouet tempore infinito, id oportet eſſe infinitum ſimpliciter. Non eſt autem hoc in loco prætereundum, quòd cùm Ariſtoteles conficit nullum finitum mouere tempore infinito, virtus, qua aſſumitur, non eſt virtus quæcũq; motrix, ſed illa ſola, quæ, vt Alexander ac Ammonius ſignificarunt, & obſeruauit Pendaſius, eſt magnitudo, vel in magnitudine, atq; ſententia eſt nullam magnitudinem finitã, ſiue nullum mouens, cuius magnitudo ſit finita, mouere tempore infinito. Hanc explanationem duo confirmant; alterum eſt, quòd finitum in hoc argumento aſſumptum, cùm græc ſit πεπερασμένον generis neutri, non ſine vitio coniungatur cum virtute, quæ græcè eſt δύναμις generis fœminini; ſed coniungendum ſit cũ magnitudine, quæ græcè eſt μέγεθος generis neutri: alterum quoniã in argumentatione, qua ad calcem huius libri conficitur primũ mouens nullam habere magnitudinem, ſit partitio non virtutis, ſed magnitudinis in finitam & infinitam, concluditurq; primũ mouens omni prorſus magnitudine vacare, quia neq; finitam, neq; infinitam poteſt magnitudinem habere. Porrò quamuis hæc ita ſe habeant, nihil tamen prohibet, quominus Ariſtotelica argumentatio ita explicetur, vt ad quancumq; virtutem metricẽ dilatetur, eaq; concludatur nullam virtutem finitam, qualis qualis ſit, ſiue hærens magnitudini, ſiue ſeparata, poſſe mouere tempore infinito; idq; conſtabit, ſi hæc argumentatio ad virtutẽ metricem applicetur, eiusq; in ſua principia reſolutio afferatur, quæ vt arbitror, eſt huiuſmodi: Si partes omnes virtutis finitæ metricis vnà iunctæ mouent tempore finito, tota hæc virtus non mouebit tempore infinito: ſed partes omnes virtutis finitæ metricis vnà iunctæ mouent tempore finito; non igitur vlla virtus finita metrix poteſt mouere tempore infinito. Connexum eſt perſpicuũ,

quo-

quoniam totum eſt idem, quòd omnes ſuæ partes vnà iunctæ aſſumptum declaratur: Virtus finita motrix in ſuas partes diſtribuatur, vnaq; ſumatur, hæc ſanè non mouebit eo tẽpore, quod ſit æquale tempori, quo virtus vniuerſa mouet, quoniã cùm virtus amplior diuturniore tempore ſemper moueat, oportet partem virtutis multò breuiore tempore mouere, ac moueat tota virtus; mouebit igitur tempore finito, nam ſi tempus hoc ſit infinitum, quoniam infinito nihil eſt maius, tota integraq; virtus non mouebit diuturnius, ac pars moueat. Porrò quia eadem eſt ratio reliquarum partium, ſequitur, ſi huic parti primùm aſſumptæ fiat additio partium cæterarum, vt omnes hæ vnà iunctæ moueant tempore finito; quippe quæ toto eo mouebunt tempore, quod exiſtit ex temporibus, quibus ſingulæ per ſe ſolæ mouent, quæ tempora cùm numero ac ſpacio ſint finita, tempus, quod conſtituunt, neceſſario eſt finitum. Hoc modo arbitror contexendam eſſe hanc argumentationem, in qua obſeruandum eſt, quòd cùm virtus duobus modis poſſit accipere diuiſionem, vno modo in partes ſuæ perfectionis, quas vocant partes intenſionis, quoniam ſecundum eas intenſio & remiſſio attenditur: altero in partes, quas ſuſcipit diuiſa magnitudine, per quam extenditur, quæq; vocantur partes extenſionis, in hac argumentatione aſſumendus eſt non poſterior modus diuiſionis, qui proprius eſt earum virtutum, quæ ſunt in magnitudine, ſed prior, qui tam latè patet, vt cadat in quancumq; virtutem motricem: Quod ſi ita eſt, liquet hanc argumentationem non ſic arctandam eſſe ad virtutem motricem in magnitudine poſitam, vt non excipiat virtutem motricem à magnitudine ſeperatam: Equidem de ſententia Ariſtotelis, vt ſuprà declarauimus, omnis virtus motrix per modum efficientis eſt corpus, vel in corpore, attamen ſi quiſpiam inducat vim aliquam à corpore ſeparatã, quæ moueat efficienter, ad hanc argumentatio Ariſtotelis poterit dilatari; quapropter exiſtimãdum eſt ex eo, quòd primus motor mouet infinito tempore, colligi huius virtutem eſſe ſimpliciter, ac propriè infinitam. Nonnulli

negant Ariſtotelem oſtendere primum motorem habere vim infinitam, quia moueat tempore infinito, ſentiuntq; multos hallucinari in explicanda argumentatione, qua ſub exitum huius libri concluditur primum motorem non habere finitam magnitudinem, quam argumentationem putant ſic eſſe contexendam. Si primus motor eſſet in magnitudine finita, vim habebit vel finitam, vel infinitam; ſed oſtenſum eſt & vim finitam non poſſe mouere tempore infinito, & in magnitudine finita non exiſtere vim infinitam; non igitur primus motor, qui mouet tempore infinito, erit in magnitudine finita: Hæc eſt horum explicatio, quæ fuit quoq; Zabarellæ in huius loci commentarijs, & ante hos Thomæ Peregrini clariſſimi in Gymnaſio Patauino philoſophiæ poſtnaturalis interpretis. Quòd ſi aliquis dixerit, cùm Ariſtoteles oſtendit in tex. 78. virtutem finitam non poſſe mouere tempore infinito, hinc colligi neceſſariò vim primi motoris ſempiterno tempore mouentis eſſe infinitam; huic occurrunt aſſeuerantes Ariſtotelem in hac demonſtratione non habere propoſitam quancunq; virtutem finitam, ſed ſolùm materiatam, & in magnitudine exiſtentem, nam hæc cùm fatigetur mouendo, impedita à laſſitudine nequit infiniti temporis motum efficere; Verùm cùm vis à materia & à magnitudine diſiuncta in mouẽdo nullum ſentiat laborem, nequaquam ſequitur, vt ea, ſi fuerit finita, nequeat tempore infinito mouere. His non aſſentior, arbitrorq; hos non rectam afferre explicationem argumenti Ariſtotelici, quod his verbis continetur: Quòd autem finitam magnitudinem impoſſibile eſt habere vim infinitam; & quòd impoſſibile eſt à finita moueri aliquid infinito tempore, nunc demonſtratum eſt: primum autem mouens æterno motu infinitoq; tempore mouet. *In his cùm legitur fieri non poſſe, vt à finita moueatur aliquid infinito tempore, illud, à finita, non eſt accipiendum de vi, vt hi interpretantur, nam græcè eſt ὑπὸ πεπερασμένου, quod cùm ſit generis neutri, coniungendum eſt non cum vi, quæ græcè eſt δύναμις generis*

fœmi-

fœminini, ſed cum magnitudine, quæ græcè eſt μέγεθος generis neutri; quo fit, vt communis explicatio non ſit penitus contemnenda, quæ eſt: Si in magnitudine finita primus motor exiſteret, vis infinita hæreret in magnitudine finita, nam cùm primum mouens moueat æterno tempore, motuq; infinito, eius vires ſunt infinitæ; quòd fieri nequeat, vt mouens virtutis finitæ quicquam moueat tempore infinito; atqui demonſtratũ eſt vim infinitam non poſſe hærere in magnitudine finita: non igitur primus motor exiſtit in magnitudine finita. Cæterùm licèt hæc communis explanatio non omnino ſit negligenda, Proclo; fuerit probata ſub exitum naturalium elementorum, attamen congruentiùs & ad Ariſtotelis verba accommodatiùs argumentum ita explicabitur. Si primus motor ſit in magnitudine finita, in magnitudine finita vires eſſent infinitæ; & aliquod finitũ moueret tempore infinito; atqui monſtratum eſt nullam magnitudinem finitam mouere tempore infinito, & vires infinitas non conſiſtere in magnitudine finita; non igitur primus motor habet magnitudinem finitam. Connexum patet, quoniam primus motor mouet tempore infinito; & quoniam mouet tempore ſempiterno, eius vis eſt infinita. Præterea conceſſa aduerſariorum explicatione nihilominus ſequitur vim primi motoris eſſe ſimpliciter infinitam, nam cùm omnis vis motrix ſit aut finita, aut infinita, atq; oſtenſum fuerit à virtute finita non poſſe quicquã moueri tempore infinito, ſequitur neceſſario vim primi motoris infinito tempore mouentis eſſe infinitam. Reſpondebunt forſitan Ariſtotelem in hac argumentatione aſſumere ſolam virtutem materiatam, & magnitudini affixam. Sanè id non eſt diſſitendum, verùm adiungendum eſt hanc argumentationem ſic poſſe explicari, vt omnem virtutem motricem cõplectatur, nam cur mouens finitum non poſſit mouere tempore infinito, ponitur ab Ariſtotele non in eo, quia mouendo patiatur laſſitudinẽ, ſed in eo, quoniã eſt finitũ, finitaſq; habet partes, quæ ſingula mouent tẽpore finito: Id autẽ huiuſmodi eſt, vt cogitatione poſſit

ac-

accommodari ad mouens finitum à magnitudine ſeparatum. Quocirca cenſendum eſt neceſſariè concludi primum motorem habere vim ſimpliciter infinitam, quia mouet tempore infinito. Id verò vt colligatur magnam habet dubitationem: D. Thomas putauit id ſequi, quoniam tanta vis requiritur ad mouendum tempore infinito, quanta poſtulatur ad mouendum mobile infinitum; hæc verò cùm ſit infinita ſimpliciter, illa quoq; erit ſimpliciter infinita. Hæc explicatio non caret difficultate, quoniam cùm vis, quæ tota conſumitur in mouendo mobili finito decem horarum ſpacio, nequaquam valeat mobile decuplo maius ſpacio vnius horæ mouere, nec quoq; conſentaneum eſt, quod mouet aliquod finitum tempore infinito, id vim habere tempore finito mouendi aliquod infinitum. Adiungendum eſt, quòd cùm D. Thomas non diffiteatur à prima ſphæra reliquas moueri tempore infinito, ſanè ſi dubia non eſſet eius explicatio, hæc ſphæra haberet vim mouendi corpus infinitum, & quod ſequitur, vim ſimpliciter infinitam. Scotus in quæſt. 7. quolib. exiſtimat primum motorem habere vim infinitam, non quia moueat ſimpliciter tempore infinito, ſed quoniam ex ſe mouet, neq; alicui acceptum fert ſui motus principium; atq; id ita patefacit: Quod ex ſe mouet, id ex ſe eſt illud ipſum, quod eſt, & ex ſe ſuam habet entitatem, quoniam vis mouẽdi ſequitur entitatem & naturam illius, quod mouet, ſed quod ex ſe habet ſuam entitatem, hanc continet ſuis omnibus numeris cumulatam, atq; illius perfectionis, quæ maxima poteſt eſſe; & entitas huiuſmodi eſt infinita, cæteroquin ſe eſſet finita, à quopiam fuiſſet definita, ſuæq; finitionis haberet autorem, & quod ſequens eſt, ex ſe ſuam non haberet entitatem; ergo quod ex ſe mouet, id præditum eſt vi ſimpliciter infinita. Hæc neq; cum Ariſtotele conſentiunt, neq; neceſſariè concludunt; non conſentiunt cum Ariſtotele, quoniã non ex eo, quòd primus motor ex ſe moueat, ſed quoniam mouet ſempiterno tempore, concluditur huius vim eſſe infinitam: at verò ſi legitima eſſet Scoti explicatio, non id, quod eſt mouere infinito tempore,

ſed id, quod eſt ex ſe mouere, tribueret vim ſimpliciter infinitam; quare Ariſtoteles ad hoc inferendum propria cauſa neglecta id aſſumpſiſſet quod nullo modo eſt cauſa. Neceſſariè verò non concluduntur quoniam quod ex ſe mouet, ſuamq; habet entitatem, illud non ſit neceſſe habere entitatem ac vim infinitã, nam aduerſarij dicerent cùm entitas, visq; infinita locum non inuenerit in rerum vniuerſitate, oportet, quod ex ſe eſt ens, & ex ſe mouet id ſibi vendicare vim & naturam non ſimpliciter infinitam, ſed illius modi, qua nulla maior, perfectiorq; poſſit reperiri. Cùm inquiunt Scotus & aſſecla, ſi huius entitas eſſet finita, à quopiam fuiſſet definita, certisq; terminis comprehenſa, id reſpuerent aduerſarij ſtatuentes huius entitatem ex ſe ſuàq; naturà eſſe finitam & propterea non eſſe neceſſarium aliquam cauſſam ſuperiorem inuehere, à qua fuerit definita, ſuisq; finibus incluſa. Quòd quidem e Scoti familia id confutent, quoniã ſi huius finitatis nulla eſſet cauſſa, ea in caſum eſſet referenda, hi non rectè confutant, quia non id omne in caſu poſitum eſt, cuius nulla eſt cauſſa, aliquin Deus, primaq; principia, quorum nulla eſt cauſſa, caſu temereq; conſtarent; ſed id ſolum, quod cũ cauſſam habeat, ſic efficitur, vt non fuerit cauſſa effectrici propoſitum. Opinor Ariſtotelem propterea colligere primum motorẽ habere vim ſimpliciter infinitam, quòd moueat tempore infinito, quoniam nullum mouens, cuius vis mouendi ſit finita, poteſt infinito tempore mouere, vt proximè fuit oſtenſum. Sed & huius hæc præterea poſſunt fidem exhibere. Primùm, quia cum motus infinitas atq; perpetuitas neceſſario poſtulet vim infinitam, hæc ſi non eſſet in primo motore ſimpliciter infinita, & tota ſimul in ſe ſe collecta, ſed alterius generis, atq; cõtinenter fluens, hic non eſſet primus motor, ſed haberet cauſſam ſuperiorẽ, cuius opera hæc ipſius infinitas in actum duceretur; quòd quicquid per partes efficitur, id omne cauſſam aliquam poſtulet, ex qua pendet, cuiusq; munere conſtat, vt ſuprà diximus. Deinde quoniam infinitas quæ eſt ſine temporis fine, eſt aliquo modo, & nõ

ſimi-

ſimpliciter infinitas, ac præterea poteſtate, & non actu; & verò quicquid eſt aliquo modo, & poteſtate particeps cuiuſdam naturæ, id eſt huiuſmodi munere illius, quod ſimpliciter & actu in ſe continet illam naturam; quo circa cùm infinitas motus ſit infinitas ſine t. mporis fine, optimè ſequitur primum motorem habere vim ſimpliciter infinitam, quoniam mouet ſempiterno tempore, quando quidem ex ipſo, & non ex alio pendet hæc t mporis motuſq; infinitas. Poſtremo quoniam quod eſt cauſſa alicuius ex alio non pendens, id in ſua virtute hoc ſimul totum cõtinet; alioquin ſi per partes ſeſe conſequentes hoc contineret, ſupra ipſum eſſet quippiam ponendum, quod in ipſo cauſſa ſit harum partium ſucceſſionis; quapropter quod eſt cauſſa princeps infinitatis in motu, id oportet hanc ſimul totam in ſe continere: quod autem eſt huiuſmodi, id eſt ſimpliciter infinitum. Quòd Pẽdaſius in lib. 8. phyſ. aſſeueret hinc non poſſe colligi id eſſe infinitum ſimpliciter, veramq; ac propriam virtutis infinitatem in ſe coercere; id mihi videtur improbabile, nam ſi quò diuturnior eſt duratio, eo amplior ac validior eſt vis illius, quod actu hanc ſimul totam in ſe continet, quando quidem quod diutiùs mouet, id vires habet maiores, ac habeat id, quod breuiore tempore mouet, planè neceſſe eſt, quod in ſe actu continet totam ſimul infinitam ſucceſſionem, id eſſe virtutis infinitæ. Hæc autem primi motoris infinitas neutiquam in eo eſt genere, quo continetur illa, quæ propria eſt materiæ ac magnitudinis, à qua primus motor abeſt longiſſimè, ſed eſt infinitas perfectionis ſoli ſubſtantiæ à materia ſegregatæ conceſſa: Qua in re illud eſt animaduertendum, quòd forma & materia, quæ per ſe ſunt naturæ quædam indefinitæ, viciſſim ſeſe contrahunt, & altera alterius cohibet infinitatem: Forma ſuo amplexu materiam continens hanc ad certam ſpecialemq; entis naturam contrahit, ac præſtat ne quæ ipſius natura eſt, diffluat ad multitudinem & infinitatem: materia e contrario excipiens formam quæ ſi à naturâ nec loco circumſcribitur, nec tempore ſubijcitur, eam coercet ac certis loci, temporiſq;

finibus concludit. Primus igitur motor, qui ab omni materia eſt remotiſſimus, ſuâ naturâ eſt forma infinita, nec vllos habet limites, quibus vis ſua definiatur. Porrò quemadmodum dicentes primum motorem habere vim infinitam minus propriè vſurpamus vocabulum infiniti, quòd finitum & infinitum per ſe ſint paſſio quantitatis lib. 1. phyſ. 15. eodem modo non ſatis propriè poteſtatis nomen ad primum motorem accommodamus, quoniam poteſtas omnis vel eſt efficiendi, vel patiendi, & primus motor iuxta Ariſtotelis decreta nec à quopiam poteſt pati, nec quippiam ex ſe fundit per modum cauſæ verè efficientis. Itaq; quicunque hanc primi motoris poteſtatem appellant infinitam roboris poteſtatem, hi nõ rectam aſſ. runt appellationem, nam cùm primus motor nihil agat efficienter, non eſt, vt eius poteſtas nomen accipiat ab effectione. Nec illi quoq; rectè loquũtur, qui eandem primi motoris infinitatem vocant infinitatem ſecundum temporis perennitatem, nam cum hæc infinitas ſit diffluens, ac in continuata partium infinitarum ſucceſſione poſita, neceſſariò pendet ex alia infinitate, quæ ſtabilis conſtansq; ſit, ac tota ſimul in ſeſe collecta: Quamobrem cùm nefas ſit inducere primum motorẽ aliunde pendentem, præſtantiſſima ac diuiniſſima ipſius natura à ſe reiecit hanc infinitatem. Optima igitur ratione Græci explanatores cùm hæc probè intelligerent, præter temporis & roboris infinitates alteram excogitarunt diuinæ naturæ congruentem, quam nũcuparunt infinitatem ſimpliciter, & totam ſimul in ſeſe collectam. Cæterùm non eſt diffitendum, ſi aliquis induxerit primum motorem ſic, vt moueat per modum cauſſæ effectricis, fore, vt hic de ſententia Ariſtotelis moueat temporis momẽto, nam corpus habebit & magnitudinem, & cùm eius vis ſit ſimpliciter & abſolutè infinita totaq; ſimul in ſeſe collecta, atq; effectum omne ſit affine comparatq; ſuæ cauſæ, par eſt, vt efficiat motum infinitum totum in ſeſe collectum, & quod idem eſt, moueat temporis momento; etenim ſucceſſione partiũ e motu ſublata, hic neceſſario temporis momento miniſtrabitur. Id Ariſtoteles

les cùm intelligeret, in demonſtratione proximè explicata lib. 8. phyſ. ſignificauit, ſi primus motor in vlla eſſet finita magnitudine, motumq; tribueret per modum cauſſæ efficientis, fore, vt moueat temporis momento, quod eſt proprium virtutis infinitæ in modo agendi, ſiue virtutis, cuius robur eſt infinitum.

Diſſoluuntur argumenta, quibus opinio ſuperior fuit confirmata. Cap. XXII.

NEc verò argumenta, quibus aduerſarij eiũciunt vim ſimpliciter infinitam ex hac Ariſtotelis argumentatione, huiuſmodi ſunt, vt non poſſint repelli, nam primum hoc modo repellitur. Cùm cæleſtium motorum vocabulo poſſint ſignificari & mentes ſeparatæ, quæ vt id, quod accipitur intelligentia, & ciet appetentiam, efficiunt motum, & animas cæleſtes, per quas efficitur motus, aduerſarios interrogamus, quos motores ſumant in hoc ſuo argumento: Si reſpondeant ſe intelligere mentes à materia ſeparatas, nullam nobis moleſtiam exhibent, qui de ſententia Ariſtotelis tuemur vnicam eſſe mentem à materia ſeparatã cælorum motricem, atq; hanc eſſe Deum primumq; motorem: Sin verò aſſeuerent à ſe intelligi animas cælorum, audiant Auerroẽ in lib. 12. poſtnat. com. 41 ſtatuentem cæleſtes animas nequaquã præbere, motum infinitum, ſed hoc vnum præſtare, vt cæli certis ſtatutisq; temporum ſpacijs ſuas conuerſiones efficiant, nam cùm hæ, vt dicebat Alexander apud Simplicium in lib. 2. de cælo com. 3. ſint actus corporum, quorum magnitudo eſt finita, nequit fieri, vt præbeant motum infinitum. Alterum argumentũ concidit, quia cùm in virtute cauſſæ id, quod efficitur, ſimul totum ſit poſitum, oportet, quod mouet infinito tempore, id ſimul totam in ſeſe collectam habere infinitatem. Quòd ſi fuerit datum aduerſario motum perennem fieri poſſe à vi finita, quæ maneat ſeculis immortalibus, ipſe nobis vicißim det, oportebit, quoniam hæc vis non ex ſe hunc motum præſtat, aliam vim eſſe inducendam,

dam, cuius infinitas tota ſimul ſit in ſeſe collecta, & ex qua illa pendeat: quare quicquid mouet tempore infinito, ſi ſit primum mouens, & ex alio non pendens, id oportet vim habere ſimpliciter infinitam Nec minus præterea falluntur aduerſarij exiſtimãtes Ariſtotelem in altera demonſtratione aſſumere infinitatem abſq; temporis fine; idq; ex ijs proximè dictis intelligitur: Enim vero nemo non fatetur hac demonſtratione confici eam vim infinitam non eſſe magnitudini affixam, quæ fuit ſuperiore demonſtratione primo motori tributa: atqui hac vis, vt declarauimus, eſt ſimpliciter infinita, & tota ſimul in ſeſe collecta: hac igitur eſt Ariſtotelis in hac demonſtratione propoſita. Quin etiam idem perſuadet obiectio, quam hi afferunt, & non rectè diſcutiunt aſſeuerantes Ariſtotelem propterea concludere motum fieri temporis momento, ſi vis mouens infinito tempore fuerit in magnitudine finita, quia hac vis non poteſt manere ſeculis ſempiternis, niſi teneat robur infinitum, cuius efficacia reſiſtat cauſis interitum ipſi afferentibus: Etenim oportuiſſet Ariſtotelem, antequam colligeretur motum fieri temporis momento, in hoc verſari, vt aperiret virtutem finitæ magnitudini hærentem nõ poſſe infinito tempore conſtare, niſi coerceat in ſe robur infinitum; atq; poſtea hinc inferre, quòd moueret in non tempore; neq; proximè ſine vlla aſſumptione aut declaratione ex temporis perennitate conficere motum futurum eſſe in non tempore. Id autem cùm fuerit ab Ariſtotele neglectum, non eſt, vt à nobis fiat multi hac aduerſariorum explicatio; & præſertim quòd cernere eſt corporum cæleſtium virtutes eſſe materiæ ac magnitudini coniũctas, quas ſenſit Ariſtoteles carere contrario, & eſſe immortales: Quamobrem non oportet vim ſine fine temporis in materia exiſtentem eſſe roboris infiniti, quo valeat perpetuò repugnare cauſis noxijs & interitum afferentibus. Sed & id Auerroes ſenſit in lib. de ſubſt. orbis cap. 3. vbi ſtatuit roboris infinitatem in nullo corpore poſſe reperiri, quippe quæ in ſolo corpore infinito poteſt eſſe, cui nulla eſt ſedes in rerum vniuerſitate; infinitatẽ

vero

verò temporis poſſe cadere in corporis naturam, atq; hanc neceſſariò tribuendam eſſe corporibus cæleſtibus ab altera infinitate diſiunctam. Quòd ſi dixerint Aduerſarij ab Ariſtotele oſtendi vim ſine temporis fine mouentem non eſſe in caduca & mortali magnitudine, neceſſe quoq; habebunt dicere Ariſtotelem id mõſtrare, quod nullam deſiderat demonſtrationem; cùm dubiũ ſit nemini, quod eſt mortale, id non poſſe infinito tempore mouere: ac præterea primo motori adimere non quancumq; magnitudinem, ſed eam vnam, cui quippiam eſt aduerſum, quæq; poteſt in interitum incurrere. Cùm inquiunt Ariſtotelem in lib. 12 poſtnat. 30. voluiſſe omnem vim materiæ coniunctam eſſe mortalem, quando quidem quoniam mentes cælorum motrices æternitate continentur, conficiat has eſſe à materia ſeparatas; reſpondeo vim huius Ariſtotelici argumenti in eo poſitam nõ eſſe, quòd hæ ſubſtantiæ cælorum motrices ſint ſimpliciter ſempiternæ, ſed in eo conſiſtere, quòd ſint motores ſempiterni, nam quod eſt cauſſa motus ſempiterni ſic, vt ex alia cauſſa non pendeat, id neceſſe eſt habere vim infinitam totam ſimul in ſeſe collectam, quæ nullo modo poteſt materiæ ac magnitudini hærere, tum propter ea, quæ ab Ariſtotele & Alexandro fuerunt tradita; tum etiam quoniam omnis virtus in magnitudine ſita eſt diffuſa per ſingulas magnitudinis partes, quæ cùm nunquam ſint ſimul in vnum collectæ, quòd alia extra aliam poſita ſit, in cauſſa ſunt, vt eiuſdem naturæ ſit quoq; virtus, quæ per ipſas ſpargitur, atq; diffũditur. Quòd ſi quiſpiam voluerit Alexandri explanationem probare, intelliget hos non probè tenuiſſe ſenſum huiuſce loci. Verba Alexandri hunc locum interpretantia ita habentur. Non ſolùm inerrantis ſphæræ motor talis ſit oportet, qualem nos eſſe explicauimus, ſed etiam cætera principia, quæ Saturni, Iouisq;, & cæterarum errantium ſtellarum ſphæras conuertunt, quæ quidem principia primo ſubdita, ſubiectaq; ſunt: Hæc igitur materiæ expertia & ſempiterna eſſe oportet, ſi quidem aliud eſt ſempiternum. *Ex his poteſt intelligi*

Ari-

Ariſtotelem non oſtendere cæteras mentes calorum motrices eſſe immateriatas, quia ſempiternæ ſint, ſed ſimul docere has eſſe immateriatas ac ſempiternas, ſi quidem aliud eſt ſempiternum: Id autem duobus modis exponitur ab Alexandro, vno modo vt ſententia ſit; quoniam motor ſphæræ inerrantis eſt ſempiternus, conſentaneum eſt quoq; has eſſe ſempiternas; altero, vt ſignificetur, quia ſeptem ſpharum vnitas eſt ſempiterna, ipſarum motores eſſe ſempiternos. Sed forſitan non erit ab ijs, quæ ſupra ſunt dicta, alienum, ſi id referatur ad motum, ex cuius æternitate proximè fuit concluſum ponendam eſſe vnam primam ſubſtantiam æternam, & poteſtatis expertem, quę motum ſempiternum efficiat: Itaq; hic locus non incommodè ita exponetur, vt Ariſtoteles ſentiat reliquas mentes, non ſecus ac primam materia carere, & contineri ſempiternitate, quòd motus ſit æternus, atq; hic ſuam nequeat tueri æternitatem, niſi in præſidijs ipſi ſit aliqua ſubſtantia æterna, & poteſtatis expers, ex qua pendeat, & exiſtat. Cùm igitur Ariſtoteles in hac demonſtratione perſpicuè ſumat vim ſimpliciter infinitam, non eſt, vt fides habeatur aduerſarijs contrarium exiſtimantibus, & præſertim cùm non admodum firma ſit eorum argumentatio, quę refellitur, quòd Ariſtoteles nequaquam falſo principio nitatur, quoniam de ipſius ſententia cauſſa, cur primus motor ſit à materia ſolutus, eſt eius infinitas; atq; idcirco hinc neceſſariò ſequitur, quicquid à materia, & à materię contagione penitus ſegregatum mouet, id eſſe præditum vi ſimpliciter infinita: Itaq; ſi iuxta eius decreta ſint multæ mentes motrices à materia ſeparatæ, ſingulæ habebũt vim ſimpliciter infinitam; quòd ſi id eſt abſurdum, conſentaneũ eſt, vt eius opinio ferat vnicam eſſe ponendam mentem à materia ſeparatam, quemadmodum ſupra fuit abundè explicatum. Nec rurſus Ariſtoteles poſtulat, petitq; principium, ſed aſſumit id, quod copioſè fuit ab ipſo demonſtratum nempe primum motorem, quia mouet ſeculis ſempiternis habere vim ſimpliciter infinitam, atq; totam in ſeſe collectam. Quòd putent Aduerſa-

rij

rij nullam virtutem in magnitudine hærentẽ poſſe perpetuò mouere, id non caret difficultate, quoniam ſunt viri eruditi, qui licèt ſtatuant, quod eſt primum principium æterni motus, id non eſſe in aliqua magnitudine, quòd eius vis ſit neceſſariò infinita tota ſimul in ſeſe collecta, cui non eſt locus in magnitudine; attamen arbitrantur nihil obſtare, quo minus quodpiam magnitudinem habens, quod non ſit primum motus principium, moueat infinito tempore; atq; huius fidem fieri ab vltima ſupremaq; ſphæra, cuius motione infatigabili ſphæræ ſubditæ in gyrum perpetuò mouentur ab ortu in occaſum. His ſi tribuatur aſſenſus, primum argumentum confutabitur, quoniam Ariſtoteles cùm ſtatuit, quod mouendo ex accidenti mouetur, id non poſſe tribuere continuam ſempiternamq; motionẽ, hoc ſibi vult id non eſſe cauſam primam, & ex alia cauſſa non pendentem immortalis, continuiq; motus, quoniam hanc cauſſam oportet eſſe ab omni materia & magnitudine diſiunctã, id quod non conuenit illi, quod mouendo mouetur ex accidenti, quippe quod ſemper ſit coniunctum alicui magnitudini; cætero quin dum mouet, non moueretur ex accidenti. Secundum argumentum diſſoluetur, quòd nulla vis hærens magnitudini poſſit ſuà naturà, ſuàq; facultate efficere perpetuum infinitumq; motum; verùm nihil prohibet, quin hæc virtus ex alia cauſſa, quæ à materia & à magnitudine ſit ſoluta, pendens tribuat motum ſempiternum. Poſtremum argumentum negotij parum facceſſit, quoniam qui autumant aliquã virtutem in magnitudine poſitam tribuere motum ſempiternũ, ſentiunt hanc ex alia virtute à materia penitus ſecreta pendere, quæ eſt cauſſa princeps continui æterniq; motus: Quo circa concludunt ponendam eſſe in rerum vniuerſitate ſubſtantiam à materia ſeparatam, cuius vis ſit infinita tota ſimul in ſeſe collecta, atq; hanc eſſe primum motorem, Deumq; immortalem Cæterùm hæc tameſi magnam habeant probabilitatem, virisq; clariſſimis fuerint probata, multò tamen probabilius eſſe arbitror ſtatuere nullam virtutem magnitudini hærentem poſſe motum infinitum

efficere; nam quòd hæc virtus non possit esse prima radix, primúmq; principium motus æterni, non est, vt cuiquā accidat dubitandū; quòd vero eadem nequeat hoc fungi munere vel tanquā instrumentum, vel tanquam causſa aliunde pendens hoc modo persuadetur: Quicquid tanquam instrumentum, vel tanquam causſa ex alia pendens in aliquo versatur officio, quod propriā eius vim superat, necesse est, vt sit capax virtutis, quæ postulatur ad hoc munus exequendum: atqui nullum corpus potest excipere vim infinitam motus sempiterni effectricem, quoniam quicquid excipitur à corpore finito, id omne est finitum; nulla igitur vis hærens magnitudini potest motum efficere sempiternum. Nec verò respondendum est hanc vim non suà naturà, quæ finita est, sed in eo, quòd est adiuta à virtute infinita, & ex hac pēdet, tribuere motum infinitum, quoniam quod pendens ex causſa superiore, & ab hac adiutum exercet aliquod munus, eatenus hoc exercet, quatenus huius exercendi vim accipit à causſa superiore: verùm quicquid susciptur, id omne susciptur pro modo & natura rei susciepientis; ergo cùm magnitudo finita non possit quippiam excipere, nisi finitè, & id in ipsa receptum necessariò fiat finitum, necesse est omnem ipsius vim esse penitus finitam, tametsi accessione virtutis à causſa superiore fluentis fuerit aucta, & ab hac non mediocriter adiuta: Et verò nullam virtutem finitam posse motum infinitum efficere intelligitur ex Aristotelis argumentatione. Neq; contrarij argumento est continuus perennisq; motus, quo sphæræ erraticæ motu diurno ab orientie in occidentē feruntur, quoniam hæ sphæræ non cientur hoc motu per vim motricem, quæ sit in ipsa sphæra inerrante, sed cùm per accidens circunducantur, causſa effectrix in ipsis huiusce motus est motor sphæræ inerrantis; quod enim per se mouet quippiam, id quoq; mouet ea, quæ per accidens mouentur moto illo, quod primum ac per se mouetur, vt exempli gratia nauta nauim mouendo, ea mouet omnia, quæ naui vehuntur, & hæc cùm per accidens moueātur mota naue, non mouentur ab vlla vi motrice, quæ sit in naui hærens,

hærens, ſed ab eadē, à qua mouetur nauis. Atq; id voluit Alexander, qui apud Simplicium in lib. 8. phyſ. com. 108. ſoluens dubitationem, qui verè dicat Ariſtoteles continuum eſſe illum ſolū motum, quo mouet id, quod eſt immobile, cùm ſphæræ erraticæ moueantur motu continuo, æterno, & æquabili, dum cum inerrante cientur ab oriente in occidentem, inquit harum motū non fieri ab inerrante, quippe quæ non mouet eas per motricem, quæ in ſe eſt, facultatem, ſed mota ipſa ab eo, quod eſt mouendi poteſtate præditum, ſequitur earum motus, cuius quoq; cauſſa in eo poſita eſt, quod illā mouet. Ex hoc Ariſtotelis loco quiſpiam præterea non immeritò ſibi perſuadebit nullo modo fieri poſſe, vt vis hærens magnitudini, tametſi aliunde pendeat, perpetua continuaq; motione moueat, cùm verbis conceptis aſſeueret Ariſtoteles ſolum eum motum eſſe continuum ac perpetuū, quo mouet id, quod eſt penitus immobile. Hæc igitur cùm ita ſint, aduerſarij affirmantes nullam virtutē in magnitudine ſitam poſſe infinito tempore motum efficere, cum Ariſtotele quidem conſentiunt, verùm non eſt, vt ad huius ſententiam eripiant menti cælorū motrici vim ſimpliciter infinitam, ac totam ſimul in ſeſe collectam; quemadmodū quoq; nō eſt, vt hęc vis eidē eripiatur vi illorū argumentorum, quæ initio huius diſputationis fuerunt allata, ad quæ diſſoluenda nunc aggredimur.

Refutatio argumentorum, quibus primo motori fuit erepta virtus ſimpliciter infinita. Cap. XXIII.

PRimum argumentum ex illis, quæ virtutem primi motoris ſimpliciter infinitā creduntur deſtruere, ijs poteſt frangi, quæ dicta ſunt à nobis de virtute temporis infiniti, nam cùm hęc ſuam vim & eſſentiam poſitam habeat in perenni quadam partiū fluxione, nec verè ac propriè ſit infinita, neceſſariò poſtulat vim ſimpliciter, ac proprie infinitam totā ſimul in ſeſe collectā, ex qua pendeat, & à qua fulciatur. Secundum diſſoluitur, quòd,

vt suprà expositũ est, Aristoteles in ea demonstratione assumat veram ac per se infinitatem. Quòd cælum perenni tempore ignẽ circumuoluat, nihil officit, quoniam ex se id non præstat, & per virtutem, quæ sit in ipso, motricẽ, sed per accidens; & ignis non à cælo, sed à cælestis motoris vi infinita in orbem agitur, ex qua cælum quoq; nanciscitur, quòd tempore infinito circumferatur: Quapropter non est concludendum cælo inesse robur infinitũ, vel vim infinitam totam simul in seſe collectam. Argumentũ tertio loco positum conuellitur à Simplicio in com. lib. 8. phys. 79. quòd primus motor in tempore non moueat, tametsi ab eo quod cietur motu, id tempore aliquo moueatur. Huius eam rationẽ reddit, quod illa sola mouentia motum in tempore efficiant, quæ sunt obnoxia tempori, quæq; dum mouent, mouentur, in quorũ numero non est primus motor ponendus, qui & supra tempus est, ac prorsus immutabilis. In hac solutione non est multũ firmitatis, quia cùm motus sit actus tam illius, quod mouetur, quàm illius, quod habet vim mouendi lib. 3. phys. 18. atq; ab eo, quod mouetur, eo modo suscipiatur, quo efficitur à motore, arduum est intellectu, quo pacto motus respectu motoris sit in non tempore, & respectu illius, quod mouetur in tempore. Verùm si fuerit quoq; datũ motionem in eo, quod fluit à primo motore, in non tempore fieri, id tamen non proderit Simplicio ad tollendã dubitationem, quoniã cùm statuit Aristoteles virtutẽ infinitã si hæc fuerit in magnitudine, moturam esse in non tempore, assumit motũ non solum quatenus fluit à motore, sed etiã quatenus suscipitur ab eo, quod mouetur. Idem ab alijs conuellitur dicentibus primum motorẽ, quòd ad se attinet, pro sua naturæ infinitate posse mouere temporis puncto, cæterùm statuto definitoq; tempore mouere, quia tẽporis momento fieri non patitur natura motus, quæ cum in fluxu posita sit, fiatq; parte parti succedente, nequit temporis momento ministrari, quòd quæ fiunt temporis momento, ea omnia simul tota fiant, & non per partes existant assiduè fluentia, continenterq; labentia. Neq; id est, vt cuiquam moueat admirationem,

quo-

quoniam primus motor, qui nullis materiæ ſordibus eſt inquinatus, atq; pollet viribus infinitis, plus poteſt, quàm efficiat, fieriq; poſſit. Hi non ſunt probandi, quoniam ſi pugnat cum natura motus fieri temporis momento, profectò in primi motoris poteſtate, tametſi hæc infinita ponatur, non erit ſitum efficere motum temporis momento, nam quæ pugnant inter ſe, nec ſine repugnantia poſſunt fieri, ea in nullam cadunt poteſtatem. Præterea cùm illa poteſtas ſit inanis, quæ ad actum reducitur nunquam, planè neceſſarium eſſet primum motorem temporis puncto mouere, ſi id in eius eſſet ſitum poteſtate, ne ipſe fruſtra hanc teneat poteſtatẽ. Amplius ſi hæc reſponſio non eſſet inanis, argumentatio Ariſtotelica eſſet inanis, qua in lib. 8. phyſ. 79. conficitur fore, vt motus temporis momento agatur, ſi virtus infinita eſſet in magnitudine finita. Cæterùm nihil eſt opus, vt ad hoc refellendum multum operæ conferatur, quòd primus motor non ſit cauſſa motus cæleſtis effectrix; ex quo fit, vt ſi quoq; datum fuerit motum fieri poſſe temporis momento, non oporteat totam & integram primi motoris vim in cæli motu apparere ſic, vt hic temporis momento miniſtretur. Nec ſecus ſenſit Auerroes in lib. 12. poſt nat. com. 41. quo in loco cauſſam, cur cæli motus non fiat temporis momento, cum vis primi motoris ſit infinita, in id conijcit, quòd hic motus proximè exiſtat ex cæleſti anima, quæ prædita eſt viribus finitis, & non ex primo motore, qui ſolùm mouet vt id, quod eſt optabile & expetendum. Refellitur quartum argumentũ, quoniã virtus infinita, quam comitantur creatio & motus momentaneus, eſt vis infinitè agens, & robore, ſiue actionis modo infinita, cuius generis non eſſe primi motoris infinitatẽ expoſuimus; quo circa non eſt, vt Ariſtotelis tribuendo vim ſimpliciter infinitam primo motori approbet creationem, & motum momentaneum. Adiungendum eſt non deeſſe Ariſtotelis doctrinæ explicatores qui tuentur creationem, qua mundus ab omni æternitate fuit de nihilo factus à ſummo rerũ conditore, quorum opinionem cùm nonnulli ex aduerſarijs amplexarentur, hi ea delapſi

ſunt,

sunt, vt dicerent Aristotelē satis imprudenter ea posuisse, quæ nullo inter se modo cohærent; nō enim locus potest esse creationi, nisi hæc fiat à vi simpliciter infinita. Atqui veriùs hi sunt imprudentes, nam Scotus & Durandus nō tanti faciunt creationē, vt ad eam efficiendā requirant vim simpliciter infinitā; & Aristotelis nullā cognouit corporū naturaliū creationē; hacq; ejecta suus est locus virtuti simpliciter infinitæ. In quinto argumento refutando non est labor suscipiendus, quòd id quo modo sit dissoluendū, constet ex dictis. Nullo autē pacto audiēdus est Henricus Gandauensis, qui putauit non esse absonū tribuere singulis mentibus beatis vim simpliciter infinitā, nam flagitiū esse in rerū natura tribuere locū multis substantijs, quæ sint verè ac simpliciter infinitæ, satis efficaciter, vt arbitror, in superiore disputatione fuit ostensum. Sextū argumentū nonnulli cū Egidio in com. lib. 8. phys. 79. declinant statuentes hoc inter caussam primā & cæteras caussas effectrices interesse, quòd hæ quicquid possunt efficere, id ab aliquo possit suscipi; & caussa prima effectrix, quæ has longo infinitoq; excessu superat, multò plus queat efficere, quā quippiā sit aptè natū suscipere; quo circa non oportere, si hæc potest infinitè agere, vt aliquod reperiatur, quod infinitè patiatur. Et si obijciatur fore inanē Aristotelis argumentationē, quæ conficitur primū motorē tēporis puncto moturū esse, si fuerit infinita magnitudine, quādo quidē cùm fieri tēporis momēto pugnet cū natura motus, non sequitur, vt primus motor moueat tēporis momento, tametsi id in ipsius facultate positū sit, quòd hic multò plus possit, quàm possit quippiā pati: respondent primū motorē, si fuerit in magnitudine, locū esse habiturū in caussis secūdis, & non fore caussam principem quam necesse est ab omni materia esse secretam; itaq; necessariū esse, si hic hæreat alicui magnitudini, vt quippiā moueatur tēporis momento, quòd vis eius infinita possit efficere motū tempore indiuiduo, & omnis caussa secūda id solū possit efficere, quod est aptè idoneū ab aliquo excipi. Hi valdè errant, quoniā cùm in doctrina Aristotelis potestas

agen-

agendi finiatur principiũ transmutandi aliud, quatenus aliud eſt, cauſſa verè agens ita connexa eſt cum eo, quod patitur vt illa qualiſcũq; fuerit ſiue prima ſiue ſecũda, nihil poſſit verè efficere, quod quippiã non ſit aptè accõmodatum excipere. Hinc illud tritum eſt apud Peripateticos: Quod eſt poſitum in alicuius efficientis virtute, id omne ſitũ eſt in alicuius patientis poteſtate: Et ſi prima cauſſa multo plus poſſet efficere, quàm quippiã poſſit pati, fruſtrà eſſet in ea hic poteſtatis exceſſus, quandoquidẽ illius nullum opus extet poſſitq; extare, & fruſtra ſit vis, cuius nullũ eſt aut eſſe poteſt opus. Ego exiſtimo ruere hoc argumentũ, quòd vis ſimpliciter infinita à nobis Deo primoq; motori cõceſſa, nõ ſit vis agẽdi & efficiendi aliquid in rerũ vniuerſitate, & propterea nõ eſt, vt quippiã inuehatur, quòd huius efficacitate patiatur infinitè, atq; excipiat infinitiã perpeſſionẽ. Ruit ſeptimũ, quoniã forma, quæ vocatur terminus, eſt forma verè informans materiam, ac inhærens materiæ, & non forma à materia ſeparata. Nec momentum habet, quòd Ariſtoteles ſcribat formas eſſe veluti numeros, nam hic formarum nomine intelligit rerũ definitiones, quas aſſeuerat eſſe numerorũ ſimiles, quia vt numerus eſt diuiduus, atq; in indiuiduas vnitates ſecatur, ſic diffinitio eſt diuidua, & in partes indiuiduas diſcinditur: atq; vt ſi aliqua earum vnitatum, ex quibus conſtat numerus, ablata vel addita fuerit, non idẽ numerus manet, ſed diuerſus emergit, ſic neq; diffinitio, neq quiditas vlterius eadẽ erit, ſi ablatum ab ea, aut additũ ei quippiã fuerit. Octauum argumentũ reprehenditur, quòd quæcũq; ab Ariſtotele ſunt infinito impertita, ea ſint illius propria infiniti, quod fluit e materia, & quantitati tribuitur. Id inde conſtat, quoniã Ariſtoteles hoc infinitũ habet in animo propoſitũ: Itaq; reddens rationẽ, cur infinitũ, vt infinitũ, ſit ignotũ & cur habeat rationẽ partis, & non totius, hanc conijcit in materiã, quę ab omni forma & actu eſt ſuà naturà vacua, quęq; totius pars eſt, vt ęneę ſtatuę: At infinitas primo motori conceſſa longè diuerſa eſt ab ea, quę materiam comitatur:

&

& tantùm abeſt, vt cognitionẽ auferat, vt contrà id, quod eſt illius particeps, ſuâ naturâ ſit maximè intelligibile, quamquã nos, quæ humanæ mentis eſt infirmitas, ad perfectam illius notitiã nullum prorſus aditum habeamus. Nec vero ſi huius natura maxima ex parte ſit nobis obſcura, nullus erit locus rerũ naturalium ſcientiæ quoniã hæc vel maximè conſumitur in contemplandis principijs tam proximis, quàm intimam naturã earũ conſtituentibus, nam his ignoratis nulla poteſt ratione fieri, vt quis harũ rerum ſcientiã ſibi polliceatur: In his autẽ primus motor non annumeratur, qui eſt cauſſa earũ, quæ naturâ conſtant, cõmuniſſima, & maximè longinqua. In nono argumento aduerſarij magnam mihi mouent admirationẽ, quòd nunquam intellexerint Deum primumq; motorem cum rebus extra ſe poſitis non omnes ſuas cõmunicare perfectiones: His ſanè ea omnia ſunt tributa, quæ ab earum natura poſſunt excipi; ſed quæ naturæ ipſarũ ſunt aliena, ſicq; diuinæ naturæ propria, vt alij minimè conueniant, non eſt, vt quis perquirat in ijs, quæ lõgè abſunt, maximèq; ſunt remota à Dei primiq; motoris natura. In horum numerò ponenda eſt infinitas ſimpliciter, & tota ſimul in ſeſe collecta, quæ cùm nequeat cõmunicari cum finitæ magnitudinis corporibus, in his per partium infinitarum ſucceſſionem explicatur; atq; ita eo modo, quo fieri poteſt, in eis elucet Dei primiq; motoris infinitas.

Deus an efficiat omnia cauſis ſecundis nihil cõferentibus. Cap. XXIV.

REſtat poſtremum argumentum, in quo quod concluditur, Deum ſcilicet omnia effecturũ eſſe cauſis ſecundis nullã operã conferentibus, id ſcribit Auerroes in lib. 9. poſtnat. com. 7. & in lib. 12. eiuſdẽ operis com. 18. à ſuæ legis explicatoribus fuiſſe poſitũ & approbatũ hoc vel maximè argumento adductis. In rei cuiuſq; generatione forma ex nihilo fit nulla ipſius parte antecedente; ſed quippiam e nihilo facere eſt virtutis infinitæ, quæ ſic

Dei

Dei eſt, vt prater hunc alij rei non fuerit conceſſa; ergo concludendum eſt omnia, quæcũq; fiunt, à ſola prima cauſſa fieri, cauſasq; ſecundas nullam ſuæ operæ partem ponere in rebus gignendis. In horũ opinionẽ declinauit Petrus Aliacenſis, qui in lib. 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. ſtatuit cauſſas ſecundas nihil moliri, nihilq; tribuere in rerũ generatione, ſed hanc à ſolo Deo fieri, qui vniuerſa quæcunq; fiunt, efficere conſtituit in præſentia & conſpectu cauſſarum ſecundarum. Eandem Gabriel Bielus in lib. 4. ſent. diſt. 1. ferè ſub exitum quæſt. 1. putat nõ eſſe improbabilẽ; & alij ſcripſerunt à Philone fuiſſe amplexatã, qui in lib. 2. Allegoriarum tradidit vnicã eſſe cauſſam efficẽtricem Deum ſcilicet: & in lib. de Cherubim & flãmeo gladio ſcriptum reliquit efficere Dei proprium eſt, & pati creaturæ. Ac ſanè vetus admodũ eſt hæc opinio, nam apud Mercurium in Pimandro Dei eſt ſingula facere, ſingulaq; concipere; & Pythagoras Deum finiuit animum per vniuerſas mundi partes, omnemq; naturã cõmeantem atq; diffuſum, ex quo omnia, quæ naſcuntur, vitã capiunt; idq; Stoicis quoq; placuit, qui animã mundi Deum eſſe dixerunt. Eiuſdẽ dogmatis Caballiſtæ poſſunt videri aliquo pacto patrocinatores, quorum fuit decretum res omnes ex Deo & materia eſſe conflatas, atq; in his Deum varijs nominibus obſignari, nam in hominibus mentem, in beſtijs animam, & in ſtirpibus, mixtis inanimis atq; elementis naturã appellari. Hæc aſſeueratio à vero eſt remotiſſima, & quicunq; eiſeſe adſtrinxerunt, hos Auerroes in lib. 9. poſtnat. com. 7. inquit cerebro laborare, caſtigatq;, quòd hinc ſequatur ea, quæ ſunt, non habere proprias eſſentias; nam cùm actio eſſentiam cõmitetur, neq; hæc diuulſa ab illa poſſit manere, planè qui e rebus naturalibus tollit actiones, is eiſdẽ eripiat eſſentias, eſt neceſſe. Sed & prater hanc Auerrois caſtigationẽ aliæ ſunt, ex quibus opinionis huius deformitas intelligitur. Et primùm quis non ſentiat amentis eſſe opera, quæ oculis cernimus à cauſis ſecundis fieri, his adimere, atq; ignotæ cauſæ, & à noſtris ſenſibus remotæ tribuere? Deinde quis non putet, ſi omnia effi-

ciuntur à Deo in conſpectu & preſentia cauſarum ſecundarum, atq; his nihil molientibus, fore, vt quoduis fiat à quolibet, & à quolibet corrumpatur? Etenim ſi Deo integrum eſt ignẽ gignere igne preſente, & interimere aqua cùm adeſt, in eiuſdem quoq; erit facultate ignem quauis alia ſecunda cauſa preſente & accẽdere, & extinguere. Preterea cùm vnumquodq; ſit gratia ſui operis lib. 2. de cęlo 17. quis non exiſtimet, ſi cauſę ſecundę maneant otioſę & nihil agentes, has veluti inutiles ac oneroſas ex naturę theatro eſſe eiũciẽdas? Rurſus integritas & ſalus vniuerſi poſita eſt in ordine, quo res naturales ſunt inter ſe diſtributę ſub exitum lib. 12. poſtnat. atqui actione e rebus naturalibus ſublata, hę nullo ordine inter ſe coniunguntur; quòd in ijs, quorum naturę ſunt diſſimiles, ordinis ratio conſiſtat in eo, quod eſt alterum agere, & alterum pati: ergo ſi res naturales, cauſęq; ſecundę nihil efficiant, ruat vniuerſitas, eſt neceſſe. Quin etiã ratio omnis tollatur, oportet, perueniendi ad cognitionẽ ſubſtantiarum, nam cùm hę ſenſus lateant, actionum beneficio aditus nobis aperitur ad illas cognoſcendas: verùm ſi à Deo, & non à rebus actiones effundantur, non eſt, vt quiſpiam ſperet ſe harum adminiculo poſſe ad ſubſtantiarum notitiã peruenire. Poſtremò in rerum natura id, quod eſt melius, ſemper eſt ponendum lib. 8. phyſ. 48. & 56. ſed longè preſtat cauſas ſecundas in caducis rebus gignendis verſari, propriasq; actiones ſibi aſſerere, quàm his ab omni opere ceſſantibus Deum ſolum in rebus omnibus efficiẽdis occupari; ergo non eſt, vt proprię actiones cauſis ſecundis auferantur, rerumq; omnium effectiones ſoli Deo tribuantur. Quod eſt aſſumptum id eſſe multò melius argumẽto eſt, quòd res naturales, cauſęq; ſecundę ampliorem habebunt perfectionem, ſi ad res gignendas ſuam operam conferant; & Deo tum decentius, tum magis conſentaneum eſt de eo ita opinari, nam, vt ſcriptum eſt in lib. de mundo ad Alexandrum, quemadmodum e dignitate regis haudquaquã eſt ipſum functione propria adminiſtrare omnia, & abſoluere quęcũq; facta cupit, vt verbi gratia operi incũbere

exer-

exercitus ducis, aut vrbis prefecti, atq; etiã domus primarij diſpenſatoris, ita id longè minus conuenit Deo: quare auguſtius id, decentiusq; exiſtimãdum eſt Deum ſummo in loco ita eſſe collocatum, numinis vt tamen eius vis per vniuerſum mundũ pertinens cauſam prębeat eorum, quę in terra & reliquis mundi partibus ſunt, ſalutis & incolumitatis. Sed nihil eſt ōpus, vt pluribus aduerſus hanc opinionẽ diſputetur, quę ſic eſt abſurda, vt mirum ſit eã in aliquorũ animos irrepſiſſe. Nec ei opitulatur Philo, qui ita audiendus eſt, vt ſentiat vnicã eſſe cauſam effectricem aliunde non pendentẽ, quę eſt Deus immortalis; atq; inter hunc & creaturã illud intereſſe, quòd illius ſit agere, & nõ pati, huius ſic agere, vt etiã patiatur. Mercurij verba ſic poſſunt accipi, vt ſententia ſit Deũ veluti cauſam cõmunem, & veluti cauſam, ſine qua cętera cauſę nihil poſſunt efficere, omnia facere, omniaq; concipere. Et ſi Pythagoras ac Stoici voluerunt Deũ non ſecus ſe habere ad mundũ, ac animã ad corpus, ita vt quemadmodũ corpus ex anima, ſic mundus pendeat ex Deo, & vt illa nõ animãte corpus diſſoluitur, ita Deo non regente ac moderante vniuerſitatẽ ruere ſit neceſſe, non erit, cur reprehendantur, ſin ſecus, nõ erũt audiendi; quemadmodũ quoq; indigni ſunt, qui audiantur, Caballiſtæ omnia, quęcũq; ſunt, ex Deo & materia cõponentes. Nec momentũ habet argumentũ illorũ, qui legẽ, quã Auerroes videbatur profiteri, ſunt interpretati, quoniã quod fit propriè, ac generatur, id eſt cõpoſita ſubſtantia; in huius autẽ generatione licèt forma oriatur nulla eius parte antegrediente, attamen ortus hic nõ eſt creatio, quia poſtulatur materia, ex cuius poteſtate formæ educitur, quæq; hanc orientem excipit, & ortam ſuſtentat.

Deus an liberè, aut more naturę verſetur in rebus efficiendis. Cap. XXV.

CVM abſurdum ſit Deum, primumq; motorem ſic omnia efficere, vt in ijs gignendis nullam operam ponant cauſæ

ſecundæ, argumentum, quod extremo loco fuit propoſitum, eſt diſſoluendum. Ad hoc reſpondent Scoti aſſecla dicentes Dei, primiq; motoris vim eſſe ſanè infinitã ſimpliciter, verùm ſic ab Ariſtotele poſitã, vt ſine cauſis ſecundis nõ poſſit rerum quidpiã efficere. His non eſt aſſentiẽdum, nam ſi Dei vis eſt ſimpliciter infinita, profectò Deus poterit omnia proximè facere, quæcunq; à cauſis ſecundis efficiuntur, alioquin id ſi ei adimatur, illius vis non erit ſimpliciter infinita: & verò cùm Scotus in lib. 1. ſenten. diſt. 42. quæſt. 3. tribuerit Ariſtoteli, quòd Deum induxerit more naturæ ſuas ex ſe actiones effundentẽ, neceſſariè conficitur cuncta fieri à Deo abſq; vlla cauſarum ſecundarũ efficientia. Dixerunt alij, licèt Dei vis ſit infinita ſimpliciter, & in eius facultate poſitum ſit omnia poſſe facere, quæ à ſecundis cauſis efficiuntur, id tamen non euenire, quoniam Deus liberè agit, ipſiq; integrum eſt modò amouere, modò adhibere vim ſuam, atq; hanc imminuere, & amplificare, vt ſuæ ſingulari ſapientiæ fuerit viſum magis expedire. Hic agendi modus nunquid ab Ariſtotele Deo primoq; motori fuerit conceſſus, plerique ambigunt, quòd is videatur Deum ita induxiſſe, vt ſemper id efficiat, quod ſitum eſt in ſua facultate, nec aliter in ſuis verſetur effectionibus, atq; illa, quæ more naturæ ſuæ munia obeunt: Id nonnulli putarunt fuiſſe ſignificatum in lib. 8. phyſ. vbi in tex. 53. primum mouens immobile vno eodemq; motu, ac eodẽ modo ſemper mouet; quod eſt eorum, quæ tribuunt motum naturali neceſſitate impulſa; & ad calcem primus motor, ſi fuerit in magnitudine finita, temporis momento eſt motum effecturus; quod non cõtingeret, ſi is liberè moueret, neq; in mouendo vim ſuam vniuerſam adhiberet, quemadmodum agentia naturalia. Huic decreto aſſenſerunt Auicennas, Algazeles, & Alpharabius, qui primã cauſſam appellantes, Neceſſe eſſe, tradiderunt ab hac vnũ tantùm proximè fieri; quod non rectè tradidiſſent, ſi exiſtimaſſent cauſſam primã liberè, & non neceſſariè ſuam ex ſe fundere functionem, quòd à cauſa liberè in ſuis operibus verſante poſſint multa & varia fieri. Grego-

rius

rius Ariminenſis in lib. 1. ſent. diſt. 42. quæſt. 3. artic. 1. puta Deum ab Ariſtotele poſitum fuiſſe, qui motum efficiat naturæ neceſſitate, quoniã ſi libere ac cõtingenter moueret, in eius poteſtate eſſet interdum celeriùs mouere, interdùm tardiùs, ac præterea ceſſare; qua de re cæli motus non ſolùm ſuâ naturâ non eſſet æquabilis, vt conficitur in lib. 2. de cælo 35. verùm etiã poſſet deſinere, quod non eſſe metuendũ ſcriptum eſt in lib 8. poſtnat. 12. Verùm cùm hic vir aſſumat Deum, primumq; motorẽ cælum mouere per modum cauſæ efficientis, atq; id non conſentiat cum decretis Ariſtoteleis, vt ita exiſtimaret, fallaci perſuaſione fuit inductus. Sed præter hæc ſunt alia, ex quibus alij intellexerunt Deum ad ſententiam Ariſtotelis non eſſe liberum, nec libera duci voluntate ad res efficiendas. Et primùm cùm cauſa libera, & agentes ex voluntate ſint illius virtutis, vt res varias atq; contrarias queant efficere, in his, vt inquit Auerroes in lib. 8. phyſ. com. 8. ponendum eſt aliquod, cuius vi hæc ita cohibeãtur, vt hoc, & non illud efficiant: verùm nemo fuerit tam malè ſanus, qui exiſtimet Deum vi aliqua poſſe coerceri ac definiri ſic, vt hoc, & non illud efficiat. Deinde quod efficit quippiã eo pacto, vt poſſit illud non efficere, id ſuâ naturâ eſt mutabile, alioquin ſi non eſſet capax alicuius mutationis, vim nõ obtineret, qua quod efficit, poteſt non efficere: ſed abſurdum eſt diuinam naturam eſſe mutabilem; non igitur Dei effectio erit libera, & ab omni neceſſitatis imperio ſoluta. Præterea libera agendi facultas eſt illius, cui datum eſt ratiocinari, & de rebus agẽdis conſultare; ex quo Alexander in lib. 3. quæſt. nat. cap. 13. Origenes initio lib. 1 de principijs, Gregorius Nyſſenus in lib. 2. phil. cap. 3. & Ioannes Damaſcenus in lib. 2. fidei orth. cap. 2. atq; in dialogo aduerſus Manichæos concluſerunt hominẽ, qui eſt conſilij, rationisq; particeps, ſui arbitrij eſſe, ſuaq; poteſtatis: atqui cùm nefas ſit Deum ratiocinari, & de rebus agendis deliberare, quoniã hæc ſunt illius, cuius eſt quandoq; falli, & labi per errorẽ; profectò non eſt, vt huic tribuatur libera agendi facultas. Demum ſi Deus ſua volun-

tate

tate ductus ad agendum accederet, in quæſtionẽ cadit, nunquid Dei voluntas ſit recens, an conſtans ab æternis ſeculis: Dei volũtatẽ non eſſe nouam & recentẽ illud oſtendit, quòd Deus nõ eſſet mutationis expers, ſi quippiã recens vellet, cuius ante nullo tenebatur deſiderio: Et ſi in Deo idẽ eſt ſubſtantia, quod voluntas, qui poteſt eſſe, vt hæc recens genita ſit, & illa penitus ingenita? Eãdem non eſſe æternã illa vidẽtur perſuadere, quæ ſcribuntur ab Auerroe in lib. 8. phyſ. com. 4. & 15. atq; in diſput. 1. aduerſus Algazelẽ, & præterea in lib. 7. poſtnat. com. 28. & 31. quibus ex locis intelligitur ab antiqua & æterna Dei voluntate quippiã noui nõ poſſe proximè proficiſci, quoniã cùm diuina voluntas ſemper vna eadẽq; ſit, nec vllã patiatur mutationẽ, nulla poteſt afferri ratio, ſi ab ea aliquid noui proximè fit, cur id potiùs hoc tempore, quàm ante, vel poſt, fuerit factũ: Etenim id hoc tempore fieri aut melius, aut peius fuit: Non poſterius, quòd flagitium ſit diuinã voluntatẽ eo, quod melius eſt, poſthabito deterius amplexari: Sin prius, quippiã nunc adſit, oportet, cuius præſentia ſit, vt id hoc tẽpore fieri melius ſit, & nõ antè, neq; pòſt, id autẽ quia factũ eſt, cùm antea non eſſet, ab eadẽ diuina voluntate factum ſit, oportet, quòd conſentaneũ non ſit primã ac diuinã voluntatem, quòd moliatur quidpiã, per aliud conſequi. & ad agendum ab alio excitari: Quòd ſi factum ſit à diuina voluntate, in prõpiu erit quæſtio; cur illud nunc fecerit & nõ antè, neq; poſt; quapropter quæſtio abibit in infinitum, quod eſt turpè & non ferendũ. Nec verò reſpondendum eſt id & antea, & poſt fieri potuiſſe, ſed diuinam voluntatem, vt id hoc fieret tempore, conſtituiſſe, nam cauſa erit afferenda huiuſce voluntatis diuinæ cõſtitutionis, quòd voluntas æquè ſe habens ad multa nunquã vnum eligat facere reliquis omiſſis, niſi ad illud agendum a quopiã definiatur, & incitetur: Hæc autẽ incitatio & definitio cùm adiunctã habeat mutationẽ, nec fieri poſſit abſq; mutatione, diuina voluntas nõ erit immutabilis. Adiungendum eſt id, cuius principium eſt voluntas, ſic cũ hac eſſe cõnexum, vt ſi nihil impediat, continuò in actũ promatur:

tur: quo circa quoniam nihil obſiſtit diuinæ voluntati, par eſt, ſi ab ea aliquid proximè fit, id cõtineri æternitate, neq; in rebus nouis numerari. Atq; hæc vel maximè fuerunt in cauſa, vt viri clariſſimi, qui putarunt de ſententia Ariſtotelis Deum extra ſe aliquid moliri, ſtatuerunt hunc neceſſitate naturali ad agendũ impelli. Cauſa verò cur de ſententia Ariſtotelis ſtatuendũ ſit Deum neceſſitate quadã naturali in ſuo munere verſari, in eo à quibuſdã eſt poſita, quia Deus eſt actus puriſſimus, cui nulla eſt admixta poteſtas, & ob id conſentaneum eſt eum ſic ſuis officijs fungi, vt ſecus agere non ſit ſitum in eius facultate. Alij hanc conijciunt in diuinã naturã, quæ immutabilis eſt, nec poteſt aliter ſe habere lib. 12. poſtnat. 38. Itaq; quoniã actio illius ſemper eſt modi, cuius eſt natura, ex qua fluit, atq; in Deo idem prorſus eſt, quod natura & eſſentia diuina, credendum eſt Dei actionem eſſe immutabilem ac neceſſariã. Scotus in lib. 1. ſent. diſt. 8. quaſt. 5. & Cardinalis Beſſario in lib. 3. contra Platonis calũniatorem cap. 21. ſcribunt Ariſtotelem voluiſſe Deum ad agẽdum accedere naturali neceſſitate inſtigatum, quòd cùm duo ſint agendi modi, alter coniunctus neceſſitati, & alter cõtingentiæ, is Deo ſit donandus, qui præſtat dignitate; & prior modus agẽdi eſt poſteriore multò præſtabilior, tum quia neceſſarium præſtat contingenti; tum etiam quoniã agere contingenter eſt per accidens agere, quod nõ careat imperfectione. Hos omnes arbitror decipi, & in hoc fruſtra laboraſſe, quoniã cum Ariſtoteles Deum ita induxerit, vt ſit finis ſupremus, cuius gratia agunt omnia, & nihil eorum efficiat, ex quibus conſtat hæc corporum vniuerſitas, nõ eſt, vt in diſputationem vocetur, an Deus de ſententia Ariſtotelis agat more naturæ, vel per modum liberæ voluntatis. His verò in locis, ex quibus nonnulli intellexerunt Ariſtotelem ſignificare Deum agere naturali neceſſitate compulſum, parum eſt põderis ad id intelligendum, quòd in his Ariſtoteles non habeat in animo propoſitũ Deũ ab omni materiæ cõcretione ſegregatũ: cõtẽplatur quidẽ primũ motorẽ, ſed nõ tãquã à materia ſeparatũ, ſed veluti corpus ha-

ben-

bentiē ac magnitudinē, qua ere tribuit ei id, quod ipsū sequitur, si hoc pacto inducatur. Quòd si aliquis petat, cùm mētes humanas à Deo fieri non sit aduersum Aristotelis doctrinæ, quid Aristotelicè de modo sentiendum sit, quo hæ fiunt à Deo, respondebo, cùm Aristoteles in hac quæstione nunquā fuerit versatus, arduum esse diuinare, quid ille rogātus fuisset responsurus; cæterùm nō esse improbabile id, quod dicebat Auerroes in disput. 3. aduersus Algazelem in sol. dub. 1. quodq; est Deum neq; naturali necessitate, neq; ea voluntate libera, qua homines, in suis functionibus versari, sed ratione quadā singulari, quæ nobis est penitus obscura, & soli Deo cognita; etenim Deum ita excellere, vt in ipsum non cadant ea, quæ reliquis post ipsum efficientibus causis accommodantur. Itaq; non iniuria D. Thomas in lib. 1. sent. dist. 38. reprehendebat inepta recentiorum vocabula necessitatis & contingentiæ, qua licèt vniuersum ens productum necessariò diuidant, attamē cùm sermo fit de Deo, qui longo infinitoq; excessu superat quodcunq; ens productum, nullam inferunt diuisionem necessariam: Non enim Deus potest quicquam contingenter agere, quòd hic modus agendi non videatur esse absq; mutabilitate, quam quisquis cadere in Deum crediderit, is mentē habebit agram: nec præterea naturali necessitate, quòd quæ hoc modo agunt, habeant causam superiorem, à qua mouentur, & ad fines proprios diriguntur; & nefas est quicquam Deo superius constituere. Sed hæc nostri Theologi multo dictius, & vberius. Hi tametsi Deum sentiant in ijs effectionibus, quibus extra ipsum efficitur quippiam, liberè versari, tum quia est natura intelligens, cuius est hic agendi modus: tum etiam quoniam hæc ratio agendi summum tenet dignitatis gradum, attamen statuunt hunc illud perpetuò habere propositum, quod præstat, quodq; magis expedire singularis eius sapientia decernit, atq; diuinam voluntatē à se ipsam definiri, quippe cùm in eius facultate omnia sint posita, nec est, vt præter ipsam quippiā ponatur, à quo ad agēdum hoc, & non illud definiatur; ab eadem præterea tametsi æterna docēt

nul-

nullam eſse abſurditatem, ſi aliquod recens proficiſcatur, nam ſi homines quandoq; ea, de quibus conſilium caperunt, quaq; vt fiant, decreuerunt, in multos annos differũt perficere, quid erit abſurdi, ſi quippiam recens oriatur, quod vt hoc tempore oriretur, aterna Dei voluntate fuit conſtitutum? Adiungunt quærere, cur id hoc tempore, & non antè, aut poſt in lucem prodierit, eſſe temeritatis pleniſſimum; non enim homines debere ſibi tantum arrogare, vt ſibi committantur abdita Dei conſilia, quæ certiſſimum eſt ſumma ſingulariq; ratione ab aternis ſeculis capta fuiſſe. Quin etiam aſſeuerant diuinam agendi libertatem eſſe immutabilem, quoniam quod ſemel Deus agendum eſſe liberè conſtituit ab omni æternitate, id fiat, eſt neceſſe: quæ re ex his concludunt, quicquid Deus extra ſe agit, id & liberè, & neceſſariò fieri, ac rurſus nec liberè nec neceſſariò; idq; hunc in modum declarant. Deus agit neceſſariò, quoniam cùm ſit immutabilis, ita agit, vt fieri nequeat ipſum non agere: Hæc verò neceſſitas tantum abeſt, vt imperfectæ naturæ ſit argumentum, vt contrà ſit comes naturæ præſtantiſſimæ, & nullã excipientis mutationem. Idem liberè agit, quia cùm ſit ſegregatus à materia, ex qua exiſtit cauſa, cur forma naturalis & materiata nõ ſit ſui iuris in agendo, eſt liberum agens, neq; alicuius parens dominationi: Agit verò non vt aliquam exuat prauitatem, qui ab omni labe eſt remotiſſimus; neq; vt bonum aliquod conſequatur, qui bonis omnibus eſt affluentiſſimus, ſed vt ſuam reliquis impertiat bonitatem: Eſt enim ſummum & maximè bonum, cuius eſt, vt præclarè inquit Plato in Timæo, non alicuius rei inuidia tangi, ſuaq; bona in ſe continere, ſed ſeſe effundere, ſuiſq; bonis omnia locupletare. Rurſus idem non agit neceſſariè, ſi capiatur neceſſitas, quæ comitatur naturã, inſitaq; eſt in agentibus naturalibus, quoniam quæcunq; agunt inſtigante hac neceſſitate, ea ex ſe nequeunt certum finem ſibi ipſis conſtituere, ſed à cauſa rerũ omnium moderatrice certa ratione ſtatutisq; medijs ad fines ſuæ naturæ cognatos mouentur: Nec præterea Deus ſic agit neceſſariè,

veluti voluntas, quæ fertur in ſuum finem neceſſariè, atq; in eas quæ viam aperiunt ad ſuum finem aſſequendum, quoniam quod ita agit, id alij ſuam perfectionem fert acceptam, neq; ſubſtantia eſt optima ac præſtantiſſima Demum, vt tandem concludam, Deus non agit liberè, quia non ſic agit veluti homines, qui ita agunt, vt & non agere, & contrarium efficere queant, nam cùm Dei voluntas nullis mutationibus ſit obnoxia, optimaq; rectitudine prædita, Deus ita agit, vt nullum periculum ſit, ne eum ſui paniteat conſilij, finemq; ob id is faciat agendi, vel ad contrariũ agendum ſeſe conuertat. Atq; hæc & alia noſtri Theologi, quæ verè dicta nolui prætereire, quod ex his inanitas eorum intelligatur, quæ multos impulerũt Ariſtotelicæ doctrinæ explicatores, vt exiſtimarent Deum naturali neceſſitate adductum ſua munera omnia exercere.

De mundi prouidentia quid Ariſtotelicè ſentiendum ſit. Cap. XXVI.

EX his, quæ in ſuperioribus diſputationibus ſunt conſtituta, ſatis conſtat, quo modo ſit occurrendum huic poſtremo argumento, quo vis ſimpliciter infinita adimitur Deo, primoq; motori, nam cùm hic de ſententia Ariſtotelis in rebus corporeis efficiendis non ſuſtineat rationem cauſæ effectricis, huiusq; vis ſimpliciter infinita non ſit virtus agendi per modum cauſæ efficientis, non ſequitur omnia ab ipſo effici poſſe, cauſasq; ſecundas eſſe ſuperuacaneas. At quiſpiam dubitabit, cùm de ſententia Ariſtotelis Deus huic rerum vniuerſitati prouideat, atq; prouidere ſit cauſæ efficientis, quo pacto Deus in hoc prouidẽdi munere verſabitur, ſi is non ſuſtinet rationem cauſæ effectricis? Hæc dubitatio non facilem habet explicationem, quoniã hic locus de prouidentia nunquam data opera fuit ab Ariſtotele tractatus, & quæ de prouidentia ab eo literis fuerunt conſignata, ea & non multa ſunt, & ijs tenebris perfuſa, vt quid ille ſenſerit, ſit diuinan-

nandum; uerùm ne in re difficili officium meum deſideretur, de mundi prouidentia quid Ariſtotelicè ſentiendum exiſtimem paucis aperire conabor. Sunt aliqui contendentes ab Ariſtotele negari prouidentiam, atq; ex horum numero ſunt omnes Ariſtotelicæ doctrinæ obtrectatores, qui propterea contumelioſè dictitant Ariſtotelem non modo atheum eſſe, ſed etiam atheiſmi auctorem, atq, ut dicebat Origenes in lib. contra Celſum, theologũ Epicuro nihilo inferiorem. Alij totam rerum uniuerſitatem in duas partes diuiſam eſſe intelligentes in ſuperam ſcilicet, atq; cæleſtem, & in inferam ac elementalem dixerunt Ariſtotelem uni parti prouidentiam conceſſiſſe, & alteri ademiſſe, qui inter ſe ſunt diuiſi, nam aliqui tribuerunt Ariſtoteli, quòd poſuerit ſola cæleſtia corpora Dei prouidentia gubernari, ut Chalcidius, Atticus, Iuſtinus Martyr, Tatianus Syrus, Clemens Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus (qui propterea in orat. 1. de theologia Ariſtotelis prouidẽtiam uocauit ieiunam & anguſtã) Theodoretus, Plutarchus, & Ioannes Stobæus; quòd ad res uerò caducas attinet, horum alij ſenſerunt has fuiſſe ab Ariſtotele poſitas in fati poteſtate, ut Theodoretus in lib. 5. de curat. græcarum affect. qui adiungit fatorum neceſſitati tantũ fuiſſe ab Ariſtotele tributum, ut non ſolum diuitias, paupertatem, proſperam & aduerſam ualetudinem, ſeruitutem, bellum, pacemq; diceret ab hac mortalibus diſpenſari, ſed uirtutes quoq;, & uitia contribui: & alij uoluerunt has temere fortuitoq; gubernari, ut Ioannes Stobæus, cuius hæc ſunt in lib. 1. eclogarum cap. 25. deſumpta ex lib. 2. Plutarchi de placitis philoſophorum cap. 3. Ariſtoteles nec animatum totum mundum, nec aut rationis aut mentis participem, neq; prouidentia regi concedebat, ſed cæleſtia quidem his frui, quæ ſphæris animatis conſtent, terrena verò nequaquam, nam in his ordinem non niſi ex euentu reperiri. *Et alijs fuit probatum, e quorum numero ſunt Cardinalis Beſſario in lib. 2. in Platonis calumniatorem, & Simon Portius in lib. 2. de rerum naturalium principijs Ariſto-*

veli adſcribere, quòd e corporibus cæleſtibus ejecerit prouidentiam, hancq; præfecerit ſolis ortibus, quæ oriuntur & occidunt. Præter hos ſunt Alexander & Auerroes, qui ad ſententiã Ariſtotelis ſtatuunt omnibus huius vniuerſitatis rebus præeſſe prouidentiam, quamquam non vno eodemq; modo corpora caduca, corporaq; cæleſtia ſubijciantur prouidentiæ, nam vt ait Alexander in lib. 1. quæſt. nat. cap. 25. ſi quis velit id omne prouidentia gubernari, quod ab aliquo quomodocũq; mouetur, fuerit vtiq; omni corporea ſubſtantia ſiue æterna, ſiue caduca à prima mente immobili proſpectum, enimuerò cùm hæc ſit finis ille ſupremus, quem omnia expetunt, cuiusq; gratia aguntur, quæcunq; ſecundũ naturam agunt, cuncta mouet æterna & natiua per modum finis & rei optabilis: ſi quis autem exiſtimet ſola ea prouidentiæ ſubijci, quibus id, quod prouidet, actu mouetur, ſolæ res caducæ venient in prouidentiam, quòd cælum, cui harum rerum cura fuit præcipuè credita, actu in orbem conuertatur, vt ſua conuerſione in his efficiat ac tueatur perennem generationem. Horum opinio videtur mihi conſona Ariſtotelis doctrinæ, nam licèt ab Ariſtotele nunquam (quod ſciam) fuerit nomen prouidentiæ vſurpatũ in libris naturalibus, & poſtnaturalibus, in quibus ſenſum & naturam ſequitur, is tamen multa poſuit, ex quibus intelligitur illum amplexari & totius mundi, & mundi partium prouidentiam: Si quòd quidem is vniuerſum, & omnia quæcũq; ſunt in vniuerſo, ſubiecerit prouidentiæ, patet ex eo, quòd naturam propter finem agere putauit Auerroes in lib. 2. phyſ. com. 75. magnum habere momentum ad prouidentiam perſuadendam, nam cùm quæ nullo fine propoſito aguntur, ea ſint temeraria nulloq; ordine digeſta, & contra quæ finis alicuius gratia ſunt parata, ea conſtenti ordine & quæ ordine ſunt diſpoſita, non citra prouidentiam ſint in ordinem redacta; profectò quoniam Ariſtoteles ſenſit in ordine poſitam eſſe totius mũdi ſalutem ſub exitum lib. 12. poſtnat. & ordinem eſſe propriam rerum omnium in ſenſus cadentium naturam lib. 3. de cælo. 24. atq; nullam eſſe vniuerſi partem,

tem,

tem, quæ caſu conſtet, & non finis alicuius gratia ſit poſita & facta ferè ſub exitum lib. 2. phyſ. exiſtimandum eſt eum quoq; putaſſe totum mundum eße prouidentia conſtitutum, & prouidentia adminiſtrari. Et cùm idem in lib. 12. poſtnat. 38. voluerit ex Deo cælum & naturam pendere; atq; ſub exitum eiuſdem libri ſcripſerit vnum eße totius mundi principem, quoniam ea, quæ ſunt, nolunt malè gubernari, & bonus non eſt multorũ principatus, nemo fuerit, qui ex his non intelligat Ariſtotelem putare mundum vniuerſum Dei numine adminiſtrari. Quòd ſi quis voluerit fidem habere Ciceroni, planè non dubitabit, quin totius mundi prouidentia fuerit ab Ariſtotele adamata, nam is in lib. 2. de natura Deorũ teſtis eſt hęc ab Ariſtotele habita fuiſſe: Si eſſent homines, qui ſub terra ſemper habitauiſſent bonis & illuſtribus domicilijs, quæ eſſent ornata ſignis, atq; picturis, inſtructaq; rebus his omnibus, quibus abundant ij, qui beati putantur, neq; tamẽ exiſſent vnquã ſuper terram, accepiſſent autẽ fama & auditione eſſe quoddã numẽ, & vim Deorum; deinde aliquo tẽpore patefactis terręfaucibus ex illis abditis ſedibus euadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atq; exire potuiſſent, cùm repente terrã & maria cælumq; vidiſſent, nimbiũ magnitudinem, ventorũq; vim cognouiſſent, aſpexiſſentq; Solem, eiusq; tum magnitudinem pulchritudinemq;, tum etiam efficiẽtiam cognouiſſent, quòd is diem efficeret toto cælo luce diffuſa; cùm autẽ terras nox opacaſſet, tum cælum totum cernerẽt aſtris diſtinctum & ornatum, Lunæq; luminum varietatẽ tum creſcentis, tum feneſcentis, eorumq; omnium ortus & occaſus, atq; in omni æternitate ratos immutabilesq; curſus, quæ cùm viderent, profectò & eſſe Deos, & hæc tanta opera Deorum nutu adminiſtrari arbitrarentur. *Atq; hæc Ariſtoteles teſte Cicerone, ex quibus nemo non intelligit mundum Dei prouidentia gubernari. Quod Alexander in lib. 2. quæſt. nat. cap. 19. dubitet, an mũdus ſubyciatur prouidentia, quia cùm*

ſuã

ſuà naturà ſit æternus, & ex ſe habeat, quòd ſit, & benè ſit, vi-
detur nulla indigere prouidentia, cuius eſt præſtare, vt id, cui
prouidetur, vel ſit, vel benè ſit, id non eſt, vt quempiam moueat,
nam dicendum eſt, ſi mundi nomine intelligatur vniuerſum in
eo, quod includit Deum tanquam optimam ac præſtantiſſimam
ſui partem, planè ex ſe æternus eſt, nec quippiã expoſtulat, quod
ei prouideat, cùm præter ipſum nihil ſit: Sin autem intelligatur
vniuerſa corporum conſtitutio, mundus ex ſe, ſuàq; naturà non
eſt æternus, quoniam cùm eius vis ſit finita, quantum eſt ex ſe nõ
poteſt manere ſeculis infinitis, ſed numen aliquod requirit, ex
quo pendeat, quodq; in ipſo cauſſa ſit motus ſempiterni; eſt enim
motus veluti vita quædam rebus omnibus, quę naturà conſtant
initio lib. 8. phyſ. Id Ariſtoteles ſignificauit in lib. proximè re-
citato 52. cum ſcripſit neceſſariò aliquod eſſe, quod primum mo-
uet, cùm ſit immobile, ſi futurus eſt in ijs, quę ſunt, motus aliquis
nunquã ceſſaturus & immortalis, atq; manſurus eſt mundus in
ſeipſo & in eodem; manente enim principio, neceſſe eſt etiã vni-
uerſum manere, cùm ſit continens principio. Cum his conſen-
tiunt ea, quę Proclus ſcripta reliquit in obſeruationibus eorum,
in quibus Platonis Timæo contradixit Ariſtoteles, quęq; recitan-
turà Philopono in lib. de mundi æternitate in fol. ſexti argumẽ-
ti, & ſunt: Quoniam vniuerſum eſt finitum, quod autem finitum eſt, viribus non eſt præditum infinitis, vt ipſe Ariſtoteles in lib 8. phyſ. auſcul. confirmauit: Quod vero infinito motu mouet, id viribus mouet infinitis; illud ſanè mouens immobile, quod infinitæ motionis vniuerſo cauſſam affert, viribus eſt præditum infinitis: Qua re ſi cogitatione ab illo vniuerſum ſeiunxeris, non mouebitur in infinitum, cùm virium non ſit compos infinitarum, ſed mouendi finem habebit. Sin iterum ipſum cum illo coniunxeris, illius ope mouebitur, & impelletur in infinitũ. Neq; verò abſõni quicquam erit, ſi quę cõnexa ſunt, cogitatione ſeparemus, vt perſpiciamus quidnam vni ab altero conueniat,

ueniat, & perſpicientes intelligamus, quidnam à ſua ipſius natura habeat deterius, quid item à ſocietate, & cõiunctione cum præſtantiore. *Hęc Proclus, quibus videtur ipſi mundus, quia viribus non eſt prędituſ infinitis, ſuà naturà eſſe caducus, & fieri immortalis coniunctione cum vi quadã præſtantiore, quam ſi quis ab eo ſeiungat, quia compos non eſt virium infinitarum, is ſuę motionis finem eſt habiturus, atq; etiam interiturus, cùm vis omnis finita pereat, & quantum eſt in ipſa, nõ habeat, vt ſemper ſit. Non eſt igitur dubitandum, quin voluerit Ariſtoteles totum mundum Dei, primiq; motoris prouidentia cõſtare; quod quoq; erit perſpicuum, ſi ſingulas mundi partes voluerimus nobis ob oculos ponere, & quę his fuerunt ab Ariſtotele tributa conſiderare. Mundi partium alię ſunt ęternę, & alię caducę, has Ariſtotelem ſubijciſſe prouidentię duo illius doctrinę loci præ cęteris perſuadent; Alter eſt in lib. 2. de cęlo 17. vbi ſcriptũ eſt cęleſtia corpora multis cõtrarijs q; motionibus cieri, vt in hac corporum caducorũ vniuerſitate ſit perpetua generationis ac interitus viciſſitudo, ſine qua fieri non poteſt, vt quippiam, quod ſit mortale, conſequatur ſempiternitatem: Idem quoq; fuit confirmatum in lib. 2. de gen. & int. 56. & paucis interiectis ſubiungit, cum in omnibus quod eſt præſtabilius, id natura ſemper expetat, atq; præſtabilius ſit eſſe, quàm non eſſe; atq; id ſecundũ numerum in omnibus perpetuò eſſe non poſſit, quoniam ab ipſo principio longè diſtant, eo modo, qui reliquus eſt, Deum ſuis numeris vniuerſum expleuiſſe continua facta generatione. Alter locus eſt in lib. 1. meteor. cap. 2. quo in loco eam ob cauſam mundus hic inferior lationibus corporum cęleſtium eſt coniunctus, vt omnis ipſius virius ab illis gubernetur: Atq; hunc locũ cùm Alexander fuiſſet interpretatus, adiecit hinc clarè perſpici de ſententia Ariſtotelis mundi huius generabilis & corruptibilis Deos ipſos curam habere ac prouidentiam. Quòd verò idem cęleſtia æternaq; corpora noluerit eſſe ſine prouidentia, argumento eſt, quod in lib. 2. de cælo 50. monſtratum ſit ſtellas non per ſe ipſas*

ſas moueri, ſed orbibus infixas circumduci, quòd rationis fines egrediatur nullum eis inſtrumentum ad motum naturam tribuiſſe; & animalia caduca curaſſe, res autem adeo præſtabiles deſpexiſſe: Et paulò poſt in tex. 16. concludatur natura prouidentes ſtellas, dum mouentur, nullum ſonum efficere, quoniam niſi hoc modo ipſarum motus ſeſe haberet, nihil eorum prorſus eſſet, quæ in his locis ſunt. Ac ſanè ſi ſtatuendum eſt cælis id prouidere, quod his cauſa eſt æternitatis, nemo nõ dabit à Deo primoq; motore cælis prouideri, quando quidem his ille præſtat, quòd ſempiterno tempore reuoluantur; idq; perſpicuè fuit ſignificatum in lib. de com. animal. motu cap. 3. Nec quicquam facit, quòd cælum ſit animatum anima immortali, nam cæleſtis anima, cùm ſit actus corporis finiti, & propterea vim habeat finitam, non poteſt eſſe cauſa, cur cæli moueantur perpetuò, ſed huius cauſa in Deũ primumq; motorem eſt conijciẽda, qui cùm virtutem habeat infinitam & totam in ſeſe collectam, cauſa eſt, cur cælum in omni æternitate moueatur. Nec ſecus ſentit Alexander apud Simplicium in lib. 2. de cælo com. 3. quem ſequitur Auerroes in lib. 12. poſtnat. com. 41. Eadem quoq; fuit Platonis opinio, qui Syriano interpretante in lib. 12. poſtnat. voluit corpora cæleſtia eſſe virtutis infinitæ ob appetitum formarum ſeparatarum, quæ ipſis ad expetendum ſunt propoſitæ, & cauſæ ſunt bonitatis & ordinis in hac mundi conſtitutione: Quapropter dixit cælum vniuerſum diſſolutum erit, & vniuerſam generationem finem eſſe habituram, niſi ſit forma incorporea, quæ ſeipſam intuetur, & quæ primum quidem in ſeipſam operatur, ſecundò verò quæ ex ſui pulchritudine pendent excitat, ac intelligit. Quòd ſi quis ambigat, quo modo virtus, quæ ſuà naturà eſt finita, poſſit aliũde & à Deo ſuſcipere infinitatem, in promptu erit reſpondere cum Auerroe in illa quæſtione, quam nõnulli faciunt caput ſeptimum libri de ſubſt. orbis, facultates omnes corporeas ſiue patientes, ſiue efficientes eſſe per ſe finitas, ſed in duo genera diductas, nam quædam eſſe finitas, vt infinitatis ſiue æternitatis nequeant fieri participes,

ticipes, cuius modi ſunt illæ, quæ hærent in materia poteſtati cõiunctæ, & cum contrarietate ſunt connexæ; aliàs eſſe finitas ſuapte quidem naturâ, ſed quæ infinitatem ac perpetuitatem accipiant ab alio, veluti ſunt illæ, quæ carent contrario, nec agentiũ contrariorum effectione ſuſcipiuntur à materia: vires namq; huius conditionis aptæ ſunt ac idoneæ accipere à prima cauſſa ſuâ naturâ perpetua & infinita æternitatem atq; infinitatem. Cælũ igitur quamuis ſit magnitudo finita, eiusq; vires non ſint infinitæ, nihilo tamen minus quia contrariũ non habet, neq; eius forma in materia fuit impreſſa contrariorum efficientia, ita eſt finitum, vt à Deo queat infinitatem accipere. Itaq; Deus, qui ſemper illi præſtò eſt, & quaſi in præſidijs excubat, ſemper ei largietur infinitatem atq; perpetuitatem: Quapropter falsò quis diceret naturam illam corporis cæleſtis eſſe mortalem, ac deinde fieri ſempiternam, ſed ita dicendum eſt, quòd ſimul ſit caduca & immortalis, caduca, quatenus mente diſiuncta à Deo conſideratur; perennis, quatenus re ipſa nunquam eſt à Deo diſiuncta. Non tamen continuò ſequitur, vt re ad actũ queat traduci, nam mens noſtra illius eſt auctoritatis, vt ſeparet etiã ea, quæ nequeunt reapſe ſeparari, & quæ ſeorſum ex ambobus, poſtquã ſeparata ſunt, per ſe conſequantur, contempletur, ac nonnulla eis ita ſeparatis accõmodet attributa, quæ tamen fateatur non verè accõmodari, ſi copulata inſpiciantur, atq; ita copulata, vt nunquã re poſſint ſeparari. Id facilè poteſt exemplo rerum mathematicarum patefieri, nam Geometra ſuperficiem & ſphæram cogitatione ſeparãs à materia planam ſuperficiem à ſphæra tangi in puncto affirmat, id quod à philoſopho naturali nunquã admittitur, qui animaduertens magnitudines nunquã re poſſe à materia diuelli, corpus à corpore ſemper tangi in parte diuidua, & non in puncto aſſeuerat. Eodem igitur modo cùm mens noſtra vires illas cæleſtes finitas, quibus nihil eſt contrarium conſiderauerit quaſi per ſe conſtantes & ſolitarias, earum effectiones & perpetuationes eſſe finitas indicabit: at cùm animaduerterit fieri non poſſe, vt à Deo

infinito ſeparentur, tunc quod antea concedebat inficians ſtatuēs vires illas minimè eſſe finitas, aut mortales, ſed infinitas ac ſempiternas, quòd rei ſimpliciter immortali, nulloq; modo finitæ ſemper ſint coniunctæ. Hæc ab ijs non ſunt diſſimilia, quæ ex Procli obſeruationibus decerpta paulò ſuprà fuerunt recitata; atq; ex his intelligi poteſt Platonem inducentem in Timæo Deum dicentem Dæmones & ſpherarum atq; ſtellarū animas nō eſſe omnino immortales, ac indiſſolubiles, nihil aliud ſibi velle, quàm Dæmones, & has animas, quantum in ipſis eſt, poſſe non eſſe, & neceſſariò ſemper pendere ex Deo conſeruatore, ſed ita tamē poſſe nō eſſe, vt eis non repugnet æternitas atq; neceſſitas: Non enim apud Platonem & Ariſtotelem Deus tribuit æternitatem rebus ſuà naturà illam reſpuentibus, inſitaq; habentibus ſui interitus principia, nam hæ ſuo tempore intereant, eſt neceſſe, neq; vi alicuius poſſunt conſequi æternitatem. Cæterùm quāuis de ſententia Ariſtotelis rebus omnibus tam caducis, quàm æternis opus ſit prouidentia, attamen quoniam verbum prouidere ſi in propria ſignificatione vſurpetur, nihil aliud ſignificat, quàm res, quæ poſſunt aliter ſe habere, in fines non neceſſarios dirigere, atq; ad illa, quæ eis commoda ſunt, diſponere, exiſtimandum eſt prouidentiā ad res naſuas, & caducas præcipuè pertinere, quod quoq; ſenſit Alexander in lib. 2. quæſt. nat cap 19. nam hæ res naturā habent inconſtantem, neq; eundem ſemper ordinem ſeruant, & propterea maximè indigent prouidentia, cuius vi in fines proprios dirigātur, ſuaq; ſentiant cōmoda & conſequantur. His verò tametſi Deus primusq; motor prouideat, cuius nutu omnia reguntur, & adminiſtrantur, attamen earum cura præcipuè cælis credita eſt; atq; huius ea poteſt ratio afferri, quoniam cùm natiua & caduca præcipuè deſiderent prouidentiam, par erat horum curam ijs vel maximè mandatam fuiſſe, quorū prouidendi ratio eſt verior ac propior; & verò huiuſmodi eſt ratio prouidendi cæleſtiū corporum, quippe quę funganiur hoc munere per modū cauſſę effectricis; & non ratio prouidendi primi motoris, qui de ſententia Ariſtote-

ſtotelis eatenus prouidet huic mũdo, quatenus eſt ſupremus finis, cuius gratia agunt omnia, quæcũq; naturà agunt & conſtant. Accedit, quod vt argumentabatur D. Thomas in p. p. quæſt. 115. art. 3. virtute illius corporis, quod minus eſt capax mutationis, cõſentaneũ eſt regi corpora maximopere mutabilia; nam cùm vnitas ſit principiũ multitudinis, & quod eſt immobile, & cuiuſuis expers mutationis, id vno ſe habeat modo, quod autem mouetur, vario ac multiplici, planè quod eſt immutabile, id erit cauſſa & principium eorum, quę mutantur; & corpus, quod minus eſt capax mutationis, propiusq; accedit ad id, quod eſt immutabile, cauſſa principiumq; erit eorum, quę omnes patiũtur mutationes. Verùm natiuam & caducam mundi partẽ certis & in omni ęternitate conſtantibus corporum cęleſtium motionibus regi in Ariſtotelis doctrina tam certum eſt, quàm quod maximè.

Cælorum prouidentia nunquid coniunctam habeat rerum caducarum cognitionem. Cap. XXVII.

QVamquam cęlos huic caducę rerum vniuerſitati conſulere non habeat dubitationem, horum tamen prouidentia nũquid ſit inducenda abſq; vlla rerũ caducarum notitia, non caret difficultate, quę vt diſcutiatur, initium ita capiatur. Alexãder in lib. 2. quæſt. natural. cap. 21. duos ponit prouidentię modos, vnũ per ſe, & alterum per accidens, atq; ſcribit illud per ſe primoq; inſtituto conſulere alicui, quod huius vtilitatẽ ſibi primùm proponens ſic agit, vt ad ipſum primo inſtituto dirigat, ac referat ſui muneris functiones finem earum ſtatuendo illius, cui proſpicit, cõmoditatem; per accidens verò illud alicui prouidere, quod illius, cuius dicitur habere procurationem, vtilitatẽ nec intuens, nec perſpectam habens ſuas actiones edit, ex quibus multa huic obueniunt commoda ipſo ignorante. Inter hos prouidentię modos alij ſunt medij interiecti ad prouidentiam per ſe, aut per accidẽs magis, minuſue accedentes, qui ex ratione ſecunda, inſtituto q;

minus præcipuo nominantur; atq; horum vnus est, cùm prouidẽt cognitas habet vtilitates, quas aliquod capit ex ijs, quę ab ipso alterius gratia geruntur; alter, si cognitioni vtilitatis, quam prouidens affert alicui, eius quoq; voluntas adiungatur, velitq; præbere hanc vtilitatem: tertius, qui maximè accedit ad prouidentiam per se, si prouidens non solùm intelligit commoditatẽ, quã quippiam capit ex ipsius muneris functionibus, velitq; hanc afferre, sed præterea hanc referat in sui ipsius commodum, quo pacto cernere est pastores pecudibus prouidere. Ex his prouidentię modis, si excipiatur is, qui est per accidens, nullus est, qui adiunctam non habeat cognitionem illius, cui prouidetur, neq; id immeritò, nam prouidentia græcè dicitur πρόνοια, quasi sit idẽ, quod anticipata intelligentia, & nihil possit caaere in prouidentiam, quod intelligentia prouidentis non prius fuerit acceptum: Hinc dicebat Boethius in lib. 5. de cons phil. prouidentiã habere hanc appellationem, eò quòd procul à rebus infimis constituta quasi ab excelsorerũ cacumine prospiciat; prouidentiãq; finiuit in lib 4. eiusdem operis diuinam rationem in summo omnium principe constitutam, quę cuncta disponit; hoc est, vt nonnulli sunt interpretati, essentiam diuinam quatenus per actum suum tanquam per causam efficientem omnia in suos propriosq; fines disponuntur; vel, vt alij intellexerunt, consilium, quo Deus ante mundi constitutionem in ęternitate cunctis rebus modum præscripsit, ac legem, secundum quam omnia fierent, conseruarentur, atq; fines sua naturę cognatos assequerentur. Cùm igitur toi sini prouidentię modi, cęlum de mente Aristotelis nullam per se, & ex primo instituto potest habere caducarum rerum procurationẽ; idq; fuit ab Algazele in lib. 2. phil. tract. 4. cap. 2. ea ratione persuasum, quoniam cęlum continetur ęternitate, antestatq; rebus caducis, & nefas est, quod est immortale, magisq; nobile, id comparatũ esse, ac suas functiones obire gratia illius, quod non est ęternũ, quodq; minus habet nobilitatis. Sed nec etiam his temere ac fortuitò prouidet, tum quia quod in casu & fortuna positum est, id rarò

CHE-

ẽuenit, & cęlum innumerabiles ac perpetuas affert vtilitates ad-ducę rerum vniuerſitati; tum etiam quoniam per accidens prouidentia, vt dicebat Alexander in loco proximè citato, non eſt vera, ac propria prouidentia, ſed adulterata; nam quibus additum eſt verbum per accidens, ea non ſunt verè ac propriè illius modi, cuius eſſe dicuntur, vt aurum per accidens & fucatũ, non propriè dicitur aurum, quòd hoc, quod eſſe aurum per accidens, tollat ac deſtruat veram ac propriã auri naturam. Itaq; cũ Ariſtoteles ſignificauerit cęlum his verè ac propriè prouidere, nõ eſt, vt huius prouidẽtia inducatur per accidens, ac temere fortuitoq; geratur. Et ſi quod alicui per accidens tribuitur, id poteſt non ineſſe, nulla profectò ratione poteſt fieri, vt hæc caduca temere ac fortuitò cadant in cæli prouidentiam, ſi quidem cælum rebus caducis ita prouidet, vt non poſſit his non prouidere; & mundus hic elementalis neceſſariò coniunctus eſt globis cæleſtibus, vt ab his omnis eius vis adminiſtretur, & regatur lib. 1. meteor. cap. 2. Reſtat igitur, vt cælum ex ſecundo inſtituto his prouideat; idq; Auerroes perſpicuè voluit ſub exitum tract. 4. cpit. poſtnat. quo in loco cùm ſatis luculenter tractaret hunc locum de prouidentia, memoriæ mandauit nequaquam ſibi videri rerum caducarũ adminiſtrationem eſſe ex prima ratione cælis propoſitam, alioquin illud incommodum accideret, quòd res aeterna eſſent gratia rerũ caducarum, & quod dignitate anteit, propter illud eſſet quod eſt abiectum minusq; prætabile; cæterum dicendum eſſe corpora cæleſtia primo inſtituto ſui gratia agere, & ratione ſecunda, minusq; præcipua corporibus caducis prouidere ſua munera diſſeminando, ac longè latèq; ſpargendo. Hæc verò prouidentia cæleſtis tametſi per ſe, atq; ex primo inſtituto haud miniſtretur, huic tamen proxima eſt; huiusq; id poteſt eſſe argumẽto, quod quicquid cõmodi cæleſtia corpora his caducis afferunt, id omne in magnã, neceſſariamq; abit ipſorum vtilitatem, quod ex ijs intelligitur, quę in lib. 2. de cælo 17. inſcriptis ſunt relicta, quorumq; ſententia eſt huius modi: Cælum cùm ſit viuens ſempiternum, feratur

motu

motu ſempiterno, eſt neceſſe; ſed ſola conuerſio poteſt in infinitũ perpetuari; cęlum igitur in perenni conuerſione verſatur: atqu conuerſio manente & quieſcente aliquo perficitur, & cęli pars nulla aut omnino, aut in medio poteſt manere, pręter cęlũ ponendum eſt aliquod corpus, circa quod immobile & quieſcens in medio cęlum conuertatur. Corpus hoc eſt terra, quam ſi oportet eſſe, ignem etiam eſſe neceſſarium eſt, quòd contrariorum ſi alterum eſt in rerum natura, & alterum eſſe oporteat: Atqui ſi terra eſt ac ignis, ea quoq; corpora erunt, quę media ſunt interiecta, aer ſcilicet & aqua; elementorum enim vnumquodq; contrarietatẽ ad quodq; nimirum habet: Hęc verò cùm ſint, patet neceſſariã eſſe generationem, propterea quòd nullum horum perpetuum eſſe poteſt ſine generatione, cui quęcumq; naturam habent caducam, acceptum ferunt, quòd ſeruentur perpetuò non quidem numero eadem, ſed ſpecie: Verùm quòd elemẽta, resq omnes aliàs oriãtur, & aliàs intereant, in cauſſa ſunt multę varioq; modo incedentes cęlorum conuerſiones; concludendum eſt igitur elemẽta, quòd perenni generatione ęternitatem conſequantur, exiſtere ex cęlorum motionibus, hisq; cęlos proſpicere ne funditus pereant, quod dum præſtant, ſibi quoq; cauſſam præbent conſtantię ſempiternę, quando quidem elementis deſtructis terraq; ipſa e medio ſublata cęleſtes cõuerſiones nequeant peragi, ſine quibus cęli ipſi conſtare non poſſunt. Ex his poteſt ſciri cęleſtia corpora ex ſecundo inſtituto, minusq; præcipua ratione his rebus caducis proſpicere; & cùm hęc ratio prouidendi ſit varia, illam ad cęlos eſſe accommodandam, quę quàm proximè accedit ad prouidẽtiam per ſe. Quòd ſi ita eſt, cęlum ne habebit cognitione comprehenſa hęc ipſius curę ſubiecta? Alexander referente & approbante Auerroe ſub extitum tract. 4. epit. poſtnat. ſtatuit hęc caduca à cęlis cognoſci, quoniam hi eatenus illis conſulunt, quatenus eorũ habent cognitionem. Idem quoq; Themiſtio fuit probatum, qui in lib. 3. de anima 60. ait ipſit cęleſte corpus eſſe aliud genus animalis longè præſtabilius, ac fortè cognoſcens ſenſibilia. Et ſanè cùm modi

pre-

prouidendi ex ratione ſecunda ſic fuerint explicati, vt nunquã ſint diſiuncti à cognitione rei cadentis in prouidentiam, nõ ab re quiſpiam ſibi perſuadebit cælum ſibi vendicare rerum caducarũ comprehenſionem: Verùm non propterea ſenſus in cælo eſt ponendus, quoniam, vt inquit Themiſtius, cæleſtia corpora cùm ſint nobiliora, quàm ſenſum requirãt, alia ratione, quàm ſenſu vtũtur in his rebus dignoſcendis. Praeterea cæleſtis prouidentia non ita ponitur, vt res ſingulæ per ſe ratione propria gubernentur à cælo, ſed eſt vniuerſa, ac generalis, quod cæli non tribuant ea, quæ ſic vni conueniant, vt ad alterum non accommodentur, cùm ita moueantur, vt ipſorum vis ad omnia, quæ eorũ amplexa coercentur, pertineat, & longè lateq; diffundatur cum nulla re ſingulari præcipuè cõmunicata. Id voluit Auerroes in com. lib. 12. poſtnat com. 37. quo in loco ſcribit nullum ſingulare ſic cadere in prouidentiam, vt eius curatio non attingat reliqua eiuſdem ſpeciei: & adminiſtrationem rei ſingularis ſic, vt nulla res alia ſingularis habeat cum ea cõmunicationem, turpem eſſe atq; indignam maieſtate ac bonitate diuina. Idem ad calcem tract. 4. epit. poſtnat. Alexandrum cõmendauit, quòd è cælis eiecerit rerum ſingularium adminiſtrationem, quia cùm nemo id curet, cuius nullam habet cognitionem, cæli his rebus nequeunt ſigillatim prouidere, quæ, quòd infinito numero ſint cõprehenſa, nulla cognitione accipi poſſunt. Cùm igitur cælum his generatim prouideat & nõ particulatim, non oportet huic ſenſum ineſſe, ſed aliam vim, qua poſſit hæc vniuersè atq; ſecundum ſpeciem apprehendere. Nec vero hæc ratio vniuersè cõmuniterq; & ſecundum ſpeciem intelligẽdi res ſingulares eſt contemnenda, nam cùm res ſingulares trifariam poſſint à nobis apprehendi, vno modo ſingulatim, & ſecũdum propriam ac ſingularem vnius cuiusq; naturã; altero ſecundum ſpeciem; & tertio ſecundum genus, primus cognitionis modus non magnam habet dignitatem, quoniam qui multos homines cognouerit iuxta ſingularem & indiuiduã vnius cuiusq; naturam, non exactiùs cognitam habet hominis naturam, atq; is,

cui

cui pauciores homines eodem modo cogniti ſunt: tertius verò & poſtremus quamuis momentum habeat ad quippiã explicatè cognoſcendum, attamen non omnes cõtinet perfectionis numeros; etenim is nequaquã tenet perfectam & abſolutam hominis ſcientiam, qui hominem in eo, quòd eſt animal, aut viuens habet comprehenſum: at verò ſecundus eſt limatiſſimus & abſolutiſſimus, ſi quidem hominis cognitio qua ex parte eſt homo & rationis particeps, eſt ſuis numeris expleta, nec quippiam deſiderat, quo abſoluatur. Hoc autem cognitionis modo calũ cuncta hæc ſenſibilia intelligit, cùm ea neq; generatim ſiue ſecundum genus, neq; ſingulatim percipiat, non generatim, quoniam hæc ratio intelligendi eſt imperfecta, nec propriam rei naturam attingit; nec præterea ſingulatim, quòd res ſenſibiles ſingulares ſint numero infinitæ, atq; ob id alienæ ſint cognitioni: Hinc Plato iuſſit nos à ſummis generibus ad infima deſcendentes gradũ noſtræ cognitionis ſiſtere in ſpecie bus infimis, neq, has vltra progredi ad res ſingulares. Hæc licèt e doctrina clariſſimorum Peripateticorũ emanauerint, neq; penitus improbabilia poſſint videri, ego tamen exiſtimo, vt cælum res mortales gubernet, nulla ipſi opus eſſe harum cognitione, nam cùm ratio prouidendi varia ſit, atq; alia naturalis appelletur, & alia intellectualis, hęc poſterior ſemper ſibi aſſerit notitiam eorum, quæ adminiſtrantur, nihilq; poteſt in eã cadere, quod antè non fuerit cõprehenſum cognitione procurantis, ac proinde nominatur prouidentia, quaſi præintelligẽtia, & quòd procul à rebus diſiuncta veluti ex altiſſimo loco perſpiciat, quid agendum ſit, & qua ratione ſit cura rerum ſuſcipienda: At prior prouidendi ratio, quæ eſt naturalis, & quam poßumus definire muneris functionem, in qua quippiam dum verſatur ſuâ naturâ, alterius rei cõmodis ac vtilitati ſeruit abſq; vlla huius comprehenſione, diſiuncta eſt à cognitione, quoniam quæ agunt more naturæ, hæc non oportet habere illa animo comprehenſa, quorum gratia laborant, in quorumue vtilitatem ſeſe exercent: Ita ignis leuiaq; omnia petunt loca ſupera, & terra grauiaq; om-

nia

nia tendunt ad infera, quibus in locis ſuum cõmodum ſentiunt & experiuntur, cùm ſe ipſa ignorent, nullamq; ſuarum motionũ, ſuorumq; locorum habeant notitiam: Ita ſtirpes in terrã radices defigunt, hisq; ad ſe alliciunt ſuccum, quo aluntur & creſcunt, abſq; vlla operis & ſucci cõprehenſione: Ita denique beſtiæ rationis & orationis expertes multa ex ſe promunt, & ſibi & alijs magnopere vtilia, quæ eis omnino ſunt incognita. Ergo ſi hæc non temerè ac fortuitò efficiũt ea, quæ ſibi & alijs ſunt vtilitati, abſq; vlla earum rerum, quarum cõmoditatibus ſeruiunt, cognitione, non video quid abſurdi ſit cælos, qui more naturæ funguntur munere prouidendi, abſq; vlla rerum caducarũ notitia huic caducæ vniuerſitati proſpicere, & non ſecus, atq; cor reliquas corporis partes regit, hanc tueri, gubernare, & ab interitu vendicare?

Deus de ſententia Ariſtotelis non eſt cauſſa efficiens eorũ, quę continentur in hac corporum vniuerſitate. Cap. XXVIII.

His, quæ de cæli prouidentia diſputata ſunt Ariſtotelicè, adiungenda eſt ratio, qua Deus, primusq; motor de ſententia Ariſtotelis prouidet huic aſpectabili corporum vniuerſitati. Cùm dicimus Deum huic mundo prouidere, id cautè accipiendũ eſt, nam cùm prouidere nihil aliud ſit, quàm in ordinem redigere, ad finesq; proprios mouere, atq; id fieri poſſit conſilio, & quo modo, quauè ratione quæ cadunt in prouidentiam, ſint diſponenda, ratiocinando & deliberando, atq; ſine conſultatione ac deliberatione, cõmunis eſt omnium eruditorum opinio Dei prouidentiam non eſſe cum conſilio & ratiocinatione connexam. Conſiliũ enim atq; deliberatio ad ea ſola pertinent, quorum muneris functiones tempus metitur, quæq; cùm parum iudicio & prudentia valeant, dubitant de eo, quod agendo ſequendum eſt, aut fugiendum, & de mediis & rationibus, quibus quod eſt agendum, poteſt comparari. Quapropter Deus, qui eſt ſapientiſſimus, & tem-

pori non ſubiectus, nulla vtitur conſultatione, neq; in ſuis muneribus obeundis meditando atq; deliberando ex alio in aliud progreditur, quod eſt proprium hominum, qui in rebus agendis conſilium adhibent, laborant animis, in multisq; verſantur ambiguitatibus; ſed ſine vllo labore, ſineq; vlla mentis agitatione omnia peragit, cūctaq; regit. Itaq; magna erat ruditas Epicuri, qui Deum vt hominem metiebatur, vt operarium aliquem, verebaturq;, ne ſi Deum poneret in rerum procuratione verſantem, aliquid moleſtię & incōmodi adiūgeret ſingulari eius beatitudini, non intelligens Deū nihil agendo vniuerſa regere, & nullū inde laborem ſentire. Cùm igitur certum ſit ab Ariſtotele Deum primumq; motorem fuiſſe inductum qui rerum vniuerſitati prouideat, hic an per modū efficientis, vel per modū finis hoc officium exequatur, incertum eſt. Ego in ea ſemper fui opinione, vt Ariſtoteles noluerit Deum in hoc munere verſari per modū efficientis, & vt in ea eßem multa induxerūt in ſuperioribus explicata, quibus hęc adiyciātur. Duo ſunt modi, quibus poteſt Deus induci cauſa efficiens eorum, quę geruntur in rerum vniuerſitate; vnus eſt, quoniam agēt bus cauſis naturalibus vim impartit, qua apię idoneęq; efficiuntur ad agendū; alter, quia in his efficiendis proximè verſatur. Atqui hic & ille modus in doctrina Ariſtotelis eſt improbabilis: Non igitur ad Ariſtotelis ſententiā Deus eſt cauſa efficiens eorum, quę in hac rerum vniuerſitate generātur. Prior modus authori libri de mundo ad Alexandrum probatus reprehenditur, rogando nūquia hęc virtus ſit ęterna, an caduca: Non eſt, vt caduca ponatur, quia confeßum eſt philoſophis nihil, quod ortum & interitū ſentiat, à Deo proximè fieri: huius ea eſt ratio, quia Deus ſibi perpetuo cōſtat, & vſquequaq; immutabilis eſt; quare, quoniam quod fluit ex aliquo id imitatur huius naturam, cōficitur, quę à Deo proximè manant, ea vnius modi ſemper eſſe, nec fluxa, & continenter ſecus ſe habentia. Hinc apud Platonem in Timęo Dij minores Deo ſupremo mundi genitore in bente acceduni ad animalium generationem, ne ſi hęc fiant ab eo

ſolo,

ſolo, vitaq; donentur, Dijs adæquentur, ſintq; immortalia. Quin etiam id forſitan fuit in cauſſa, vt Hebræorum nonnulli Deo mũdum procreanti Angelos dederint comites & adminiſtros; atq; alij ſenſerint mundũ hunc mortalem non à Deo, ſed ab Angelis conditum fuiſſe, cuius vanæ opinionis diſſeminator fuit Simon Magus, & cultores Menãder, Baſilides, Saturnilus, Cherinthus, & Carpocratiani Irenæo referente & confutante in lib. 1. aduerſus hæreſes, atq; Theodoreto atteſtante in lib. 1. hæreticarum fabularum: Sin verò ſempiterna inducatur, naturalibus cauſis efficientibus extinctis quò abit? Eſtne ſubſtantia, an accidens? Si ſubſtantia, conſentaneum eſt eam in formis numerari, at cùm forma nõ migret ex ſubiecto in ſubiectum, quo pacto ſeruabitur incolumis ij, à quibus fuit ſuſcepta, intereunitibus? Iaẽ ſequitur euidentiùs, ſi virtus hæc ab vllo accidentiũ genere contineatur. Modus autem poſterior reſpuitur in ſchola Ariſtotelis, quòd in hac intellectu eſt difficile, quo modo Deus, qui ſi cauſſa corporum naturalium efficiens ſtatuatur, ſolius cauſæ vniuerſæ rationem poteſt ſuſtinere; quiq; ſemper eodem ſe habet modo, effectæ ſingularia, & in magna varietate poſita queat efficere, nam cauſa vniuerſa effectorum vniuerſorum eſt cauſa lib. 2. phyſ. 38. & quod eodem modo ſemper ſe habet, idem facere natum eſt ſemper lib. 2. de gen. & int. 56. Ad hæc ſi Deus & primus motor eſſet cauſa corporum naturalium efficiens, vel eorum eſſet cauſa, quæ continentur æternitate, vel eorum, quorum ortus eſt temporarius, quæq; recens generantur: ſed neutrorum cauſa efficiens poteſt induci; nullo igitur modo Deus eſt cauſa corporũ naturaliũ efficiẽs. Deum non eſſe cauſam efficacem eorum, quæ in tẽpore generantur, hoc modo perſuadetur à Scoto in lib 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 1. Quicquid ſit, cùm antè non eſſet, id omne coniunctam habet aliquam nouitatem, & imperfectionem; ſed rei effectæ nouitas ac imperfectio exiſtit ex aliqua, quæ eſt in cauſa effectrice, nouitate & imperfectione non igitur fieri poteſt, vt quippiam, quod antè non eſſet, proximè efficiatur à Deo, primoq; motore, cui nihil noui

accedit, & omnes ſunt perfectionis numeri ab omni imperfectionis labe diſiuncti. His ea poſſunt adiũgi, quibus in lib. 8. phyſ. 53. conficitur præter motorem immobilem ponendum eſſe aliud mouens æternum, quod moueat, cùm ipſum moueatur à primo motore immobili, quoniam ſi hæ res materiatæ à motore immobili proximè moueantur, nulla in his erit mutationis varietas, neq; ortus & interitus extabit, quia quod ab omni motu eſt liberum, id ſibi perpetuò conſtans vno eodemq; modo ſemper mouet. At vero Deum non eſſe cauſam effectricem corporum æternorum ex his intelligitur. Propriũ efficientis munus eſt traducere id, quod fit, de poteſtate in actũ; idq; teſtatur Auerroes in lib. 12. poſtnat. com. 18. quo in loco varijs ac cauſa effectricis munere opinionibus refutatis ſtatuit cauſam efficientem non facere niſi compoſitum ex forma & materia, quod præſtat materiam vltro citroq; mouendo donec id fiat actu, quod poteſtate continetur. Et haud multò poſt inquit cauſam effectricem de ſententia Ariſtotelis non congregare, quæ ſunt diſiuncta, ſed quod erat poteſtate, in actum extrahere. Ergo ſi in lib. 9. poſtnat. 13. Ariſtoteles ſenſit in eodem pateſtatem tẽpore antecedere actum; atq; in tex. 17. vult nullam poteſtatem in rebus perpetuis eſſe ponendam; conficitur iuxta Ariſtotelicam opinionem his nullam cauſam effectricem eſſe impertiendam: Nulla enim ratione poteſt fieri, vt in æternis poteſtas tempore præcurrat actum ita, vt ea priùs fuerint poteſtate, quàm actu extiterint; nam cùm in natura rerum æternarum poſitum ſit ſemper exiſtere, nequit fieri, vt aliquod temporis momentum reperiatur, in quo hæ non extiterint in rerum vniuerſitate. Præterea cauſa omnis efficiens motu ſuam exercet efficientiam, quod ex eius definitione conſtat; ſed pugnat cum natura rerum æternarum motu aut mutatione fieri, quoniam omnis motus, omnisq; mutatio tempore miniſtratur; & res perpetuæ non poſſunt in ortum cadere, quem tempus dimetiatur, quia quod in tempore factum eſt, id ab æternis ſeculis non potuit exiſtere: non igitur res æternæ cauſam ſibi aſſerunt effectri-

cem.

cem. Amplius omnis cauſſa efficiens tempore antecedit id, cuius eſt cauſſa; atq; id intereſt inter cauſſam effectricem, & formam lib. 12. poſtnat. 16. huius verò ea eſt ratio, quoniam cauſſa efficiens cùm non ſine motu fungatur ſuo munere, atq; motus efflagitet tempus, quo abſoluitur, ſic agit, vt tempore ſemper prægrediatur id, quod efficitur: atqui rebus æternis tempore nihil eſt antiquius; non igitur harum poteſt eſſe cauſa efficiens. Poſtremò rebus ſempiternis hoc datum eſt, vt ſemper neceſſarioq; ſint; non igitur res ſempiternæ, quæ ipſarum eſt natura, poſſunt ex cauſſa effectrice pendere: Conſequutionem illud confirmat, quòd quæ ſemper neceſſarioq; ſunt, ea naturam habent quæ nullo pacto excipit non eſſe: & cuius eſt cauſa efficiens, id quandoq; non fuit: Huius id eſt argumento, quod cauſa efficiens ijs ſolis tribuatur, quæ fiunt, aut facta ſunt; & quod fit, aut factum eſt, id antequam fieret, aut factum eſſet, non fuit; nam fieri ponit non eſſe, quod antegreditur illud eſſe, quod acquiritur cauſa effectrice miniſtrante. Poſtremo ſi Deus, primaq; cauſa eſt vllius rei corporeæ cauſa efficiens, conſentaneum eſt hanc efficere ſimplici emanatione, nullamq; materiam ſubijci ipſius effectioni: Huius ea eſt ratio, quia cùm Deus ſit vis infinita ſimpliciter, & ſubſtantia ſoluta à materia, par eſt ipſum ad agendum nulla vti materia, quòd actio fluat à virtute ac ſubſtantia, huiusq; naturam ſequatur, & imitetur: atqui Ariſtoteles ab ijs, quæ in rerum natura cernuntur, perſuaſus putat nullum corpus poſſe fieri niſi motu & mutatione, cùm quippiam ſubijciatur; hinc in lib. 2. phyſ. 28. & in lib. 5. poſtnat. 2. cauſam effectricem finiuit, vnde eſt primum principium motus: ſub exitum lib. 1. phyſ. ſtatuit materiam eſſe ingenitam, quod quicquid generatur, ex materia generetur; & initio lib. 8. eiuſdem operis poſuit quicquid fit, cùm antè non eſſet, id motu, mutationeq; fieri. Ac ſanè Ariſtotelem ignoraſſe corporum creationem, & ſimplicem ex nihilo emanationem id perſuadet, quod iuxta eius decreta corpus, quod in

actum

actum erumpit, operæ precium est, antequã in lucem veniat, aptè natum esse atq; habere potest item, vt efficiatur, nam id tantum fit, quod potest fieri, quod autem nequit fieri, id minimè efficitur: verùm potest is, qua substantia corporea fieri est aptè nata, locata est in natura materia, nam hæc est principium, ex quo vnumquodq; quod generatur, quòd sit aptè natũ fieri, nanciscitur: ergo si corpus aliquod fieri creatur absq; materia, id fiet, cuius nulla est potestas, quodq; factu est impossibile. Cùm igitur decreta Aristotelica non sustineant substantiarum corporearum creationem simplicemq; emanationem, nec etiã ferre possunt efficiens supra naturam positum à nonnullis, vt corporum creationem ac simplicem emanationem tuerentur; atq; huius quoq; argumento esse potest, quòd is vbiq; finuerit causam effectricem vnde est primum principium motus, qua definitio nullo pacto quadrat in hanc causam efficientem supra naturam, cuius est sine motu exequi suum munus. Dicere motum alium esse verum, qui assumitur in definitione naturalis efficientis; & alium translatum, quo finitur efficiens supra naturam in lib 5. post nat. 2. est inducere Aristotelem definitionum præcepta non obseruantẽ: Etenim in lib. 2. post. analyt. in diffinitionibus studendum est perspicuitati, vocesq; ambiguæ perpetuò sunt vitandæ: & in lib. 6. top. illæ definitiones dãnantur, quarum voces multa variaq; significant, atq; in audientium animis sensum ambiguum pariunt: atqui si Aristoteles in lib. 5. post nat. 2. definit efficiens supra naturam, hic planè incidet in hanc vituperationem, quippe qui eodem prorsus modo, & eisdem penitus verbis illud finiret, quo & quibus efficiens naturale in lib. 2. phys. 29. explicauit: id autem cum turpe sit, existimandum est Aristoteli causam effectricẽ definienti semper fuisse propositum efficiens naturale, neq; in lib phys. fuisse hoc contemplatum, & alterum supra naturam in lib 8. post not atq; huius quoq; testis est Auerroes, qui in huius loci lib. 5. post nat. explanatione scribit Aristotelem contemplari causam efficientem, ex qua primum fit rei generatio. Verum enim verò quãuis hæc consentiant

cum

cum ab Ariſtotele traditis, ſentiendum tamen eſt Deum ex nihilo cælum, terram, & reliqua omnia feciſſe, qui præterea non ſolum vti finis, ſed & tanquam primus rerum effector vbiq; præſens, & prapotens cuncta diſponit, ad agendum impellit, & in quibusq; rebus efficiendis ſuam adiungit efficientiam: Etenim licèt in prima rerum procreatione rebus ipſis vires fuerint ingenerata, & nunc quoq; ingenerentur, quibus apta fiunt ac expedita ad ſua opera conficienda, hæ tamen ſatis virium non habẽt, vt ex ſe ipſis queant agere: qua de re ne otioſæ, ac ſine actione torpeant in vniuerſo, cum eis oportet ad agendum cõuenire Deum, ſuamq; efficientiam adhibere: atq; in hoc grauiſſimè peccat Durandus, qui ſentit in lib. 2. ſent. diſt. 1. quæſt. 5. cauſas ſecundas ſic ſua officia exequi, ſuaq; opera efficere, vt Deus non alio modo his iungatur ad res gignendas, quàm conſeruando ipſarum naturas & vires, quas eiſdẽ impertijt; nam ſi hic memoria tenuiſſet illud Iob in cap 10. Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerũt me totum in circuitu: *& illud Sapientiæ in cap. 8.* Attingit à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, *ab hac opinione abſtinuiſſet, & in eam deſcendiſſet, quam clarorũ hominum, & in ſacris literis eruditorum conſenſus cõprobauit: quamquam inter hos diſſenſio eſt, nunquid Deus cauſaq; prima vim ſuam imprimat in cauſis ſecundis, an potius in eo, quod efficitur; & ſi in cauſis ſecundis, his tribuatne virtutem, qua ipſa complentur, atq; apta idoneaq; reddantur ad ſua munera obeũda; an actum, ſiue motum, quo ipſa excitantur, & ad ſua opera peragenda admouentur; & ſi in eo, quod efficitur, nunquid eius actio ſit diuerſa ab actione cauſæ ſecũdæ, an huius & illius ſit vna eademq; actio, quæ quatenus exiſtit ex cauſa prima, vocetur generalis prima cauſæ influxus, & quatenus ex cauſa ſecunda influxus ſecũdæ cauſæ particularis; ex qua cauſa cõſequatur quoq;, vt ad certam ſpecialemq; naturã producendã ſit definita & coarctata. Sed quicquid ſit de his cõtrouerſiis, certum eſt quæ de Dei primaq; cauſæ efficiẽtia à noſtris Theologis prodita ſunt, ea fuiſſe*

ſe ignota Ariſtoteli, cui omnia ſanè pendent ex Deo, primoq; motore, verùm non tanquam ex prima cauſa effectrice, ſed veluti ex vltimo fine rebus omnibus ad expetẽdum propoſito, quod quo modo ſit, nunc aperire conabimur.

Deus cùm ſit finis, prouidet huic vniuerſitati, & ex eo tanquam ex fine omnia pendent. Cap. XXIX.

REbus omnibus huius vniuerſitatis finem aliquẽ eſſe conſtitutum, ad quem ſuam quaq; dirigit actionẽ, & ſenſu accipitur, & inter naturæ ſcrutatores nulla eſt diſſenſio; cùm verò varia ac multiplices ſint agentium naturaliũ actiones, his varij fines ſunt conſtituti, quorum cùm alij ſub alijs contineantur, omnes tamen ad vnum, eumq; ſupremum ac præſtantiſſimum referuntur: etenim vti ſumma totius reipublicæ adminiſtrãdæ ratio ad vnum eumq; ſummũ refertur magiſtratum, ſic fines & ipſi omnes in mũdi republica ad vnum ſupremum finem referũtur, propter quem omnia, quæcũq; conſtant in vniuerſo, ſuis fungũtur officijs. Hic cõmunis rerũ omnium finis eſt princeps Deus omnia monens & alliciens. Hunc enim, qui eſt ſimplex ſummaq; bonitas, cuius eſt appetitũ ciere, atq; cuncta ad ſe allicere, res ſingulæ ſibi proponunt, tanquã obiectũ, quod imitentur, & tanquã ſcopũ, ad quẽ ũas actiones referant. Hinc illud apud doctos vulgatum eſt nihil eſſe in rerũ natura, quod Deũ non expetat. Cùm igitur omnia Dei cupiditate teneantur, & quæcũq; naturà agũt, huius gratia agant, perſpicuum eſt Deũ in quibuslibet rebus efficiendis ſuã operã ponere, & ſi ipſe non ſit, omnia otio torpeſcere, nihilq; agere, quinimmo in rerum natura quippiã conſtare non poſſe: etenim functio alicuius gratia ſuſcepta aboleatur, eſt neceſſe fine ablato, cuius gratia eſt parata, & hac ſublata pereat id, cuius eſt oportet, quòd nihil otioſum, ac ſine opere poſſit à natura perferri. Princeps itaq; Deus in loco ſtabili immotoq; cõſtitutus, nullamq; admittens varietatẽ ſingula ſanè monet, verùm per mo-

dum

dum finis, & omnia ad ſe alliciendō perenniter ac compoſitè adminiſtrat & cōſeruat vniuerſum rerum ordinē numeros omnes concinnitatis habentem: Cuncta vero regit, ac moderatur, nō vt inde quicquam ſibi acquirat cōmodi: quippe qui vita fruens felicissima tot tantisq; cōmodis eſt refertus, quāta nullus homo poſſit cogitando complecti. ſed cùm per ſe ſit bonum præſtantiſſimum, ijs quoq; fit bonum, quæ in ipſius ſunt ditione: Cum corporibus autem cæleſtibus primum ſeſe communicat, hisq; motus continui, æquabilis, atq; ex omni æternitate conſtantis initia præbet: Cùm enim moueat hæc, quia amatur, tandiu planè moueat, eſt neceſſe, quandiu amabitur; ab his verò perpetuò amatur, quoniā eis perpetuò eſt bonum, nec aliàs bonum, aliàs non bonū lib. de cōm. animal. motu cap. 3. Accedit, quòd cùm cęli in hoc maximè inuigilēt, vt ſuo motu in ſe exprimant ſimilitudinem illius infinitatis, quæ in primo motore eſt tota ſimul in ſeſe collecta; atq; hanc verè conſequi nequeāt, quia amplior eſt, quàm poſſit à corporis natura accipi, eam æmulantur fluxu temporis ac motus perpetuo, atq; hoc pacto infinitas, quę in primo motore eſt tota ſimul in ſeſe collecta, per partes infinitas ſibi ſuccedentes in cælis exprimitur. Optima autem ratione in orbem mouentur cæleſtia corpora, tum quia hic motus ſequitur ipſorum naturam: tum etiam quia in hoc motu in primis apparet Dei primiq; motoris ſimilitudo. Hunc motum ſequi naturā ipſorum non ſolum demonſtrauit Ariſtoteles in lib. 1. de cælo, verùm etiā Plato declarauit in lib de Regno, vbi ſcriptū reliquit idem ſemper eſſe, & ſecundum eadē, & eodem modo ſe habere ſolis omnium diuiniſſimis comperire, hutusq; naturā corporis non eſſe capacem, quæ alicuius mutationis ſemper eſt cōpos: cæterum cum cælum ad diuinā naturā multum accedat, & corporis ſit particeps, circuitum ipſi innatum eſſe, ita enim non expers omnino fore mutationis, & in eo minimam fieri ſua ſubſtātiæ agitationem, ſi quidem in eodē, & ſecundum eadem, & vno motū moueri. At verò in motu, quo cælū agitur in orbem elucere Dei primiq; motoris ſimilitudinē his Ariſtotelicè poteſt patefieri,

Cùm ex Deo, qui eſt actus ſimpliciſſimus, cætera omnia ex actu & poteſtate exiſtentia ſecundum multos ac varios perfectionis gradus pendeant, corpora cæleſtia multò præſtabiliorem obtinent naturæ conditionem, quàm elementa, & ex elementis conflata: Porrò quoniã fieri nequit, vt æqualem ipſi Deo teneãt dignitatis gradũ, motu circulari Deum imitãtur, in cuius imitatione omne ipſorum bonum ſitum & collocatũ eſt: Etenim in eo, quòd in ſe ipſa perpetuo reuoluuntur, & orbiculari motu ab eodem ad idem progrediũtur, ad Dei intelligentiã quam proximè accedunt, quę, cùm in eadem ſit, quod intelligit, & quod intelligentiã apprehenditur, poſſe videri quadam ipſius Dei in ſemetipſum conuerſio: Cùm verò in eodem loco ſemper manentia, & in alienum nunquã tranſeuntia motu continuo & æquabili conuertuntur, in ſe exprimunt Dei primiq; motoris immobilitatẽ; cuius quoq; infinitatem, quantum eorum natura patitur, æmulãtur in eo, quòd tempore infinito ſine vlla intermiſſione mouentur. Ratione autẽ optima quæ in orbem agũtur corpora ciere poſſunt motu inceſſabili, quoniam vniuerſa ceſſant, deſinuntq; moueri, cùm venerint ad locum ſuæ naturæ accõmodatum, at cùm hæc corpora nunquã dici poſſint ad ſuum locum peruenisſe, quod idem eſt locus, à quo incipiũt moueri, & in quo finiunt, nulla in his fit motus ceſſatio. Adiungendum eſt quicquid ceſſat à motu, in fine, poſtquã ad hũc peruenerit, quieſcere; & id, quod circulo fertur, cùm nunquam perueniat ad finem (non enim mouetur ad finem, ſed circa finẽ) effici, vt ſuum motum in infinitum poſſit continuare. Id, quod in orbem agitur, nunquã peruenire ad finem, & ſemper circa finẽ, & non ad finẽ moueri, ex eo intelligitur, quòd principium, medium & finis circuli ponantur in centro, nam cùm circulus per æqualẽ à centro diſtantiã conſtituatur, centrum eius principium poteſt exiſtimari; cùm verò lineæ omnes e circumferentia ad æquales angulos protractæ terminẽtur in centro, hoc ſibi aſſerit ratione finis; & cùm idem à circũferentia æqualiter vndiq; diſtet, circuli mediũ appellatur. Quapropter quoniam id, quod circulo fer-

fertur, nunquã attingit centrum, circa quod & non ad quod mouetur, patet illud ad finem nunquã peruenire, atq; circa finẽ, & non ad finem moueri. Quòd ſi aliquis putet finẽ in circulo, & nõ extra circulum eſſe quærendũ, idem nihilo minus poterit concludi, nam ſi aliquod circuli punctum tanquã finis accipiatur, cùm idem ſit præterea principiũ & mediũ quod in circulo principiũ medium & finis ſint inter ſe cõmixta, & in eo quodcũq; pũctum fuerit aſſumptũ, non magis ſit principiũ, aut mediũ, quàm finis, vel finis, quàm principium aut medium, vel principiũ quàm medium; vel medium, quàm principium lib. 8. phyſ. 76. id quod circulo fertur, vbi ad illud peruenerit, non magis erit in fine, quàm in principio, aut in medio: Quare vt in principio & medio exiſtens ſuæ motionis finem haudquaquã faciet, ſed ad hoc moueri perget; & quoniã omnia circuli puncta eandẽ rationẽ ſubeunt, nec eorum vnum magis poteſt eſſe principium, aut medium, aut finis, quàm quoduis reliquorum, id par eſt ſemper in orbẽ verti, & nunquã deſinere, intermittereve moueri, vt ſemper exiſtens in principio & medio ſuæ conuerſionis. Nec verò exiſtimandum eſt fruſtra hunc motum cælis fuiſſe datum, quòd reliquorũ ſimplicium corporum motibus finis aliquis ſit cõſtitutus, in quẽ cùm venerint, ceſſant, & cæleſtis motionis nullus ſit finis, nullaq; ceſſatio, nam, vt inquit Alexãder in lib 2. quæſt. nat. cap. 18. natura in caducis corporibus, quoniam hæc genita ſunt in locis alienis, principium eſt motus, quo ad ſedes familiares feruntur ad quas cùm peruenerint, quieſcunt, quòd ſuam ſint adepta perfectionẽ; at in corporibus ingenitis, quoniam hæc ſuapte naturâ ſunt perfecta, nec vnquã extra proprium locum reperiuntur, non eſt principium motus, quo ex imperfectione ducantur ad perfectionẽ, & ex aliena ſede ad naturalem reuocentur, ſed cauſa eſt perennis conuerſionis, qua id, quod optimum, ſupremumq; eſt imitantur, vt expoſitum eſt: Sed & hæc imitatio in eõ poſita videri poteſt, quod vt primus motor immobilis exiſtens omnia mouet, ſtabiliſq; manens dat cuncta moueri, ita cæli ſuis cõſtantibus in omnẽ

æternitate motionibus efficiunt, vt natiua & caduca oriantur & occidant, omnesq; patiantur mutationes, cùm ipsi interim has minimè sentiant. Hinc Auerroes in lib. 12. post nat. com. 36. statuit cælos moueri & propter se, & propter formas materiatas; propter se, quoniã eorum perfectio in motu est collocata vt enim is, qui se in laboribus exercet, vt bonam corporis valetudinem tueatur non laborat propter finem acquirẽdum, sed vt finem, in cuius est possessione, conseruet, eodem modo cæli conueniunt non quærentes finem nouum, vt mos est rerũ caducarũ, sed vt tueantur propriam perfectionem in perenni motu circulari positam: propter vero formas materiatas, quoniam cum Summi Boni sint æmuli, multa ex se promunt ad res mortales gignendas & conseruandas necessarie conferentia, suisq; motibus efficiunt, vt rerum caducarum vicissitudo cõtinentem ac perpetuum cursum nanciscatur. Nec vero sólum cælestia corpora excitantur ad motum à primo motore, sed & hic ciet elementa, & quæcumq; ex his cõposita sunt, atq; ad centrum usq; pertinet non cõmittens vllam vniuersi partem liberè abiectam præpotẽti suo numine desertam iacere; nam omnia hæc suis funguntur muneribus, vt ad Deum proximè accedant, atq; eo, quo fieri potest, modo Dei similitudinẽ consequantur. Nec est, vt quispiam miretur, quòd res inanimæ & cognitionis expertes Dei appetitione moueantur, nam hæc appetitio nihil est aliud, quàm in id, quod est bonum, insita quadã & innata propensio: Cùm enim Deus sit summum Bonum, quod cæteris causa est bonitatis, quæcumq; bonum expetiunt, Dei quodã modo cupiditate rapiuntur; & cuncta quæ agunt, Dei, summiq; Boni similitudinem sua actione affectare videntur. Necessariò autem in rebus omnibus, quæ natura constant, hæ ad bonum propensiones sunt ingenerata, quoniã earũ incitamento ad id, quod est cõmodum natura sua, optandum & persequendũ allicuntur, & quodã modo impelluntur, paulatimq; sic vires acquirunt, vt cùm initio sua careant perfectione, eò tandem quasi per gradus quosdam perueniant, quod in ipsarum natura est perfectissimũ.

Et

Et licèt omnes huiuſmodi inclinationes inter ſe diuerſa exiſtãt, atq; ſæpenumero pugnent ob variã & inter ſe aduerſam bonorũ peculiarium naturam, attamen quoniã ad vnum cõmunem finẽ diriguntur, aptè inter ſe tẽperãtur, & mirifica ſocietate iungun tur; nam vt in cãtu & fidibus ex ſonis varijs & inter ſe pugnãtibus, quorum alij tardè mouentur, alij celeriter feriunt, & alij mediocritate quadã aures pulſant, harmonia efficitur, vnuſq; ex multis emergit ſonus moderatione & æquabilitate iucundus, ita ex varijs vniuerſi partibus bona diuerſa petentibus, variaq; munera obeuntibus conſenſus quidam in rerum natura exoritur, in quo partes omnes in vnius vniuerſi cõpoſitionẽ coaleſcunt, & in miram quandã harmoniã conſpirant, ac veluti conſonant. Neq; illi ſunt ferendi, qui in oculis habentes hanc rerum diſparitatẽ, & naturarum inæqualitatẽ mundum non penitus abeſſe à turpitudine crediderunt, nam hi nõ intelligunt admirabilem mundi partium connexionẽ conſtare nõ poſſe abſq; harũ rerum diſpari natura, ob quam fit, vt res minus perfectæ reſpiciãt perfectiores, earumq; fini gratia, & alia alijs cõſulant, & opitulentur; nullãq; reperiri pulchrã conſtitutionẽ, quæ ſit ex ſimilibus & ſolum conſentientibus naturis compacta, aut ex tãtum diſſentientibus, ſed omnem, qualis qualis ſit, ex partium conſenſione, ſimulq; diſſenſione oriri. Id cum Empedocles & Heraclitus non ignorarent, omnia cõ innè præclarèq; compoſita ex naturis diſſimilibus, ijſdemq; mutua concordia copulatis exiſtere, nihilq; ex ſimilibus aptè pulchreq; componi tradiderunt. Ex his poteſt ſciri Auerroẽ non ab re ſcripſiſſe in lib. 2. phyſ. com. 75 philoſophum naturalem nullam rationem eſſe habiturum ad prouidentiã Dei confirmandam, niſi pro cõceſſo fuerit acceptum naturã propter finẽ agere, ſiquidem eatenus cernitur in mundo prouidentia, quatenus rerũ naturalium actionibus certus finis eſt conſtitutus, & rebus cunctis naturalibus vnus finis ſupremus eſt propoſitus, cuius gratia dum aguntur, eo mirabili ordine diſponuntur, quo inter ſe aptè cohærentes in vnã naturã coaleſcunt, quam ex perfecta elegantia,

&

& ordine præclaro mundum appellamus, & tãta conſenſione inter ſe iunguntur, vt omnes cõmuniter vniuerſi cõmodis ſeruiãt, omniumq; vſus & cõmoditates in idẽ vno quaſi concentu conſpirent: In hac igitur amplißima rerum vniuerſitate nihil fruſtra reperitur, nihil temerè agit, & nihil ad perennem ipſius ſaluiẽ ac perfectionem non aliquid confert. Caterum quamuis omnia faciant ad vniuerſi elegantiã & pulchritudinem, non omnium tamen eadem eſt dignitas, neq; vna eſt cunctorum ratio, eadẽq; fortuna, ſed quæ maximè eximia ſunt inter ea, quæ ſenſu percipiuntur, eundẽ illa locum ſemper obtinent, vt ſidera, & cæleſtes globi, ſuasq; ipſa vices cõſeruant perennes, nulliq; expoſitas mutationi, longe illa ſecus, quæ ſub luna cõtinentur: Hæc ita naturâ ſunt comparata, vt ſuis in locis nunquã perpetuò maneant, & in alias ex aliis affectiones tranſeant, fieriq; identidem altera & alia minimè reſpuant, quorum alia cernimus vitæ expertia, ac veluti otio affluentia ætatem quietam ſine vllo animę officio traducere; & alia vitã habentia totum ęuum agere in operibus vitę occupata; cuncta verò, vt dictum eſt, ad mundi ornatum & integritatem conferunt, cunctisq; vnus ſupremus motor eſt propoſitus, cuius auſpicijs perenniter atq; compoſitè vniuerſus hic totius tãtarumq; naturarum ordo adminiſtratur, atq; hę adeo vna vi, atq; vno ſocietatis vinculo coercentur vt ex ipſis inter ſe copulatis mirificus quidam cõcentus exoriatur. Porro ex Deo primoq; principio cuncta pẽdere tanquã ex fine declarauit Ariſtoteles in lib. 12. poſtnat. nam in tex. 38. cum oſtẽdiſſet neceſſitatem vltimi ſupremiq; finis, & principium eo modo eſſe, quo eſt neceſſitas, cõcludit ex hoc principio cęlum & naturã pendere; & ſub exitum cauſas exquirens boni vniuerſi has in ordinem, & in Deum confert, nam quemadmodum incolumitas exercitus in ordine ac in imperatore cõſiſtit, & præcipuè in imperatore, cuius procuratione caſtra, acies, machinę diſponuntur, atq; omnis ratio bellica regitur ac ordine adminiſtratur, ita ſalus huius mundi & incolumitas ſita eſt in ordine, & in ſummo Imperatore, & in hoc præ-

ſertim,

ſertim, quòd is præſtet ordini cauſam ſalutis & incolumitatis: Qua e re quoniam ſalus ordinis ac integritas fini eſt accepta referenda, cuncta planè pendẽt ex Deo ſummo Imperatore, veluti ex ſupremo vltimoq; totius ordinis fine. Et verò ex fine exiſtere ordinis incolumitatem id teſtatur, quod vis & eſſentia ordinis in eo vel maximè ſita ſit, vt quæcunq; ordine continentur, ea ad vnicum finem referantur, atq; eo pacto, vt hoc ſublato ille neceſſariò ruat, & concidat. Primus igitur motor, ſummusq; huius vniuerſi princeps ſuam tantùm proponens bonitatem omnia ciet, & ad agendum compellit, quæ dum agunt, vt quantum fieri poteſt, diuinam bonitatem conſequãtur, cùm optimè ſe habent, tum etiam fiunt cauſæ, vt alia naſcantur, & ijs, quæ intereunt, alia ſuccedant, atq; hac ratione ab interitu vendicetur vniuerſitas, quæ alioquin diſſoluatur eſt neceſſe, niſi ijs, quæ continenter pereunt, alia continenter ſuccederent. Quapropter Deus cùm ſit finis ab omnibus expetitus, cunctis cauſa eſt, & vt ſint, & vt benè ſint, cùmq; ſit finis immutabilis, bonumq; nulli mutationi ſubiectum, perpetuo inceſſanterq; mouebit, eoq; cuncta ad ſe immortaliter alliciente infinitis ſeculis conſtabit vniuerſitas, nam, vt ſcriptum eſt in lib 8. phyſ. 52. manente principio & vniuerſum maneat, oportet, quo i pẽdet ex eo, cum eoq; cohæret, atq; ideo eſt illo exiſtente, & non erit, ſi quis animo fingat illum nõ exiſtere. Huius opinionis Ariſtotelem extitiſſe putauit Eudemus illius auditor, interpretatus eſt Alexander ſummus Peripateticus, & teſtis eſt Proclus præſtantiſſimus Platonicus in com. in Tim. in quibus affirmat Ariſtotelem ac Peripateticos ideas ac exemplaria ſuſtuliſſe, quòd ſentirent primum principium à materia ſeparatum non eſſe cauſam effectricem, ſed dumtaxat finẽ ab omnibus expetitum. Porrò tameſi vniuerſa ab infinita Dei virtute ciean tur per modum finis, atq; hac ratione tota hæc vniuerſitas præpotenti Dei numine apiè ordineq; regatur, attamen præter hanc prouidendi rationem altera eſt per modum cauſæ effectricis, quæ cùm ab Ariſtotele fuerit ignorata, non eſt, vt in ea aliquid operę

po-

ponẽtur à nobis, quibus hoc vnum eſt propoſitum, vt de prouidẽtia quid Ariſtoteles ſenſerit ſe ſuaq; dogmata audiens, aperiamus; & præſertim cùm ea à noſtris Theologis & multis & eruditis diſputationibus fuerit cumulatiſſimè explicata. Atq; hic ſit finis huius diſputationis de mentibus à materia ſeparatis.

FINIS.

Librum hunc inſcriptum de lumine & ſpetiebus ſpiritalibus; de mente effectrice, & ſpetiebus intelligibilibus; de Dęmonibus, & Mentibus à materia ſeparatis ſecundum mentem Ariſtotelis; Eccellentiſsimi Thomę Gianninij Ferrarienſis, in patrio Gymnaſio primi philoſophię Doctoris legi, nihilq; contrarium in eo Sanctę Matri Eccleſię, aut aliquid contra bonos mores inuenio; quamobrẽ arbitror eum poſſe typis imprimendum cõmitti: In quorum fidem me ſubſcripſi die tertia menſis Iunij 1615. Ferrarię in ædibus Seruorum.

Fr. Orantes Ferrarienſis Ordinis Seruorum ſacræ theologiæ Doctor.

Die 5. Iunij imp.

F. Io. Baptiſta Scarella Inq. Fer.

Die 6. Iunij anni 1615. Imprimi poſſe cenſui Ego Gaſpar Leualorius Can. Theol. Ferrariæ pro Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo D. D. Cardinali Lenio eiuſdem ciuitatis Epiſcopo.

Gaſpar Leualorius qui ſup.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google